

8



G. G. F.

9. 08. 09. 70.

HISTORIA
IVRIS CIVILIS
ROMANI AC GERMANICI,
QVA VTRIVSQUE
ORIGO ET VSVS IN GERMANIA
EX IPSIS FONTIBVS OSTENDITVR,
COMMODA AVDITORIBVS METHODO
ADORNATA,
MVLTIQSVE OBSERVATIONIBVS HAVD VVLGARIQVS
PASSIM ILLVSTRATA,
AVCTORE

IO. GOTTL. HEINECCIO, IC

QVONDAM S. R. M. PRVSS. CONSIL. INTIM. ET
IVR. AC PHILOSOPH. IN ILLVSTRI FRIDERIC.
PP. ORD.

EDITIO

EMENDATA, OBSERVATIONIBVSQVE AVCTA
STVDIO

IOAN. DAN. RITTERI,

S. R. M. POLON. CONSIL. AVL. ET IN ACAD.
WITEBERGENS. HISTOR. PP. ORDIN.

CVI EDITIONI NVNC DEMVM ACCEDVNT

NOTAE AD HISTORIAM

IVRIS IVSTINIANEI ET GERMANICI,

NEC NON

HISTORIAE IVRIS GALLICANI EPITOME.

Cum Privilegijs Caesareo ac Reg. Polon. & Elect. Sax.

ARGENTORATI,

Apud IOAN. GOTHOF. BAUERUM,
Typis HEITZIANIS,
MDCCLII.




7425



94891

II



PRIVILEGIUM CAESAREVM.

NOS FRANCISCVS Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniae & Hierosolymarum Rex, Dux Lotharingiae & Barri, Magnus Hetruriae Dux, Princeps Carolopolis, Marchio Nomenei, Comes Falckensteinii, &c. &c. Agnoscimus & notum facimus tenore praesentium Universis, quod cum Nobis *Joannes Gottfridus Baur Bibliopola Argentoratensis* humillime exponi curarit, quem in modum *Joannis Gottliebii Heineccii Historiam Juris Civilis Romani ac Germanici cum notis Joannis Dan. Ritteri, aliisque novis ad Historiam Juris Romani eruditissimis adjectis, auctam & emendatam, una cum notis super Historiam Juris Justiniani restaurati, uti & Juris Germanici*, in Octavo, prelo committere resolverit, vereatur autem, ne aemulorum invidia hanc editionem imitantium, impendii & laboris sui fructu frustretur, ideoque Nobis demisse supplicarit, quatenus ejus indemnitati Privilegio Nostro Caesareo succurrere clementissime dignaremur, Nos submissae pariter ac aequae ejus petitioni annuendum censuerimus: Ac proinde Auctoritate Nostra Caesarea omnibus & singulis Bibliopolis, Bibliopegis, Typographis & aliis quibuscunque rem librariam seu negotiationem exercentibus firmiter inhibemus, vetamus & interdici-mus, ne quis supranominatam *Heineccii Historiam Juris Civilis Romani ac Germanici cum variis notis*, sub hoc aliove titulo aut hac aliave forma, seu ut ajunt, formato, per decem annorum spatium, ab hodierno die computandum, intra Sacri Romani Imperii fines recudere vel aliis recudendam dare, aliorumve impressam apportare, vendere vel distrahere citra praefati *Impetrantis ejusdemque haeredum ac successorum voluntatem & assensum* in scriptis obtentum, ausit vel praesumat; Si quis vero fecus faciendo Privilegium hoc Nostrum seu Interdictum violare contemnereque praesumpserit, eum non solum ejusmodi Exemplaribus ubicunque locorum repertis, perperam quippe recusis seu apportatis (quae dicitur *Joannes Gottfridus Baur* sive propria auctoritate sive Magistratus illius loci auxilio sibi vindicare poterit.) de facto privandum, sed & quinque Marcarum auri puri poena Aerario seu Fisco Nostro Caesareo &

parti laesae ex aequo pendenda, omni spe veniae sublata, multandum decernimus, dummodo tenor hujus Nostri Privilegii in fronte libri impressus reperiatur, & consueta quinque Exemplaria Consilio Nostro Imperiali Aulico exhibeantur. Mandamus itaque omnibus & singulis Nostris & Sacri Romani Imperii subditis & fidelibus dilectis tam Ecclesiasticis quam Secularibus, cujuscunque status, gradus, dignitatis aut ordinis fuerint, praesertim vero iis, qui in Magistratu existentes vel suo vel Superiorum suorum loco aut nomine jus justitiamque administrant, ne quemquam Privilegium hoc Nostrium Caesareum impune violare, spernere aut transgredi patiantur, sed si quos contumaces compererint, constituta a Nobis multa eos puniri, & quibuscunque modis idoneis coerceri curent, quatenus & ipsi gravissimam Nostram Indignationem praedictamque poenam evitare voluerint. Harum testimonio literarum, manu Nostra subscriptarum, & sigilli Nostri Caesarei appensione munitarum, quae dabantur Vienna die duodecima Octobris anno millesimo septingentesimo quinquagesimo, Regni Nostri sexto.

FRANCISCVS, mppr.

(L.S.)

Vt. R. Comes Colloredo mppr.

*Ad Mandatum Sacrae Caesareae Majestatis
proprium.*

J. J. Hayeck de Waldstätten mppr.



Extract. Privil. Reg. Polon. & Elect.-Saxon.



Er Aller-Durchlauchtigste, Großmächtigste Fürst und Herr Herr Friedrich August, König in Pohlen 2c. des Heiligen Römischen Reichs Erz-Marschall und Churfürst zu Sachsen 2c. auch Burggraf zu Magdeburg 2c. hat auf beschehenes unterthänigstes Ansuchen des Buchhändlers in Straßburg, Johann Gottfried Bauers, anädigst bewilliget, daß er Joannis Gottlieb Heineccii Historiam Juris Civilis Romani & Germanici unter höchstgedachter Sr. Königl. Majestät und Churfürstl. Durchl. Privilegio drucken lassen, und führen möge, dergestalt, daß in Dero Churfürstenthum Sachsen, desselben incorporirten Landen und Stifften kein Buchhändler, noch Drucker, oberwehntes Buch in den nächsten, von unten gesetztem dato an Zehen Jahren, bey Verlust aller nachgedruckten Exemplarien, und Dreyßig Rheinischen Gold-Gulden Straff, welche denn zur Helffte der Königl. Rent-Cammer, der andere halbe Theil aber ihm, Bauern verfallen, weder nachdrucken, noch auch, da dasselbe an andern Orten gedrucket wäre, darinnen verkauffen, und verhandlen, worgegen er mehr gedachtes Buch fleißig corrigiren, auß zierlichste drucken, und gut weiß Papier darzu nehmen zu lassen, auch so oft es aufgelegt wird, von jedem Druck und Format zwanzig Exemplaria in Sr. Königl. Majestät und Churfürstl. Durchl. Ober-Consistorium, ehe es verkaufft wird, auf seine Kosten einzuschicken schuldig, und dieses Privilegium niemanden ohne höchstgedachter Sr. Königl. Majestät und Churfürstl. Durchl. Vorwissen, und Einwilligung zu cediren befugt seyn soll: Gestalt er bey solchem Privilegio auf die bewilligten Zehen Jahr geschüzet, und gehandhabet, auch da diesem jemand zu wider handeln, und er um Execution desselben ansuchen würde, solche ins Werck gerichtet, und die gesetzte Straffe eingebracht werden soll.

Jedoch, daß er, und zwar bey Verlust des Privilegii den Druck des nächsten zu Stande bringe, und sowohl von jetziger, als auch von jeder künftigen neuen Auflage die oben gesetzte Anzahl derer Exemplarien würcklich liefere. Inmittelst und zu Urkund dessen ist dieser Schein, biß das Original-Privilegium ausgefertigt werden kan, und statt desselben, in Sr. Königl.

Majestät und Churfürstl. Durchl. Kirchen-Rath, und Ober-
Consistorio unterschrieben und besiegelt ausgestellt worden, wel-
chen er durch den bestellten Bücher-Inspectorn Christian Ernst
Haubolden denen Buchhändlern zu insinuiren, widrigenfalls die
Insinuation vor null und nichtig erkannt werden soll.

So geschehen zu Dresden, am 29. Aprilis, anno 1750.

(L.S.)

Gottlob Heinrich Hendenreich mppr.

Christian Friedrich Teuchers.

ILLU-

ILLUSTRISSIMO.

REVERENDISSIMO. EXCELLENTISSIMO.
DOMINO.

DOMINO.

HENRICO.

S. R. I. COMITI.

ABRUVHL.

DYNASTAE. IN. FORSTA. PFOERTEN. GROCHWITZ.
BORCKE. KOHLE. REINSDORF. SCHOENAV. KIMPELS-
DORF. LINDENAV. NISCHWITZ. LICHTENAV. SEI-
FERSDORF. ETC. ETC. POTENTISSIMI. POLONIARVM.
REGIS. ET. ELECTORIS. SAXONIAE. MINISTRO. PRI-
MARIO. A. CONSILII. SANCTIORIBVS. PEDITATVS.
DVCI. REGII. CVBICVLI. PRAEFECTO. FISCI. REGII.
ET. AERARII. SAXONICI. DIRECTORI. PRAEFECTO.
PRAETORII. POLONICI. LEGIONIS. TRIBVNO. AQUILA-
E. ALBAE. NIGRAE. S. ANDRAEAE. EQVITI. CAPITV-
LI. S. PETRI. BVDISSINENSIS. PRAEPOSITO. ETC. ETC.
STATORI. REIPVBLICAE. PIO. FELICI. MV SARVM.
ANTISTITI. ARTIVM. ET. INGENIORVM. ARBITRO.
OPTIMO. MAXIMO.

DOMINO. INDVLGENTISSIMO.

HOC. QVICQVID. EST. IN. HISTORIAM. ET. ANTIQVI-
TATES. STVDII. DEVOTISSIMA. HVMILLIMAQVE.
MENTE.

D. D. D.

CLIENS. ADDICTISSIMVS.

IOANNES. DANIEL. RITTER.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

JOAN. DAN. RITTER.



Isti aliquot lustrorum intervallo plures libri foras dati sunt, quibus Doctissimi viri Romani juris historiam exponere summo studio susceperunt : asseverare tamen auserim, Virum Eximium Clarissimumque, Heineccium, decus quondam atque ornamentum Germaniae nostrae, libro, quem de eodem argumento scripsit, plerorumque industriam, & mira, qua usus est, perspicuitate, & ingenii acumine, quo reliquos antecelluit, & denique ordine, quo memoriae maximum attulit lumen, longe multumque superasse. Ac potuit sane jure suo vir iste humanissimus hac navata Jurisprudentiae elegantiori opera valde delectari, quoniam, cum adhuc interesset mortalibus, magna cum voluptate animi sui cognovit, operis hujus confectionem adeo omnibus jucundam fuisse, ut non modo privatim legeretur diligentissime, sed etiam a Doctoribus Academicis explicaretur publice. Et quibus tandem gaudiis is exultasset, si contigisset

P R A E F A T I O.

gisset hoc ipsi vivo, ut, distractis repetitae editionis exemplaribus, eruditos homines appetentissimos novarum lucubrationum videret. Etenim cunctorum expectationem solus explere poterat Cl. Heineccius. At cum terras reliquerit candidissima illa anima, nec licuerit nobis esse tam felicibus, ut praestantissimis viri praeclara eruditione ornati praeceptis frueremur; vellentque tamen, multorum desideriiis novam editionem flagitantium, facere satis Viri honestissimi, Verbeekii fratres: literis humanissime scriptis invitarunt me, ut, quas collegerim observationes, communicarem, quo elegantissimus liber, auctior, novoque quasi habitu, lucem denuo publicam adspiceret. Ego vero non modo lubentissime ipsis annui, sed vehementer etiam gavissus sum, oblatam mihi esse amplissimam occasionem, difficilem hanc veteris historiae partem additamentis quibusdam exornandi augendique. Suadebat porro muneris publici mei ratio, ne laborem defugerem, quo testari possem, me historicorum Graecorum, Latinorumque lectioni plurimum temporis tribuisse. Itaque, cum & ipse praevidisset V. Cl. Heineccius, relictum esse aliis, eandem rem cum ipso acturis, permagnum spicilegium, laetus atque ala-

eris

P R A E F A T I O.

cris suscepi curam Professione mea dignissimam, & pro ingenii tenuitate, ad pulcherrimum librum ea addidi, quae erant praetermissa, sententiamque de his dixi, quae vel accuratorem desiderabant investigationem, vel minus recte posita, medela quadam egere videbantur. Quantum vero praestiterim, potuerimve praestare, judicabunt aequi benevolique lectores. In eo autem imprimis elaboravi, ut veterum auctorum testimonia, vel minus accurate adducta, vel alienis locis apposita, vel plane omissa, emendarem, restituerem ac supplerem. Deinde vero, cum sine fastis vetustae leges intelligi vix possint, eam quoque dedi operam, ut hi prodirent emendatiores. Quaecunque vero a me emendata sunt, auctori potius ipsi, quam mihi tribuere malui, quoniam homine ingenuo indignum esse censeo, levissimis hisce vanam captare gloriolam. Insanus enim sit oportet, qui sibi non persuadeat, haec veterum auctorum loca bene quoque novisse & intellexisse Cl. Heineccium, sed impeditum, curisque distractum aliis, aut fugitivis ea tantum inspexisse oculis, aut scriptis doctorum hominum plus aliquando tribuisse, quam quidem fieri debebat. Porro duodecim adjiciendas curavi Tabulas, propter insignem
quam

P R A E F A T I O.

quam praestant utilitatem, & quod experientia didici, vehementer eas avere cum hos, qui in Academiis praelectiones instituunt, tum etiam juvenes ad interiorum civilis sapientiae cognitionem adspirantes. Quaedam, quod ingenue fatendum est, lubentissime & mutassem & plane delevissem, nisi essem veritus, ne hoc, quod ego bona mente facere constitueram, iniqui quidam vitioque creati censores male interpretarentur, meque temeritatis & arrogantiae accusarent. Ea sane, quae §. LXVIII. sequenteque de Praetorum Romanorum nefariis artibus scripta sunt, vel abesse poterant, vel longe aliter erant proponenda, atque ibidem a Viro Cl. factum esse observamus. Ita etiam, quae adversus Praeturae Vindicem sunt in medium prolata, animum magis vehementem, incitatumque ira, quam veritatis studiosum testantur. Quam etiam ob rem non potui non, & Praeturae, & Vindicis, (de quo asperrimis facetiis depexo dudum dolui) optimam causam tueri atque defendere. Haec porro, quae §. LXXII. continentur, expungi, & quae sequuntur paullo post, multum immutari poterant, si id, quod lubebat, licuisset. Etenim apud historicos, de edictis Praetorum perpetuis libera adhuc republica, altissimum est

P R A E F A T I O.

est silentium; Acta vero ista diurna, quae opinionis suae firmandae causa viri docti advocant, sublestae sunt fidei, inventumque scioli cujusdam, qui forte post renatas bonas literas orbi erudito vendere fumum voluit, uti dudum observavit M. WELSERUS *epistola L. & LI. Oper. pag. 850.* & nuper invictissimis probavit argumentis insigne Belgii ornamentum, PETRUS WESSELIUS *Probabilium cap. ult.* Profecto veterum nemo ita scripsit, *Fraetores ex edictis suis perpetuis jus dicerent*; cum, poscente Romanae linguae genio, hoc modo verba illa efferenda sint, *perpetuo jus dicerent.* Deinde ea veterum loca, quorum auctoritate ibidem Cl. Heineccius de vi & potestate vocis, *perpetuus*, disputat, & huc minime pertinent, & nihil etiam affirmant; estque sine dubio apud Asconium legendum, *perpetuo*, ut fidem faciunt partim illa opposita, *varie jus dicere adfueverant*, partim quoque Graeca Dionis. Ne vero, e schedis meis deprompta, confunderentur cum his, quae excellentis vir ingenii, Heineccius posteritati prodidit, notas & observationes meas separatim excudendas esse censeo; in quibus perficiendis, omnibus viribus enisus sum, ut aliqua non vulgaria ad historiae legumque intelligentiam afferrem, quae ut non displiceant,

P R A E F A T I O.

ant, vehementer opto. Ea autem scribendi libertate usus sum, qua ipsum V. Cl. Heineccium magnopere delectatum esse novimus. Quapropter satis mirari non potui, cum ad me relatum esset, quibusdam ea, quae liberius dixi, primo adspectu, dura acerbaque visa esse. Enimvero, uti suum est cuique ingenium, scribendique color, ita etiam ego semper existimavi, veritatem, etiamsi paucis jucunda sit, gratissimam tamen nonnullis, ejusque inquisitionem viri ingenui esse propriam. Deinde id certissimum quoque est, majora in juventutem conferri commoda a simplicibus, apertis, & assentationis omnis inimicis, quam a vilibus istis animis, quae blanditiis virorum auctoritate valentium benevolentiam collecturi, ne erroribus quidem propagandis se abstinere possunt. Sed satis de his. Unum adhuc est, quod Te scire volo. Libri nimirum primi, quo Juris Romani historia pertractata est, magnitudinem sensim adeo crevisse, ut, quae in altero de origine Juris Germanici sunt exposita, intacta relinquenda essent, licet in promptu haberem plura, quae moneri poterant, & utilia & forte lectu non injucunda. Vale, Lector Benevole, conatibusque meis fave. Witebergae Saxon.

A. O. R. clō Iōccxxxviii. d. iv. April.

J. G.

J. G. HEINECCII P R A E F A T I O

Primae editioni praemissa.



Uod plerosque facere animadvertimus, qui praefationes scribunt, ut vel rerum, quas explicant, utilitatem ac praestantiam verbis ornatissimis commendent, vel vino

alioquin minus vendibili veluti hederam suspendant: eorum ego hic nihil facere constitui.

Quemadmodum enim incredibilem HISTORIAE IVRIS utilitatem satis perspiciunt harum rerum intelligentes, eamque reipsa experiuntur quotidie: ita apud imperitos & veteris barbariei statores frustra verba facerem, neque ulli mortalium tantum est flumen ingenii, tanta scribendi dicendique vis ac copia, ut his hominibus, vel ad ipsum elegantiorum litterarum nomen cohorrescentibus, non dicam persuadere, sed verosimile tantum facere possit, earum ullam in jurisprudentia utilitatem esse. Et sane qui fieri posset, ut illi harum deliciarum suavitatem salubritatemque percipiant, qui quotidie carduelibus sentibusque vescuntur, asperumque illum victum calceatis istis denti-

P R A E F A T I O.

dentibus suis facillime subigunt? Quare quum & rem in se commendatissimam verbis extollere, supervacuum; & surdis narrare fabulam, molestissimum videatur: de utilitate praestantiaeque hujus studii, ut praediximus, jam non differemus, sed instituti tantum nostri rationem reddemus iis, quibus nos, nostraque studia, vigiliis ac laboribus probari quam maxime cupimus.

Placuit nuper REGI nostro longe clementissimo, ut, relicta illustri Viadrina, in Fridricianam hanc celeberrimam me conferrem, docendique munus, quo jam olim ibi non sine fructu studiosae juventutis perfunctus fueram, postliminio obirem. Parui ego, prout decet, OPTIMI PRINCIPIS voluntati, & quamvis novam illam migrationem, declivi jam aetate, quantum fieri potuit, deprecarer, ejusque taedio condiciones splendidissimas, a REGIBVS ac REBVSPUBLICIS potentissimis mihi propositas, aliquoties repudiassem, Halam tamen familiam ac supellectilem transtuli, operamque dedi, ut obsequio erga PRINCIPEM nec prius mihi, nec antiquius quidquam esse, re ipsa ostenderem. Inciderat haec profectio mea in illud anni tempus, quo Halae praelectionem publicarum privatarumque jam pridem factum fuerat

P R A E F A T I O.

fuerat auspiciū , nec integrum mihi erat , a disciplinarum quarundam interpretatione munus meum auspiciari , nisi turbare vellem ordinem , quem Doctores celeberrimi jam inde a felicissimis academiae hujus primordiis religiose servarant. Ne tamen paucos hos menses otio ac silentio transirem , statui juventuti studiosae publice ea praelegere atque inculcare , quae tortuosum jurisprudentiae iter ac veluti Labyrinthum ingressurae instar filii Ariadnei esse possent. Expensis itaque , quae huc facere videbantur , universis , subductisque rationibus , hanc feci cogitationum mearum summam , nihil illis fore utilius , nihilque fructuosius , quam si iis juris tum Romani , tum Germanici , origines ac progressum paullo accuratius enarrarem , ex ipsaque historia ostenderem , quis utriusque illius juris in foro usus sit , & quantum decipiantur ac decipiant , tum qui , ut jus Rom. in exilium agant , Germanicum nescio quod , in tribunalibus unice regnare contendunt , tum qui , recepto in subsidium illo jure , tantam rerum conversionem factam esse existimant , ut moribus patriis foro , ac veluti aqua & igni interdictum sit. Ne vero auditoribus , qui magno numero ad has acroases confluebant , de-

) (

esset

P R A E F A T I O.

esset libellus, quem & in auditorio, & domi, prae manibus haberent, breves has positiones in chartam conjeci, calamo tam festinante, ut saepe numero schedae adhuc madidae in officinam mittendae essent. Quamvis autem mihi veniam paratam fore putem apud aequos rerum arbitros, si quaedam vel praetervisa, vel non satis ad amissim facta perpolitaeque deprehenderint: adfirmare tamen possum, me haut pauca observasse mihi videri, quae non omnibus in mentem venerunt, ac proinde breviter perstrictis iis, quae jam ab aliis accuratius tradita noveram, ea, quae vulgo vel omitti, vel perperam proponi solent, diligentius explicasse, meque multo plura atque exquisitoria ejus generis additurum, si eo usque vitam produxerit summum Numen, ut limam iterum subeat libellus paene extemporarius. Ita enim comparatum est hoc studiorum genus, ad quod nos horis tantum subcesivis furtim veluti referimus, ut quotidiana lectio multas nobis observationes novas sufficiat, quibus ea, quae olim in chartam conjeceramus, mirifice illustrari locupletarique possint. Cujus rei ut quaedam specimina hic demus, pauca, quae interea, dum prelum fervebat, animadvertimus, veluti per
lancem

P R A E F A T I O.

lancem saturam recensere juvabit, ita tamen, ut chartae habeamus rationem, & temporis, quod nobis ob imminentes nundinas conceditur, perquam exigui.

Libro priore (1) fufius egimus de edictis magistratum, folideque, niſi fallimur, demonſtravimus, Dictatores, Conſules, Cenſores, Praetores, Aediles curules, Tribunos plebis, quin & Praefectos praetorio, adeoque omnes fere magistratus, edicta de rebus ad curationem ſuam pertinentibus reddidiſſe, quin ideo HONORARIUM illud jus dictum eſſe, quod omnes, qui Romae honoribus fungerentur, ipſique adeo ſacerdotes, nedum magistratus, jus illud edicendi ſibi arrogarent. Fruſtra adhuc deſideraveram aliquot magistratum, qui edicta propoſuerint, exempla, veluti praefectorum urbi, praefectorum Auguſtaliſium, & quaeftorum, in quae tamen interea, dum plagellae hae typis deſcribebantur, aliud plane agens, incidi. Praefecti enim urbi, Turcii, Aproniani, edicta bina, alterum de carnibus, non micatione, ſed ad exagium vel ſtateram vendundis, alterum de ſuariis eorumque canone vinario, integra exſtant apud

) (2

Gru-

(1) §. I.VI. ſequ. p. 52. [b. ed. §. 61.]

P R A E F A T I O.

Gruterum (2): similiaque aliorum praefectorum passim memorat Ammianus Marcellinus (3), eo notatu digniora, quo magis ex illis patet, etiam post edictum perpetuum hos praefectos edicta jurisdictionis suae causa promulgare non desisse. Ita & Praefectos Aegypti Augustales eo jure usos esse, numquam quidem dubitarem, qui non ignorabam, eos ab Arriano (4) ob proconsulare imperium *ὑπάρχους Αἰγύπτου* vocari, quique apud Tacitum (5) legeram, illos *loco regum in Aegypto egisse*, apud eosque & *lege agi potuisse*, & *eorum decreta perinde habita esse, ac si magistratus Romani constituisset*. At nondum tamen occurrerat locus, quo disertata fieret edictorum ab iisdem propositorum mentio. Talem postea praeter spem atque opinionem reperi apud Philonem (6), qui Avidium Flaccum, Praefectum Augustalem, crudelem alioquin & flagitiis omnibus coopertum hominem, eo tamen maxime nomine laudat, quod primis praefecturae suae annis *τὴν πόλιν καὶ τὴν χώραν ἀπέσλησεν εὐνομίας, quod bonas leges in urbem Alexandrinam, & totam provinciam, induxerit*. Quod profecto non

(2) *Inscript.* p. DCCXLVII, 6. 7. (3) *Hist.* XXVII, 9. XXVIII, 4. (4) *Expedit. Alex.* III, 5. p. 110. (5) *Hist.* I, 11. & *Annal.* XII, 60. (6) *In Flacc.* p. 966.

P R A E F A T I O.

non aliter, quam proposito edicto provinciali, fieri potuit: ut jam non dicam de edictis repentinis, quae, prout res inciderent, promulgasse eundem Flaccum, idem Philo (7) testatur. Denique & Quaestores eo jure usos esse, mihi persuasit locus Ciceronis (8): *L. Octavio & C. Cottae Coss. Senatus permisit, ut vini & olei decimas, & frugum minutarum, quas ante te Quaestores in Sicilia vendere consueverunt, Romae venderent, legemque his rebus, quae ipsis videretur, EDICERENT.* Ex eo enim manifesto patet, consules tum Romae fecisse, quod antea Quaestores in provinciis, id est, vendidisse decimas, legemque venditioni, proposito edicto, dixisse, ut dubitari non possit, quin & Quaestoribus commune jus edicta reddendi fuerit cum reliquis magistratibus omnibus.

Alio loco (9) de SCHOLA IVRIDICA ROMANA, Constantinopolitana & Berytensi diximus, ad easque ad saeculum sextum usque magnum concursum factum esse ostendimus. Subdubitavi adhuc, an & sub Gothicis, & Langobardicis Regibus, itemque sub Imperatoribus Francicis & Germanicis, florem suum

)((3

con-

(7) *In Flacc.* p. 972. (8) *Orat. in Verr.* III, 7. (9) *Lib. I.* §. 313. [*b. ed.*, §. 360.]

P R A E F A T I O.

conservavit Romanum istud gymnasium. Sed reperi quaedam veterum testimonia, quae id adfirmandum esse suadent. Apud Cassiodorum (*) enim Athalaricus, Rex, Professoribus Romanis stipendia integra persolveri jubet, in illisque numerat etiam *juris expositorem*. Et in pacto, inter Leonem PP. VIII. & Ottonem M. in Synodo Lateranensi an. D CCCCLXIV. inito, a Theodorico de Niem (10), Melch. Goldasto (11), Jo. Schiltero (12), aliisque edito, sub finem dicuntur ea omnia facta esse *in patriarchio Lateranensi, in ecclesia S. Salvatoris, synodo constituta a pluribus viris catholicis, Episcopis, & Abbatibus, insuper iudicibus & LEGIS DOCTORIBUS*, per quos quum intelligi nequeant Doctores, sollemni ritu in academiis creati, (quos aetas illa ignorasse omnino videtur,) manifestum est intelligi professores legum, qui Romae tum docendi munere fungebantur. Quo quantivis pretii testimonio simul confirmatur, quod alibi observavimus (13), juris civilis in foris Italiae a Justiniani temporibus ad Lotharii Saxonis imperium

(*) *Var. IX. 21.* (10) *de jure & privil. Imp. p. 248.*
 (11) *Constit. Imp. Tomo I. p. 34.* (12) *Inst. Jur. publ. Tom. II. Lib. II. Tit. X.* (13) *Lib. I. §. CCCXXXIX. p. 340. [b. ed. §. CCCXXIII.]*

P R A E F A T I O.

perium permagnam fuisse auctoritatem, quamvis postremis temporibus defuerint, qui cupidae legum juventuti viam ad jurisprudentiam monstrarent, & ob eam potissimum causam desertam hanc ab aliis provinciam PEPO, IRNERIVS, alique Bononienses, occuparint.

Libro posteriore (14) observavimus, omnes provinciales, Italos, Gallos, Hispanos, qui sub Francorum, Ostrogothorum, Wisigothorum, Burgundionum, Langobardorum imperio vixerint, juris Romani usum retinuisse. Eam observationem mirifice illustrat doctissimus Ant. Matthaeus (15), qui multis demonstrat, eos, quamvis a populis istis Germanicae originis oppressos, se tamen adhuc *Romanos* & *cives Romanos*; omnesque provincias, in quibus degerent, quantumvis a barbaris perdomitas, *Romaniam* vocasse. Ex quo facile patet, cur in manumissionum formulis apud Marculfum aliosque, manumissis etiam ea tempestate praeter libertatem concedatur *jus civitatis Romanae* (16), quod tamen tum in eo tantum constituisse arbitramur, quod jure Romano, si vellent, uterentur, neque inviti

)((4

adstrin-

(14) *Lib. II. §. XIII. §. XV.* (15) *de Nobilit. Lib. I. Cap. XXVII. p. 107. sequ.* (16) *Form. Lindenbrog. XCI. XCVI. XCVIII. CI. Baluz. Adpend. Capitular. n. CV. Tom. II.*

P R A E F A T I O.

adstringerentur barbarorum , ceu vocabant, legibus. Dixi , jure Romano eos , si vellent, uti potuisse. Optionis enim jus unicuique dabatur , qua potissimum lege vivere vellet, idque constituerat Lotharius imp. (17) cujus haec est sanctio: *Volumus, ut omnis Senatus & populus Romanus interrogetur, quali vult lege vivere, ut sub ea vivat.* Ac proinde saepenumero factum est, ut sententiam mutarent, & , qui se antea juri Romano submiserant , postea aliam aliamque eligerent: id quod apud Langobardos potissimum viduae faciebant, vivis quippe maritis horum legibus adstrictae, iisdem vero solutae, simulac solutum esset matrimonium (18).

Quae de usu juris Romani in Germania, qualis saeculo XIV. fuerit, disseruimus, (19) ea jam multis illustrari possent, maxime ex insigni ejus aevi monumento , puta PHIL. DE LEYDIS *libro de cura reip. & sorte principantis*, primum Leidae MDXVI. impresso, posteaque nitide recuso Amst. MDCCV. 4. Floruit hic Belga, testibus Desselio (20) & Jo. Meursio (21), adulto jam saeculo XIV, impetra-

tisque

(17) *Capitul. ann. DCCCXXIV. Cap. V.* (18) *Capit. Lothar. apud Baluz. Tom. II. Cap. XIV.* (19) *Lib. II. §. 67. p. 416. [b. ed. §. 68.]* (20) *Biblioth. Belg. p. 775.*
 (21) *Athen. Batav. Lib. I. 72.*

P R A E F A T I O.

tisque Aureliae Doctoris Decretorum honoribus, primum jus pontificium Parisiis aliquamdiu explanavit, posteaque in Belgium redux, circa annum M CCC LXIX. in Guilielmi Bavari, Hollandiae Comitis aula consecruit, fato functus anno M CCC LXXX. Ex ejus libro passim adparet., quae tum fuerit juris in Belgio ac Germania facies. Quantae tum dignitatis fuerint Doctores juris civilis, quantumque splendorem, vel potius πολλὴν φαντασίαν adfectarint, discimus ex casu XXXIII. (22) ubi proponit speciem: *Quidam legista, non doctorizatus, nec legum dominus, nec Professor, impetravit ab Imperatore, ut insignia doctoralia deferret, videlicet AVRI ORNATVM in FRAENIS, CALCARIBVS & SELLIS EQVESTRIBVS; numquid concessum valet? Hic patet, quod non.* En! Doctores ejus saeculi, auspiciis Imperatorum creatos, qui jure nobilibus proprio, fraena, ephippia & calcaria auro exornandi utebantur. Quumque suo loco ostenderimus, jurisperitos tum nihil reliqui fecisse, ut usum ac praestantiam artis suae ubique commendarent, quin eo factum esse, ut in urbibus celebrioribus sequente saeculo Syndicorum munere fungerentur (23): idem multo

)((5 citius

(22) p. 99. (23) Lib. II. §. XCVII. p. 450. [b. ed. §. 98.]

P R A E F A T I O.

citius in Gallia, Anglia & Belgio factum esse, ex eodem libello discimus. Ait enim (24): *Similiter ad habendum initium legalis experientiae, esset & alia via, ut in quolibet bono oppido esset per principem statutus unus jurisperitus, cui provideretur de congrua pensione, cujus providentia deciderentur singula, ut fit in Francia, Anglia, Flandria, & aliis ordinatis patriis.* Non adjungit auctor Germaniam, cui potius alibi (25) ideo male ominatur, quod minor ibi sit jurisperitorum copia, minorque auctoritas. *Notum est tamen, inquit, quod istud privilegium pluribus privatis concessum est, & observatum propter defectum jurisperitorum, qui magnus est in regno Alamaniae, quod Principibus istis ad magnum cedit juris & honoris detrimentum.* Non dicit, nullos ibi jurisperitos esse, (id enim falsum fuisset, ceu in opusculo demonstravimus (26) sed minorem tantum numerum, quam tanti imperii amplitudo exigere auctori videbatur. Fortassis etiam multos Germanorum Principes civitatesque adspernari audivit civilem illam sapientiam, *miratos*, quod de majoribus nostris memoriae prodidit Vellejus Paterculus (27), *solita armis discerni jure terminari.* Id enim ipse sub-

(24) *Cas. LX. p. 121* (25) *Cas. XXXVIII. p. 121.* (26) *Lib. II. §. LXVII. p. 416.* [*h. ed. §. 68.*] (27) *Hist. II. 118.*

P R A E F A T I O.

subinnuere videtur Philippus noster, dum porro scribit (28): *Et igitur bene felix patria, in qua plurimi praesunt sapientes. Hic sumas argumentum, multum expedire reipublicae, viros habere litteratos, qui LEGES noverint & IVRA MAIORVM. Et facit pro regno Franciae & contra ALLEMANNOS, qui studia litterarum minus frequentant, in ipsius reipublicae maximum incommodum, ruinam & jacturam. Hinc VIOLENTIA MAGNA publica deformatur urbanitas: praesidet LVPORVM RAPACITAS, & ipsi Principes ignominiae subjacent, nec honorem & statum cognoscunt sibi ipsis & subditis suis imperandi. Unde in politicis dicitur: Felix illa civitas, in qua philosophi sunt praesides. Nimirum majorum erat Germanorum ferocia, quam ut statim novitate incognitae disciplinae mansuescerent, sibi que extorqueri paterentur arma, in quibus jus omne positum habebant, neque aequo animo ferebant, mores patrios a jure peregrinis in exilium agi. Quod & ipse Philippus iniquum ratus, ejusmodi jurisperitos rempublicam capessere volebat, qui LEGES nossent, & IVRA MAIORVM, id est, qui juris patrii peritiam cum accuratioe jurisprudentia conjunxissent.*

Sed

P R A E F A T I O.

Sed ad alia properamus. In libro priore (29) de LIBRIS FEVDORVM, nec non de ANT. MINCVCCII & BARTH. BARATERII operibus feudalibus; in posteriore (30) de IVRE FEVDALI SAXONICO & SVEVICO seu ALAMANNICO egimus. Sed & hic quaedam tunc se nobis subdixerunt, quae addita mallems. Dicit enim quaedam debuissent de IVRE FEVDALI OSNABRVGENSI, quod edidit illustris Academiae nostrae Cancellarius, IO. PETRVS A LVDEWIG (31) cujus in has litteras merita grato animo agnoscent posteris, quamdiu istis suis honor erit, pretiumque, quo dignae sunt, statuetur. Notitiam praeterea dare potuissem IVRIS FEVDALIS FLANDRICI, cujus Codex MSC. membranaceus, saeculo circiter XIV. nitide exaratus exstat in bibliotheca publica Franquerana, haut parum illustraturus ea, quae de feudorum illorum indole a Jac. Curtio (32), Jac. Marchantio (33), Fridrico a Sande (34), aliis-

(29) *Lib. I. §. CCCXLV. p. 345. §. CCCXLVIII. p. 349.*
 [h. ed. §. CCCXX. & CCCXXIII.] (30) *Lib. II.*
 §. LXXVI. p. 426. §. LXXXII. p. 432. [h. ed. §. 77.
 & 83.] (31) *Reliqu. MSC. Tom. II. p. 297.* (32) *Con-*
jectur. ad Vivid. I, 18. II, 6. (33) *Descript. Flandr. libr.*
de feudal. Flandr. morib. (34) *Consuet. Feud. Gelr.*
Tract. I. Tit. III. §. VII.

P R A E F A T I O.

aliisque traduntur. Denique, quod maxime nollem, nescio quo fato contigit, ut nihil dixerim de libro insigni DE BENEFICIIS, quem ab illustri Eybenio acceptum, tamquam *à vendoleu* cum eruditis dissertationibus de libri hujus veteris auctore, fato, vetustate, raritate & usu anno M DCC VIII. in Selectis feudalibus edidit CHR. THOMASIVS, edoctus postea ab aliis, eum jam pridem cum Franc. Duarenî *Commentario in consuetudines feudales* editum esse a Jo. Havichorstio, *Colon. Agripp. MDLXIX, 8.* sub titulo: *Liber vetustus de feodis, sive feudis, item de ordine placitationis & urbano beneficio, per aphorismos distinctus* (35). Laudaverat eum jam Marquardus Freherus (36), qui sub Saxonîs Imperatoribus scriptum putabat, quod in eo feuda semper beneficia vocarentur. Eisdem hac in re suffragatur laudatus Thomasius (37), eo imprimis motus argumento, quod nepotibus jus succedendi in feudo negetur (38), quos tamen ad successionem jam admiserit Conradus Salicus Imperator (39). Contra Lotha-

(35) *Summarische Nachr. von auserlesenen Büchern. Part. XXIV. p. 1007. Thomaf. Adpend. Sel. Feud. Tom. II. p. 429. sequ.* (36) *Not. ad Const. de expedit. Rom. ad verba feodo suo.* (37) *Diss. de libri vet. de benef. auct. §. XXV. XXVI.* (38) *§. V. XX. XXIV. XXV. XLIV. LXXVI.* (39) *I. Feud. I, 1. 2.*

P R A E F A T I O.

Lotharii Saxonis temporibus auctorem vixisse censuit vir doctissimus, Nic. Hier. Gundlingius (40). At rem omnem conficere videtur locus insignis istius libelli, (41) ubi dicitur, *Regem, quem eligant Teutonici, quum Romam vadat ordinari, secum adducere debere sex principes, qui primi sint in ejus electione, ut pateret Apostolico Regis justa electio.* Hinc enim manifestum est librum hunc paullo post Lotharium scriptum sub Conrado III. vel Fridrico Ahenobarbo. Ante Lotharium enim neminem Imperatorum judicium de electione sua Pontifici Romano detulisse, sed ipsos potius Imperatores de Pontificum electione cognovisse, pluribus jam demonstravit Gundlingius (42). Ex quo autem Lotharius ille Pontifici plurimum tribuere coeperat: hoc arbitrium sibi unice arrogabat Curia Romana, adeo, ut in Caerimoniali Romano (43) legamus, *electum Regem, futurum Romanorum Imperatorem debere decretum electionis Pontifici ostendere, hunc vero solere, viso decreto, & examinata electione in sacro Senatu, habitaque sufficienti informatione, tam super forma electionis, quam super idoneitate & habilitate personae*

(40) in *Diss.* de unione elector. §. XXI. (41) §. VI.

(42) *Gundlingian.* Part III. p. 216. sequ. (43) *Caerimon. Rom. Lib. I. Sect. V. Cap. I.*

P R A E F A T I O.

sonae electi, per commissarios a se constitutos, ad instantiam dicti electi ipsum electum in spiritualem filium suum & ecclesiae Romanae suscipere. Sed notatu dignum est, auctorem Caerimonialis, dum subjungere voluit exempla Imperatorum, qui hoc observarint, non nisi Carolum IV. & antea Henricum VII. & Albertum, ejus praedecessorem, & Rudolphum, nominare potuisse, adjecisseque quidem, & plures alios id fecisse, sed non alios procul dubio intellexerit, quam Lotharium, ejusque aliquot successores. Et quibus, quaeso, temporibus magis convenit numerus ille principum senarius, quam Conradi III. quibus, proscripito Henrico Superbo, & dubia aliquamdiu Saxoniae, & Bavariae possessione, unus ex primariis Germaniae Principibus deerat, adeoque sex tantum supererant, quorum suffragia in eligendis Imperatoribus praerogativa donari jam tum solebant. His ergo demum temporibus prodiit monumentum praestantissimum, ex quo pleraque decerpisse juris feudalis Saxonici & Alamannici auctores, jam ab aliis observatum est. Nec in eo ego quidem quidquam deprehendo, quod isti temporibus minus conveniat, quum & beneficii vox sequioris aevi scriptoribus non ignota sit, & nepotes disertis
verbis

P R A E F A T I O.

verbis a successione excludantur nusquam, sed sub *filiorum* vocabulo commode satis comprehendi posse videantur.

Sed haec quoque scribentem, & plura tecum, **LECTOR**, confabulari volentem interpellant me operae, & praefationem non sine convicio flagitant. Abrumpendum itaque fuit filum, reliquis, quae dicenda supererant, alii occasione sepositis. Tu itaque vale, meisque conatibus fave. Halae e museo prid. Kal. Octobr. M DCC XXXIII.



P R A E F A T I O.

EDITIONI SECUNDAE PRAEMISSA.

LECTORI BENEVOLO

S. P.



Uae mihi hunc adornandi libellum octavo abhinc anno fuerit occasio, AMICE LECTOR, quamque paene praecipiti festinatione ille a me tunc in chartam coniectus sit, ex ea, quam primae editioni praemisi; praefatione, satis, ut opinor, perspexeris. Non potui ergo non tum vereri, ne ea scriptione satisfacisse videar quam paucissimis, iisque saltim, quibus nihil, nisi quod eximia quadam cura scriptum perpolitumque sit, placere solet, perfectius quid atque elegantius sint a me desiderari. Quum enim ea sim tenuitate ingenii, ut & si adnitar, omnesque animi nervos intendam, vix quidquam, quod oculis tuis dignum videatur, proferat: quanto mihi sperare licuit, subitaneum hoc & vix satis praemeditatum opusculum ulli viro docto, maxime in tam ubere, quem saeculum nostrum vidit, tantum librorum proventu esse placiturum?

)()(

Enim.

P R A E F A T I O.

Enimvero multo aliter, quam metueram, res accidit. Tantum enim abest, ut Hecyrae Terentianae fato explosus sit hic libellus, ut, tametsi auditorum tantum usibus initio destinatus, tamen & extra academiae nostrae pomeria invenerit lectores, & distractis paene divenditisque exemplaribus omnibus, nova eaque nitidior editio jam pridem flagitari coeperit. Cur ea non prius prodierit, illi norunt, quibus bibliopolarum res paullo sunt perspectiores. Demum tamen moras omnes, egregii publici studio, ruperunt viri integerrimi, JO. & HERM. VERBEEKII, qui alieni ab execrabili illo libellos alienos furtim recudendi consilio, cum priore bibliopola ita composuerunt rationes, ut ei jure recudendi hanc juris historiam ultro cedere non dubitarit. Quum ergo hi operis redemptores nullis sibi parcendum ducerent sumtibus, ut & splendidissimis typis chartaque prodiret in lucem: debere ego hoc mihi visus sum lectoribus aequis, ut, qui antea imperfectum illud opusculum tam aequo animo tulerunt, ii jam aliquid si non perfectius, at accuratius tamen limatiusque a me accipiant. Itaque tot licet occupationibus distractus, infirmaque valetudine prope oppressus, me recensendo huic libello

P R A E F A T I O.

libello accingo, multa, quae deesse videbantur, suppleo, quaedam novis veterum testimoniis firmo, quaedam, ut fit, emendo ac muto, idque tanto studio, ut si quis opus hoc novum esse crediderit, eum ego non aberraturum a vero esse existimem. Fecerimne operae pretium, tuum, **BENEVOLE LECTOR**, erit iudicium. Me certe nova haec opera navata jurisprudentiae maximopere delectavit, ut adfirmare possim, illam mihi & curas, quibus tum excruciar, plerasque absterfisse, & ad amissas difficili morbo vires recuperandas firmandasque mirifice profuisse. Ceterum ne sic quidem dubito, quin alii eandem rem acturo permagnum reliquerim spicilegium. Experiundo enim didicisse mihi videor, nullam esse difficiliorem veteris historiae partem, quaeque pluribus egeat, paucioribusque instructa sit subsidiis, quam historiam jurisprudentiae. Sive enim veterum rerum publicarum, sive ecclesiae Christianae res & fata quis scribere constituerit, tot exstant incorrupta veteris aevi monumenta, ut se copia fere inopem reddi animadvertat. At quis, quaeso, veterum vel ad historiam juris scribendam, vel vitas jureconsultorum enarrandas adpulit animum? Quotusquisque tot doctorum

P R A E F A T I O.

etorum hominum, qui reipublicae Romanae annales accuratissima industria condiderunt, ea quae ad artem nostram pertinent, non obiter attigit? Solus fere DIONYSIVS HALICARNASSENSIS ea, quae de jure & legibus, earumque interpretatione observatu digniora esse animadvertibat, diligentius videtur persequutus. Sed inviderunt nobis fata maximam operis incomparabilis partem, ut, quae ab anno ab V. C. CCCXII. acciderunt, hodie fere sciamus juxta cum ignarissimis. Livius enim, & si qui alii res Romanas tradiderunt, res potius bello praeclare gestas, quam quae circa leges evenerint, memoriae prodiderunt, &, si quid de his quoque memorant, illas, quae ad rem publicam pertinere viderentur, quibusque tamquam seditionum flabellis populum agitabant Tribuni plebis, paullo diligentius descripserunt, plerisque, quae ad jus privatum amplificandum perlatae fuerant, vel praetermissis, vel levi saltim brachio tactis. Plura ejus generis, eaque praeclara procul dubio in tot libris observaverant veteres jureconsulti, qui, si exstarent integri, non magnopere fortassis laboraremus. Sed hos quoque sive Triboniani industria, sive illaetabili quodam artis nostrae fato amisimus, ut pro instructissimo adparatu
&

P R A E F A T I O.

& ferculis delicatioribus, hodie reliquiis duntaxat, tamquam parasiti, perfruamur. Solum POMPONII fragmentum nobis servavit Tribonianus, si servatum dici potest, quod nobis ubique, ut videtur, luxatum, mutilatumque superest. Saltem plura ac pleniora non scripsisse jureconsultum, nemo sibi temere persuaserit, nisi simul totum enchiridii libellum duabus tribusve plagulis constituisse, velit existimare. Ita fere omnia interciderunt, ex quibus veteres, quorum aetas in beatiora faecula inciderat, juris originem, progressum, fata, legum auctores, eorumque finem ac consilia, edictorum senatusqueconsultorum aetatem, jurisconsultorum vitam, ac quae eorum in jurisprudentiam exstiterunt, merita, discere potuerunt. Jacent hodie tot excellentissimi ingenii viri paene omnes illacrymabiles & obruti multa nocte, quia carent vate sacro, & si dicendum, quod res est, nondum juris historiam, sed ejus paucissima squallidaque rudera, post tot eruditissimorum virorum lucubrationes, habemus. Sed qualecumque istud sit, quod in communi tot veterum monumentorum naufragio interitum evasit, aequi profecto bonique consulendum, & quidquid vel in veterum annalibus, vel in ipsis libris nostris,

P R A E F A T I O.

de jurisprudentiae fati vel obiter notatum occurrit, in rem vertendum videtur. Quod ego quidem hoc libello an praestiterim nescio, conatum me saltim esse id praestare, nullique propterea labori, nullisque vigiliis parvisse & scio, & quemvis, qui libellum perlustrare voluerit, facile perspecturum, arbitror. Quandoquidem vero, qui adhuc in eo argumento versati sunt, plerique non nisi Romanae jurisprudentiae fata descripserunt: me idem agentem facile subegit patriae caritas, studiumque, quod jam a multis annis enucleando juri patrio impendi, haud mediocre, ut & hujus historiam cum illa conjungerem, maxime quum post **HERM. CONRINGIUM**, qui primus Germanorum Germanici juris origines exposuit, pauci fere reperti sint, qui inventis ab eo aliquid adderent, iisque, quae **CONRINGIO** defuerant, subsidiis ad locupletandam pulcherrimam hanc historiae partem uterentur. Jam innumera viderat **CONRINGIUS**; (quid enim scire quisquam vellet, quod docere non posset ingenium istud sine exemplo maximum?) at sexcentis qui post eum e situ & pulvere in lucem protracti sunt, rerum Germanicarum scriptores, innumeraque, quae postea prodierunt diplomata, ille non viderat. Ex quibus sane
per,

P R A E F A T I O.

permulta suppleri posse a viris doctis, quae in opere illo CONRINGIANO desiderantur, facile intelligitur. Ipse sane, cui per alia negotia non tantum fuit otii, ut irem per omnes Germanorum annales, omnesque veteres chartas & diplomata perlustrarem, plura tamen hujus industriae specimina in brevi hoc opusculo mihi videor dedisse, neque dubito, quin multo plures ejusdem generis observationes colligi possint ab iis, qui vel majore instructi adparatu, vel otio magis abundantes, vel felicior ingenio praediti studium, industriamque ad illustrandam patrii juris historiam conferent. Quibus si me mea hac scriptione veluti igniculos quosdam injecisse animadvertero; nae ego mihi operae fecisse pretium uberri- mumque lucubrationum fructum cepisse videbor. Interea, dum alii meliora dederint, utere meis, tuamque benevolentiam, quae mihi & senescenti paulatim ad quidlibet in reipublicae litterariae commodum conandum incitamento erit, mihi integram, quaeso, conserva, atque illibatam. Vale, LECTOR BENE- VOLE. Halae prid. Id. Mart. MDCCXXX.

CANDIDO LECTORI

S. P. D.

JOH. GOTHOFREDUS BAUER

Bibliopola Argentinenfis.

QUum Editio nova, quam Tibi fifto, *Historiae Juris* CEL. HEINECCII in ipfius Tituli rubro novas Tibi accessiones, novaque commoda promittat, eorum ut paucis Tibi ratio reddatur, & ufus & aequitas poftulant. Inter labores egregios, quibus Jurisprudenciam in concinncniorem ordinem redigendo immortalem fibi gloriam apud pofteros quaefivit Vir Literatiffimus, HEINECCIUS, Ejus quoque *Historiam Juris Romani ac Germanici*, avidis initio manibus acceptam, fuma apud Cultores Juris exiftimatione adhuc hodie frui, ex iteratis hujus Libri editionibus dudum fati intellexi. Et quamvis non defint doctiffimorum Virorum varia ac praefantiffima hujus generis fcripta, HEINECCIO tamen, Viro de tota Jurisprudencia meritiffimo, magis, quam cuivis alii, hanc quoque ejus partem, quae

P R A E F A T I O.

quae Juris Historiam tradit, fere debere malunt Cultorum Juris plerique, Heineccianae methodo adsueti. Cum tamen elegantissimum hoc Compendium jam ab aliquo tempore multis visum fuisset nimis succinctum, factum inde, ut non ita pridem V. C. JO. DAN. RITTERVS, Illustre Wittebergenfis Academiae decus, multorum desideriiis satisfactorus, novae istius editioni, quae ante aliquot annos apud Batavos prodiit, notas suas uberiores atque eruditissimas adjecerit, quae primam Heinecciani Compendii partem amplectuntur, & fere in *Capite VI. Libri I.* subsistunt. Unde ipse, cum de nova hujus Libri editione cogitarem, nonnullorum Virorum & hic & in Germania eruditione praestantium consiliis inductus, hanc eo commendatiorem cuivis fore putavi, si in illa, adjectis etiam ad Historiam Juris Germanici notis uberioribus, quibus ipsa praeprimis opus habere videbatur, telam a CEL. RITTERO summa cum laude coeptam, ab alio quodam Viro erudito pertextam atque absolutam sistere possem. Nec conatum eventus destituit. Iteratis enim precibus meis annuit tandem Vir quidam eruditionis aequae ac humanitatis eximiae, a cujus munificentia profici-


P R A E F A T I O.

scuntur, quas Tibi nunc demum exhibeo, *Notae ad Historiam Juris Justinianei & Germanici*, literis Graecis notatae: eo fine conscriptae, ut, quod eruditissimus illarum Auctor ipse mihi saepius testatus est, Cultores Juris, ampliori Librorum apparatu destituti, ex Compendio Ill. Heineccii vel solo praecipua quaevis hoc in genere scitu necessaria depromere possent: simul tamen etiam, sparsis hinc inde floribus atque exemplis, de ipso usu edocerentur, quem Historia Juris in interpretatione Legum habere deberet. Accedit praeterea ab Eiusdem Viri Eruditissimi manu *Historiae Juris Gallicani Epitome*, omnibus Jurisprudendiae Cultoribus eo acceptior futura, quo pauciora sunt scripta, quibus fata Juris Gallicani exponuntur. Denique eo etiam potissimum in hac editione allaboravi, ut citationes bene multae Auctorum & Legum, minus accurate positae, a quibus nequidem Batavorum editio, nitidissima alias, ob absentiam Editoris facile purgari potuit, emendarentur, atque suis quaeque locis restituerentur, quod opera viri cujusdam juvenis eruditi, qui hanc spartam, me rogante, suscepit & typographicis erroribus corrigendis ministras manus adhibuit, in plerisque me obtinuisse arbitror.

Scilli-

P R A E F A T I O.

Scilicet non industriae, non curis, non sum-
tibus pepercit, quo magis primo hoc publico
specimine Tuum favorem, Tuumque patro-
cinium proximis quibuscunque meis conati-
bus conciliarem. Vale & Fave. Scrib. *Ar-
gentinae Idibus Aprilis A. O. R. MDCCLI.*



HISTORIA IVRIS CIVILIS.

LIBER I.

DE ORIGINE PROGRESSV VARIIS- QVE MUTATIONIBVS IVRIS ROMANI.

C A P. I.

DE ORIGINE ET PROGRESSV IVRIS ROMANI SUB REGIBVS.

§. I.

ROMA, Albanorum colonia, sed in-
itio magno advenarum, maxime ad
asylum Romuli confluentium, con-
cursu, postea & totis civitatibus
gentibusque dedititiis intra moenia
receptis sensim suppleta, mores ac religio-
nem majoris patriae, aliarum coloniarum
exemplo retinuit. * Quum ergo illi patrii
mores in scripturam nondum essent redacti:
urbs Roma initio sine lege certa, sine jure certo,
egisse dicitur Pomponio l. 2. §. 1. D. de orig. jur.

Romani
initio sine
lege & ju-
re certo.

* Dionys. Halicarn. *Antiqu. Rom. Lib. I. p. 36.*
Edit. Sylburg. Romam diserte vocat, τὸ Ἀλβαν
δοικίαν, Albanorum coloniam. Et paullo post p.
57. *Edit. citat.* addit: τῶ δ' ἐξῆς ἐστὶ ἡ Νομίταις
ἀρχῆς, ἀλλήλων δὲ καὶ τελευκῶν καὶ τελευκασίωσιν καὶ τὴν
Ἰλίου ἀλωσιν, δοικίαν στίλαντες Ἀλβανοὶ, Ῥωμῆας καὶ
Ῥώμης τὴν ἡγεμονίαν αὐτῆς ἔχόντων, κλιζοῦσι Ῥώμην:

Altero deinde Numitoris anno, post Ilium vero captum CCCCXXXII. Albani, Romuli & Remi ductu, COLONIAM miserunt, condideruntque ROMAM. Uti vero colonias Deos, mores, instituta, sacra cum metropolibus communia habuisse, pluribus exemplis probavit Ez. Spanhem. de usu & praest. numism. tomo I. Dissert. IX. p. 580. seqq. ita de Romanis & Albanis Strabo Lib. V. p. 353. edit. Almeloveen. diserte scribit, eos communia habuisse καὶ ἱερά, καὶ ἄλλα δίκαια πολιτικά. cum sacra, tum alia jura civilia. H. Albani & Romani, origine Pelasgi sunt. Haec enim gens, per universam Graeciam, & inter Aeoles maxime clara, Italiam adiit, & Aboriginibus mixta, Latinum regnum constituit. Vid. Dionysius Lib. I. pag. 7. 8. 18. 24. 75. Strabo Lib. V. pag. 337. 350. Eam ob causam Plutarchus in Romul. init. scripsit, Romam a Pelasgis esse conditam. Consule Scip. Maffejum in Originib. Etrusc. & Latin. cap. 15. Hoc vero tirones ideo docendi sunt, ut ab initio statim historiae Juris Rom. quasdam non levis momenti res, multum ad intelligentiam eorum, quae inferius dicentur, profuturas, capiant. Et primo quidem tenendum est, Latinam linguam antiquissimam, qua priscae Romanorum leges conscriptae sunt, proxime ad proprietatem linguae Aeolicae accedere, quod classicus testatur Dionysii locus Lib. I. in fin. Ῥωμαῖοι δὲ φωνὴν μὲν εἴτ' ἄκραν βάρβαρον, εἰδ' ἀπηήλισμένως Ἑλλάδα φθέγγουσι, μιλίην δὲ τινα ἐξ ἀμφοῖν, ἧς ἐστὶν ἡ πλείων Αἰολίς. Romani autem sermone nec prorsus barbaro, nec absolute Graeco utuntur, sed ex utroque mixto, accedente in plerisque ad proprietatem linguae Aeolicae. Deinde notandum, Romanos Graecorum colonos esse, qui mores à majoribus acceptos, & in Italiam illatos, sanctissime conservaverint, docente eodem Dionysio Lib. I. in fin. quo loco diserte scribit; τὰ δὲ ἄλλα ἰπόσα γένος Ἑλληνικῆ μηνύματα ἐστὶν, ὡς εἶχ' ἕτεροι τινες Ἰάδοι.

δοτικῶντων Διοσώζοντα : Caetera, quaecunque sunt Graeci generis indicia, magis quam uli alii Graecorum coloni retinent. Idem auctor alibi scriptum reliquit, Romanorum ludos, certamina, sacrificia, cerimonias, pompas, Graecam cognationem ostendere; & Romulum, urbis conditorem, civitatem secundum optimos quosque Graecorum ritus ordinasse. Vid. *Lib. II. pag. 90. Lib. VII. pag. 475. 477. 479.* Porro observandum; sapienter Romanos, eo tempore, quo erat post regifugium urbs legibus fundanda, censuisse, legatos in Graeciam mittendos esse, qui describerent Graecarum civitatum, tum florentium, leges, ex quibus deinde corpus aliquod legum Romanarum posset confici. Recte enim respiciebat Senatus Populusque veterem patriam, cujus adhuc consuetudines servabantur. Et ineptae sunt nonnullorum reprehensiones, querentium, peregrinas Romanos leges adscivisse, formae reipublicae, ex civilis prudentiae principiis, nullo modo convenientes. Consul. *infra §. 28.* Denique, facile sibi persuadere poterunt Juris Romani cultores, magnam, non posse non, ob rationes allatas, Juris Romani Graecique, ac legis actionum, conspirationem esse; quam Petitus inprimis, & Rittershusius, ex instituto demonstrarunt. R.

§. II.

Quod tamen nolim eam in partem inter- Id quo-
preteris, ac si populus Romanus nullis plane modo in-
legibus, nulla actionum norma sub urbis telligen-
cunabula usus sit: (qui enim fieri potuisset, dum?
ut sine lege in civitatem coalesceret turba in-
condita, & extorris patria hominum collu-
vies?) sed sensus est, Romanos initio jure
scripto caruisse. * Quod commune illis fuit

cum gentibus plerisque antiquissimis. Tacit. *Annal.* III, 26. Justin. *Histor.* I, I. II, 7. Porphyry. *Ἐπι ἀποχῆς ἐμψύχων*, de abstinentia ab esu animalium, Lib. III. §. 15. in fin. p. 283. edit. Lugdun. 1620.

- * Nimirum lex lata Pomponio est jus constitutum seu scriptum. Id vero ipse opponit *juri incerto* vel consuetudini. *Sine jure* ergo certo egerunt, quod sine lata lege & jure scripto viverent. V. A. Corn. van Bynkersh. *Prætermiff.* p. 15. Similiter Dionys. Halicarnass. *Antiqu.* Lib. X. p. 627. *Ὅτι πῶ γὰρ τότε ἦν ἕτε ἰσονομία ὡς τῶν Ῥωμαίων, ἕτε ἰσηγοεῖα, ἕτε ἘΝ ΓΡΑΦΑΙΣ ἅπαντα τὰ δίκαια τῶν γυμνασίων.* Nondum enim erat apud Romanos jus æquum omnibus civibus, nec omnibus ex æquo suffragandi potestas erat, nec IN SCRIPTURAM relata erant jura omnia. ubi itidem ἰσονομία opponitur τοῖς ἐν γράφαις δίκαις. H.

Pomponii locum optime illustravit V. A. Bynkershoekius, quem, cum planiorem facere vellet Heineccius, in errorem incidit. Dionysii enim verba, ab ipso allata, nihil probant, neque opponitur ἰσονομία scriptis legibus, neque id denotat hæc vox, quod auctor vult. Pertinet vero Dionysii locus ad annum V. C. 293. secundum æram Catonianam, quo tempore reipublicæ status, aliam plane induerat faciem. Etenim tum in foro jam dominabantur Tribuni Pl. qui, ut existerent Patrum de constituenda Aristocratia consilia, postulabant, ut plebeji quoque ad magistratus tam civiles, quam sacros admitterentur, atque ἰσηγοεῖα, sive dicendi libertas, omnibus ex æquo concederetur, fierentque privata publica ex legum præscripto. Nam nondum erat ἰσονομία in Urbe, id est, eo non fruebantur omnes jure, quo Patricii, qui soli magistratus gerebant, judicia administrabant, atque lites jure decidebant, quod
maxi-

maxima ex parte constabat virorum potestate praedictorum praejudiciis. Igitur *ισονομία* hoc loco ad jus publicum, non privatum, pertinet, neque scriptis legibus opponitur, uti clarissime patebit inspicientibus Dionysii locum integrum. Et sane *ισονομίαν* hanc Quirites omnes flagitare poterant, quod eam dudum ante Tullius Rex promiserat oratione ad populum habita, apud laudatum Dionysium *Lib. VI. pag. 215.* Ὑπὲρ πάντων ἢ ταύτων ἔγνω ἰσὴν καὶ κοινὴν ποιεῖν πολιτείαν, καὶ τὰ δίκαια πᾶσι πρὸς ἅπαντας ὅμοια. Praeter haec omnia decrevit aequabilem & communem efficere rempublicam, & cunctorum civium jus aequare. R.

§. III.

Quum vero, ut in nova civitate permulta Regum arbitriam defectu legum supplementant, incidere, quae ad illos antiquae patriae mores componi non poterant: res ipsa poposcit, ut ea omnia temperarentur regum arbitriis, * quae vetustissimis mortalibus pro legibus erant. Seneca *Epist. XC. Justin. Histor. l. 1.* Atque inde est, quod *omnia initio MANV a Regibus gubernata esse*, dicit Pomponius *l. 2. §. 1. D. de orig. jur.*

* Dionys. Halicarn. *Lib. X. p. 627.* ubi de statu juris civilis sub Regibus: τὸ δίκαιον δὲν ὑπ' ἐκείνων, τῶν νόμων ἦν. Jus ab illis constitutum pro lege erat. Quoties ergo nova aliqua ac repentina incidere: toties ipsi Reges erant νόμος ἐμφυχός, viva ac spirans lex, uti loquitur Philo *de vita Moysi Lib. II. p. 506.* H.

§. IV-

Quidquid ergo vel fieri, vel omitti a civibus vellent Reges Romani: id propositis, Hinc Edicta regia

pro lege
erant.

vel per praeconem promulgatis EDICTIS praecipiebant. * Quod facientes manu omnia gubernare dicebantur.

* Hinc passim scriptores mentionem faciunt EDICTORVM regionum, ALBIQUE REGII, veluti Livius *Lib. I. Cap. 32.* § 44. Dionys. Halicarn. *Antiqu. Lib. III. pag. 178. Lib. IV. pag. 216.* MANVS ergo REGIA erat potestas regum edicendi, quaecumque e republica videbantur, quaeque legibus & moribus patriis nondum erant definita. Quo sensu *manus* accipi videtur a Tacito *in Agric. Cap. IX.* H. Reges edixisse, loca plura docent: at de *albo regio* forte dubitare quis posset. Livius *Lib. I. c. 32.* memorat *album* Pontificium, non regium; & *cap. 44.* refert, Tullium cum vinculorum minis mortisque edixisse, ut omnes ad lustrum condendum in campo Martio adessent, quod facere potuit vel ipse Rex, concione advocata, vel ejus jussu, praeco. Similiter apud Dionysium *Lib. III. pag. 178.* Pontificis *album* occurrit, de quo dixi *in praefatione ad Tom. VI. Cod. Theodos.* At enim vero, cum idem auctor *Lib. IV. pag. 216.* de auspicio regio Tullii differens, ita scribat: ταῦτα ἀπαρξάμενος διέθηκεν ἐν φανερῇ ἀγγέλῳ βασιλικόν, *his peractis palam proposuit edictum regium*, locoque superiore tradat, regum tempore, tam leges, quam sacrorum ritus, tabulis quernis fuisse inscriptas, probabile est, has quoque ligneas tabulas inferuisse proponendis edictis regiis. Qui Livium *Lib. I. c. 32.* cum Dionysio *Lib. III. pag. 178.* contulerit, is non poterit non intelligere, Livium, quernas has tabulas, *Album* nominasse. R.

§. V.

Mox tamen leges flagi-

Eum reipublicae statum vel ideo aequo animo ferebat populus, quod Reges ad fastigi-

ftigium hujus majestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio justitiaeque fama evexisset. Quandoquidem tamen, uti recte observavit Cicero *ad Familiar. Lib. IX. Epist. XVI. omnia incerta sunt, quum a jure discessum est, nec praestari quidquam potest, quale futurum sit, quod positum est in alterius voluntate, ne dicam libidine*: non sane mirandum est, ferocem populum, libertatisque cupidum magis, quam patientem, Romulo ipso paullo rigidius dominante, mox LEGES flagitasse, * & tales quidem, quas ipse curiatis comitiis scivisset.

tavit populus.

* Libertatis enim argumentum id est certissimum, *si leges imperent*. Aristot. *Polit. III, 16*. Hinc veteres scriptores civitates *liberas* LEGVM; *regna* PRINCIPVM REGVMque esse, dicebant, legibusque redditam esse censabant civitatem, quae se in pristinam libertatem adseruisset. Testimonia plurima Lucani, Quinctiliani, Claudiani, aliorumque melioris aevi auctorum collegit Jo. Fridr. Gronovius in *Statii Papin. Silv. Diatr. L. I. Cap. II. p. 11. sequ.* Addo ego, & Graecos ita loquutos, veluti Aristotelem, qui dum *Politic. III, 11.* ex instituto quaerit, *ποτερον συμφερε μάλλον, ὑπὸ τῶν ἀρίστων ἀνδρῶν ἢ ὑπὸ τῶν ἀρίστων νόμων;* praestetne a bono viro regi, an a bonis legibus? manifesto imperium boni viri pro principatu; imperium bonae legis pro libertate accipit. Hinc semper, qui libertatis, iidem & *ισονομίας* adpetentissimi esse solent. H.

Magna circa hanc observationem cautione opus est, ne forte per *civitates liberas, legumque*, eas intelligamus, quae *ἀλιενομία* gaudent. Ipse Gronovius non satis circumspēcte hic egit, quod varia veterum auctorum loca ab eo adducta testatum faciunt. Sunt ex rationibus philosophicis ci-

vitates legum, liberae, quia nimirum in iis leges imperant, neque ex arbitrio suo magistratus omnia possunt agere. Sed alio plane sensu dicuntur civitates, νομῖς τοῖς ἰδίοις κερνάξ, aut ἔθει παλαιοῖς καὶ ἰδίοις, suis, seu patriis legibus consuetudinibusque vivere, quibus a novis Dominis aut victoribus, alienae leges vel nunquam obrusae sunt, summaque permessa est libertas rempublicam secundum antiquum, haecenusque receptum, morem gubernandi, vel quibus adempta secundum patrias leges vivendi facultas, singulari populi victoris beneficio restituta est; quo pertinet Ciceronis locus ad Att. Lib. VI. ep. 2. Omnes suis legibus & iudicii usae, ἀπονομίαν adeptae, revixerunt. Vid. Spanhem. de usu & praestant. numism. dissert. IX. p. 680. sequ. R.

§. VI.

Idque &
reip. for-
ma exi-
gere vi-
debatur.

sum erat

Immo hoc vel ideo suo quodam jure postu-
labant Romani, quod Romulus ipse non me-
rum principatum instituerat, ceu ex male in-
tellecto loco Taciti *Annal. III, 26. & l. 2. §. 1.*
D. de orig. jur. vulgo colligunt, sed summum
imperium ita communicaverat cum patribus
& populo, ut REX senatui praeesset, popu-
lum rogaret, bella administraret, & jus in urbe
diceret: PATRES consilia cum rege de repu-
blica caperent, magistratusque gererent: PO-
PVLVS denique in comitiis de legibus, de
bello & pace, nec non de magistratibus cre-
andis curiatim ferret suffragia. * *Dionys. Ha-
licarn. Antiqu. Lib. II. p. 87. & Lib. IV. pag. 224.*

* Recte ergo L. Ampelius *Lib. memor. Cap. L.*
tria esse observat rerumpublicarum genera: esse ta-
men & quartum genus, quod Romani commenti
sint, ut ex his tribus unum efficerent. His non ob-
loqui.

loquitur Pomponius, dum omnia aliquamdiu a Regibus manu gubernata esse, memoriae prodiit: ut adeo merito miremur, virum doctissimum, Scipionem Gentilem in *Disp. illustr. de jure publ. Rom. disp. I. §. II. p. 8.* scribere non dubitasse: *Quod Pomponius scribit: Initio civitatis nostrae omnia manu a Regibus gubernabantur, quod nihil aliud est, quam summum omnium rerum arbitrium ac judicium penes eos fuisse: id de Regibus Romanis dici non posse, nec a Pomponio dictum, existimamus.* Adeo totam illam legem Pomponio abjudicare mavult vir eximius, quam credere, *reges initio omnia manu gubernasse:* quod his verbis veram *παμβυσιαλείαν* describi putaret. H.

Disputavit quoque late adversus Scipionem Gentilem Rupertus ad *Pompon. Enchirid. Lib. I. cap. 2.* Sed imprimis consulendus est Georg. d'Arnaud *Var. Conject. lib. I. c. 3.* qui solide demonstrat, ipsum Dionysium humani quid passum esse, quod adductis in locis scripsit, populum sub regibus magistratum creandorum potestatem habuisse. Scimus enim, Regum tempore, magistratus in urbe nullos fuisse, idque Tacitus non modo *Annal. Lib. VI. cap. 11.* sed & Pomponius *l. 2. §. 14. D. de O. J.* docent, atque praeterea Dictatura Romana confirmat, quam ipse Dionysius *Lib. V. pag. 337.* imaginem regiae potestatis fuisse scribit. Jam vero, quis ignorat, Dictatore ad gubernacula reipublicae sedente, magistratus omnes cessasse? Nec in magistratum numero fuerunt Regum tempore, Praefectus Urbi, Tribunus Celorum, & Quaestores. Vid. Idem. *l. c.* Recte igitur Pomponius scripsit, *omnia manu reges gubernasse.* Imo clarissimum testimonium suppeditat Dionysius *Lib. IV. pag. 228.* Regem de omnibus delictis judicasse. Quod, cum faciebat, consiliariorum utebatur opera, docente eodem *V. Cl. lib. I. c. 17. R.*

§. VII.

Hinc la-
tae leges
curiatae.

Hinc ipse ROMVLVS *leges quasdam curia-
tas ad populum tulit. l. 2. §. 2. D. de orig. jur.*
Quum enim ipse populum uniuersum pri-
mum in tres TRIBVS, *Tatiensem, Lucerem &
Ramnetem*, hasque deinde in triginta CVRI-
AS descripsisset. *Dionys. Lib. II. p. 82. sequ. Fe-
stus voce Curiae.* * Quoties ferendae essent le-
ges, populo indicebat comitia, peractisque sa-
cris, & addicentibus auspiciis, eum rogabat
verbis sollemnibus; VELITIS IVBEATIS,
Romani. (QVIRITES enim multo post a Ro-
mulo in coelum, ut fingeant, rapti cogno-
minari coeperant: *Flor. Hist. I, 1.*) ** Quo
facto curiae ibant in suffragia, & quod plu-
res sciverant, id pro lege erat, & legis cu-
riatae nomine veniebat. *** Unde lucem
capit definitio legis. §. 4. *Inst. de jur. nat.
gent. & civ. *****

* Nomina trium Dionysius *l. c.* memoriae non tra-
didit. Festi locus ad *curias* pertinet. Consulen-
dus igitur est Varro *de L. L. Lib. IV. pag. 11. in-
ter Auct. Lingu. L. Gothofred.* qui haec habet:
*Ager Romanus primum divisus in partes tres, a
quo tribus appellatae, Tatiensium, Ramnium, Lu-
cerum. Nominatae, ut ait Ennius, Tatienses a
Tatio, Ramnenses a Romulo, Luceres, ut ait Ju-
nius, a Lucumone.* Addendus Festus, *vocc. Ta-
tiensis, Turma, & Asconius in Verr. Lib. I. c. 5.*
Livius *Lib. X. c. 6.* scribit; *ut tres antiquae tribus,
Ramnes, Titenses, Luceres, suum quaeque augu-
rem habeant.* ubi videndus Gronovius. Tribus
Plutarchus etiam *in Romul. pag. 30.* & Propertius
Lib. IV. eleg. 1. v. 31. nominant, atque de iis ac-
curate

curate disputant Sigonius *de Ant. Jur. Civ. Rom. Lib. I. c. 3.* Georg. d'Arnaud *Var. Conject. Lib. II. c. 8.* & Ernesti *in Clav. Ciceron.* Haec vero populi Romani descriptio a Graecorum moribus quoque repetenda est. Nam apud Athenienses *κρεία ἐκκλησία* & *κρεία* simpliciter, populi concio legitime convocata appellabatur. Romulus vero non toti populo, sed parti trigesima, quae tamen cum XXIX. rite vocata, idem jus habebat, nomen hoc imposuit. *κρεία* igitur est Latinorum *Curia*. Vid. Gronovius *in Epistol. subjecta Commentar. de Pecun. Vet.* Similiter apud Graecos *τριτὺς*, pro quo Aeoles, *τριπὺς*, unde *Tribus*, tertia pars tribus vocata est. Harpocraton. *voc. τριτὺς*, Pollux *Lib. VIII. c. 9. sect. 31.* Atheniensium enim aliquando *φυλαὶ* quatuor erant, singulaeque in tres *τριτῦας*, & hae in triginta *γένη*, secabantur. Romulus itaque civium descriptionem faciens, omissis *φυλαῖς*, reddidit *τριτῦας*, aut *τριπῦας*, *tribus*, & *γένη*, *curias*, appellavit, fervans tricenarium numerum, non in singulis, sed in omnibus tribubus. Confer. Mauissacus *ad Harpocrat. voc. γενηταί.* Etymol. *ibid. Observat. Vironum doctor. ad Polluc. l. c.* Meursius *de regn. Att. Lib. I. c. 7.* Gronov. *l. c.* & Graevius *praefat. ad Tom. I. Thesaur. Antiquit. Rom. R.*

** Neque id, quod Heineccius vult, Florus refert, neque, si ab eo relatum esset, ejus auctoritas sufficeret. Romulum in coelo *Quirinum* vocari, laudatus Historicus memorat. Sed a Quirino non sunt Quirites, quamvis id velit Justinianus §. 2. *Inst. de Jur. Natur. Gent. & Civ. Romani Quirites*, a *Curibus* Sabinorum metropoli, dicti sunt. Cum enim post cruentum bellum cum Tatio Sabinorum Rege gestum, pax non modo, sed ex duabus civitatibus, Roma, Curibusque, una facta, regnumque confociatum esset, Livius *Lib. I. c. 13.* scribit: *Ita geminata urbe, ut Sabinis tamen aliquid daretur, Quirites a Curibus appellati.*

Rem

Rem uberius edifferunt Dionysius *Lib. II. pag. 111.* & Plutarch. *in Romul. pag. 30.* qui auctor est, inter foederis, cum Tatio Rege ic̄ti, atque jurejurando confirmati, conditiones, hanc quoque fuisse; καλεῖσθαι μὲν Ῥώμῳ ἐπὶ Ῥωμύλῳ τῷ πόλιν, Κυρίως δὲ Ῥωμαίους ἀπαντας ἐπὶ τῇ Τάτιῳ πατρίδι: *Roma urbs a Romulo, Romani omnes Quirites a Tatii patria vocarentur. Curetes, sunt Quirites* ob affinitatem literarum, ut, *Cointus, cotidie,* & innumera docent. Id vero nomen usu mox invaluit, cum Numa, gente Sabinus, Rex Romanorum crearetur. Fuerunt autem Sabini, Lacedaemonii origine, austeraeque Laconicae disciplinae feveri custodes: quod ideo monendum, ne quis sibi forte persuadeat, Romam, mox ab incunabulis reipublicae, auctam barbarorum colluvie, moresque Graecos immutatos esse. Vid. Dionys. *Lib. II. pag. 113.* & Plutarch. *in Rom. pag. 26. R.*

*** Videntur LEGES CVRIATAE tantum ad Servii Tullii Regis tempora obtinuisse. Hic enim nova inventa populi partitione in classes, ut potentiorum atque opulentiorum suffragia plebis infimae turbaeque proletariae consiliis praevalerent, pleraque per comitia CENTVRIATA explicavit. Accesserunt postea demum comitia TRIBVTA, in quibus plebiscita potissimum fiebant tribuum suffragiis. Denum libera republica tam rarae esse coeperunt LEGES CVRIATAE, ut eo nomine, mutata notione venirent decreta, quibus magistratibus majoribus imperium militare auspicii causa deferebatur. Liv. *Lib. V. Cap. 46. & Lib. IX. Cap. 38.* De qua lege *curiata* inter viros doctissimos, Car. Sigonius & Nic. Grucchi-um acrem intercessisse disputationem novimus. Scripta amoebea eo pertinentia *Thesaurus Antiquitatum Romanarum Tomo I. p. 531. sequ.* inseruit Graevius. H.

In duabus causis habebantur Romae Curiata
Coma.

Comitia per lictores, primo, *de re militari*, & deinde, *de adoptione*, quod docet Ernesti in *Clav. Cicer. voc. curiatus*, & in *Ind. LL. voc. curiata*. R.

**** Vellem, hoc Auctori non excidisset. Institutionibus enim dicto loco, lux afferenda est ex historia Comitiorum Centuriatorum. R.

§. VIII.

Talium legum curiatarum a ROMVLO Exempla
legum
Romuli. perlatarum vestigia passim exstant, non quidem in vetere tabula, quam Franc. Balduinus se a Jo. Barthol. Marliano accepisse, scribit *ad Leges Romuli p. 22. Tomi I. Jurispr. Rom. & Attic.* (eam enim a recentiore manu esse, nemo negaverit. vid. Schubart. *de Fatis jurispr. Rom. Exerc. I. p. 64.* *) sed apud auctores veteres, ** ex quibus eas collegerunt cum alii, tum Ant. Augustinus, Justus Lipsius, Fulv. Ursinus, Franc. Balduinus, & his omnibus accuratior Paull. Merula *de Legib. Rom. Cap. II. sequ.* ut adeo falsi sint Justinianus *Novell. XLVII. praef.* & Gratianus *can. I. Distinct. VII.* quia Romulo nihil omnino legum latum, existimarunt.

* De Tabula Legum Romuli, a Marliano edita, Georg. d'Arnaud *Var. Conject. Lib. I. c. 3.* & eruditorum judicia proponit, & probat, auctorem ejus, linguae Latinae, rituumque antiquorum ignarum fuisse. R.

** Tales leges ad jus privatum & animadversionem in facinorosos homines pertinentes, apud Dionys. Halicarn. *Lib. II. p. 95. sequ.* sunt sequentes: *Mulier, quae secundum sacras leges convenit in manum, particeps bonorum sacrorumque mariti esto. Patri in liberos jus vitae & necis, illos*

illosque ter venundandi jus esto. Tertium venundati & manumissi e patria potestate exeunto. Sordidas sellulariasque artes cives ne faciunt, sed studiis militaribus rei que rusticae vacant. Temetum mulier ne bibito. Et apud eundem Lib. cit. pag. 88. Quod natum erit, parentes tollunt. Monstrosos partus sine fraude exponere jus esto. Addatur Lib. IX. pag. 580. Lib. XI. pag. 715. Ex aliis scriptoribus hae colliguntur: SEI PATRONOS CLIENTEI FRAVDEM FAXIT, SACER ESTOD. Serv. ad Virgil. Aeneid. VI. v. 609. Moenia sancta sunt. Plutarch. in Romulo p. 23. & in Quaest. Rom. Tom. II. pag. 271. Est quoque fragmentum legis Romuli de nuruum in foceros saevitia apud Festum in Plorare: cui occasionem dedisse mulierum Sabinarum a Romanis raptarum ferociam, suspicatur Merula de Leg. Rom. Cap. II. §. 4. Reliqua Romuli instituta ad sacra & rempublicam, atque adeo ad jus publicum, pertinent. H. Emendavi nonnulla, cum observassem, Auctorem eos, qui Romuli leges, & colligere, & illustrare studuerunt, confidentius secutum esse. Monitos deinde hos volo, qui praelectiones historicas instituunt, ut hoc loco tirones doceant; qua ratione nuptiae per consarreationem factae sint, quantumque illae olim valuerint: qui patrimi, matrimique fuerint, quam in sacris habuerint praerogativam: & Diffarreatio, quid sit. Patria quoque potestas confundenda non est cum imperio militari, aut potestate civili, vi cujus parentes omnes, nec hi solum, qui Romano jure utuntur, coguntur in liberos, mala patrantes facinora, animadvertere. Video enim ipsum Dionysium, de patria potestate, Lib. II. pag. 97. exponentem, cum ad Manlii Torquati Cos. factum, qui filium contra edictum, & extra ordinem pugnantem, securi percussit, provocat, gravem commisisse errorem. De vini usu, mulieribus interdicto, est locus apud Gell.

Gell. Noct. Att. Lib. X. c. 23. De *pártus. expositione* videndi Gerard. Noodt in *Julio Paulo*, & Corn. Bynkersh. de *jure occidendi, vendendi & exponendi liberos*. *Jus patronatus* Romulum invexisse in urbem, Dionysius Lib. II. pag. 83. sequ. testatur, probatque, eo antiquissimos Graecos usos esse. Ad vero, exactis Regibus, in XII. migravit, e quibus profert Servius l. c. Romuli nullam mentionem faciens. Quod jus, quia mirifice jovit Patriciorum, de Aristocratia introducenda, consilia, atque simul amplam ipsis praebeuit occasionem, Jurisprudentiam, tanquam gentilem possessionem, sibi vindicandi, paullo uberius hic elucidandum est. *Patroni etiam caussarum, clientes, lex Cincia*, de patronorum officio gratuito praecipiens, ex jure Patronatus lucem capiunt. De *moenium sanctitate* differuit Plutarchus l. c. Romulum vero muros, lege data, sanctos esse voluisse, is auctor, quantum quidem scio, nullibi memoriae prodidit. Forte hi, qui Romuli leges conquisiverunt, respexere ad locum Ovidii *Fastor. IV. v. 839.* cujus tamen ego auctoritatem sequi nollem, cum persuasum mihi sit, rectius sanctitatem moenium ex moribus Graeciae antiquissimis deduci. Tandem Festus l. c. non memorat legem de *nuruum* in *soceros* faevitia, verum haec apud eum leguntur? *In Regis Romuli & Tatii legibus: Si nurus sacra divis parentum esto. Et in Servii Tullii haec est: Si parentem puer verberit, ast olle plorassit, parentes, puer divis parentum sacer esto.* Quae verba, cum sensum vix admittant, Scaliger per trajectionem ita emendavit: *In Regis Romuli & Tatii & Servii Tullii legibus haec est: Si parentem puer verberit, ast oloe plorassint, puer divis parentum sacer esto. Sei nurus, sacra divis parentum esto.* Paullo aliter Merula legendum censet, & ingenio indulgens statuit, legem ferociae Sabinarum raptarum fuisse oppositam, quae & *soceros* & *focrus* verbeibus

bus afficere confueverint. Quae conjectura, licet videam a plurimis eam probari, mihi tamen semper displicuit. Et primo quidem, quod ad foceros attinet, erant hi familiae principes, habebantque filium, nurumque in potestate, & iudicio domestico, ex lege Romuli de patria potestate, poterant coërcere. Deinde, quis credat, solas Sabinas adeo fuisse feroces, ut propter eas hac lege opus fuërit? Porro, licet secundum Terentium omnes focrus oderint nurus, verberare tamen eas vix potuerunt, ob metum, ne focer graves ex continenti ab iis fumeret poenas. Etenim, fingi ne quidem potest, focrus omnes fuisse viduas, in quas, eam ob causam, nurus, liberius exercere potuerint crudelitatem. Et quis sibi persuadeat, focrum ipsum patienter excepisse a nuru verbera, ni senem fingere velit decrepitem? Tandem in lege *parentes* occurrunt, quo nomine, quantum quidem ego video, hac aetate, neque focer, neque focrus, possunt intelligi. Igitur ita sentio; pertinere legem, tanquam appendicem, ad eas, quae de patria potestate latae sunt, & quarum hodie verba legitima pauca quoque superant. Ejus vero sensum hunc esse puto: *Filia matrem verberans, sacra esto: Filius patrem verberans, sacer esto. Nurus est omnis mulier, filia, virgo, mater, nupta, innupta, quod sciunt Claudiani lectores, docetque Broukhufius ad Propert. Lib. II. eleg. 5. v. 18. Puer est filius, uti ex Lexicis notum; & pueri dicuntur, qui virilem sumpserunt togam, observante Manutio ad Ciceron. Lib. II. Famil. ep. 1. Potuit vero antiquissimis temporibus, cum in summa Romani paupertate viverent, & ab aratro arcesserentur, qui Consulatum gererent, sexdecim Aelii unam domunculam, unum in agro Vejente fundum possiderent, clarissimisque viris funebris lectus & rogos mortuis deessent, ut est apud Valer. Max. Lib. IV. c. 4. facile contingere, ut patriae majestati*

jestati aduersus filios ne locus quidem esset. Quomodo enim pater, vel summa senectute, vel continuis bellorum laboribus confectus, atque ob paupertatem fervorum familia carens, filium immorigerum improbumque, corporis vero viribus maxime valentem, in ordinem redigeret? Mater, praesertim vidua, qua ratione ferocientem filiam coërceret? Sed potuit etiam, quod praevideo omnes sensuros esse, maxima parentum in liberos potestas, horum aliquando exacerbare animos, & locum quasi furori facere. Ne vero, cessante iudicio domestico, inulta essent liberorum pessima facinora, hac lege cautum, ut sacri essent, qui parentes verberassent, civitasque ab iis supplicium fumeret. Possem plura addere, nisi chartae parcendum esset. Iis autem, quibus haec, quae scripsi, displicent, alia suppeditabit Georg. d'Arnaud *Var. Conject. Lib. I. c. 5.* At fortasse mecum plerique sentient, praesertim, ubi attenderint ad locum Plutarchi in Numa pag. 77. quo veterum monumentorum auctoritate retulit: *Primam Pinarii uxorem, Thalaeam nomine, iurgia habuisse cum socru Geganiam, Tarquinio regnante Superbo. R.*

§. IX.

Sed & sequentes Reges leges quasdam curi- Nec non
 atas ad populum tulisse constat. Et NVMA a Numa,
 quidem POMPILIVS eas potissimum, quae Tullo
 ad sacra pertinere visa sunt, adjecit, Tacit. Hostilio
 & Anco.
Annal. III, 26. quas ipse in octo partibus pro
 totidem classibus descripsit. * Dionys. Hali-
 carn. *Antiqu. Lib. II. p. 124.* De TVLLI HO-
 STILII legislatione testem habemus eum-
 dem Dionysium *ibid. p. 94.* qui & *Lib. III.*
p. 160. laudat legem de tergeminis ex pu-
 blico

B



blico alendis, ad suam usque aetatem observatam. Reperta etiam quaedam ab ANCO MARCIO, Tacit. *Annal.* III, 26. qui tamen Numae praecipue, avi, instituta in usum revocasse fertur. Liv. *Hist.* I. 32.

* Sacris istis institutis, quibus simulato nocturno cum Egeria nympa congressu auctoritatem conciliabat, Liv. I, 19. Dionys. *Lib. II.* p. 122. callide utebatur Numa ad eo acriora vincula legibus civilibus injicienda. Sic ut vites diligentius putarent cives: sanxerat: *ne quis Diis ex vite imputata libaret.* Plin. *Hist. Nat.* XIV, 12. Ne infanos sumtus sepeliendis cadaveribus coenisque impenderent: instituerat, *ne quis vino rogam respergeret:* Plin. *ibid.* neve pisces nisi squamosos ad pollutum emerent. Plin. *Lib. XXXII,* 2. Ne termini nefarie moverentur: neve pellicatus glisceret in civitate; vel fidem quisquam impune fallere auderet: callide praeceperat, *ut Terminus Deus esset, & si quis terminum exarasset, ipse cum bobus Divis sacer esset:* Dionys. Halicarn. *Lib. II.* p. 133. Festus *in voce Termino.* *Ne pellex aram Junonis tangeret: si tetigisset, crinibus demissis agnum feminam caederet.* Fest. *in voce Pellices.* Denique, *ut Fidei numen omnes metuerent.* Dionys. *ibid.* p. 134. Proprie ad leges civiles Numae pertinent sequentes: *Si quis liberum hominem dolo malo occiderit, parricida esto: sin imprudens, in concione pro capite occisi & natis ejus arietem offerito.* Festus *in voce Parricid.* *Quaest. Si filius familias, volente patre, uxorem duxerit, patri ejus venundandi potestas ne esto. Vidua intra decem menses luctus ne nubito:* Plutarch. *in Numa* p. 67. & 71. Addimus legem regiam, cujus mentio fit l. 2. D. *de mort. infer. ne mulier, quae praegnans mortua fuerat, nisi exciso partu humetur.* Ejus enim auctorem esse NVMAM, ex ipsa illius indole colligit Ant. Augustin.

gustin. *de Legib. & Senatusconsf.* p. 130. Sunt qui Mosis leges, sunt qui Pythagorae instituta Numae ob oculos fuisse contendunt. Clem. Alex. *Stromat. Lib. I. p. 304.* Euseb. *praeeparat. euang. Lib. IX. Cap. 6. p. 410.* Sed, uti prius vix probabile: ita posterius manifesto falsum, & ob rationes chronologicas absurdum est. Liv. *Hist. I, 18.* Dionys. *L. II. p. 121.* H. Sunt & hic quaedam monenda. Et primo quidem Numae libri, quos ex Dionysio Auctor producit, ad leges ejus curiatus minime pertinent. Rex enim octo sacrorum classes fecit, totidemque libris ea omnia perscripsit, quae ad religiones cerimoniasque pertinebant, & a sacrorum munerum ministris erant peragenda. Deinde, idem rerum Romanarum scriptor *Lib. II. pag. 94.* nihil de Tulli Hostilii legibus, quibus is rempublicam ordinaverit, memoriae tradidit, verum id tantum memoravit, Reges post Romulum, & inter hos quoque Tullum Hostilium, de cultu Deorum quaedam constituisse, seu, ut Livius loquitur, *Lib. I. c. 31. religionibus etiam populum impleffe.* Id vero hoc loco omittendum non est, a Numa institutum esse Pontificum collegium, testibus Dionysio, Livio, Plutarcho. Cum vero Pontificum scitis sacra omnia publica privataque essent subjecta, ipsique de sacris novas ferrent leges, fastos haberent, de votis, de feriis, de sepulcris, & si quid ejusmodi est, judicarent, Cicer. *de Legib. Lib. II. c. 19. pro Muren. c. 11.* Dionys. *Lib. II. pag. 132.* Liv. *Lib. I. c. 20.* facile est ad intelligendum, Pontificii Juris cognitionem ad intelligentiam Juris Civilis pernecessariam esse. Est enim tam arcta Juris utriusque conjunctio, ut veteres Jcti jam pronuntiaverint, esse Jurisprudentiam humanarum divinarumque rerum scientiam. Ipsae XII. tabulae X. jus sacrum comprehendunt, & sequente, de detestandis sacris, loquuntur. Lege agi possit, nec ne, Jus Pontificium docet; nuptiae, arrogationes,

adoptiones, Pontificum auctoritate fiunt. Hereditas, quae sine sacris privatis non potest intelligi, agnatorumque successio, ex Jure Pontificio lucem capiunt. Vide hac de re examusim disputantem Georg. d'Arnaud *Var. Conjecturar. Lib. II. c. 1.* De jure vero Pontificio consulendi sunt Gutherius & Bosius. Varias doctorum virorum opiniones de auctore *Legis 2. D. de mort. infer.* collegit Idsinga *Var. Jur. Civil. c. 14.* Tullus Hostilius, cujus erat de delictis capitalibus judicare, *Duumviros* fecit, qui Horatio perduellionem judicarent; ab eorum tamen sententia provocationem concessit ad populum. Et tum primum populus nactus est capitalis judicii potestatem. Dionys. *Antiquitat. Lib. III. pag. 159. Liv. Lib. I. c. 26.* Sigonius *de judiciis Lib. II. c. 4. & de antiqu. jur. civ. Rom. Lib. II. c. 18.* Ancum Marcium, scimus, primum media in urbe aedificasse carcerem, ad terrorem incrementis audaciae. *Liv. Lib. I. c. 33. R.*

§. X.

An & a
reliquis
Regibus?

TARQUINIÏ PRISCI lex, quae quidem ad Jus privatum pertineat, a veteribus nulla describitur: at tanto plures laudantur SERVII TVLLII, non curiatae tamen, sed centuriatis, uti videtur, comitiis perlatae.* Quas deinde omnes uno edicto sustulit, suo omnia arbitrio, tamquam tyrannus, acturus TARQUINIVS SVPERBVS. Dionys. *Halic. Antiqu. Lib. IV. p. 245. & Lib. V. p. 278.*

* SERVIVS TVLLIVS non modo Romuli & Numaes leges revocavit in usum: Dionys. *Lib. IV. p. 216.* sed & plures novas sanxit, veluti de judiciis, Dionys. *ibid. p. 228.* de libertinis civitate donandis, *ibid. p. 226.* Cicero *pro Cornelio Balbo*

Cap. 9. de civibus ob aes alienum in vincula non ducendis: *Ibid. Lib. IV. p. 215.* de filio patrem verberante: Festus *in voce Plorare.* Denique de contractibus & injuriis privatis. Dionys. *Lib. IV. p. 218.* & *Lib. V. init. p. 278.* Unde Tacitus *Annal. III, 26. Praecipuus,* inquit, *Servius Tullius sanctorum legum fuit, quibus etiam Reges obtemperarent.* Nam cum in toto imperio suo, tum in ferendis legibus tam popularis erat, ut non modo de patrum, sed & regia potestate dimidium detraxisse videretur. Dionys. *ibid. p. 228. H.* Cum Servius Tullius statim ab initio regiminis leges tulerit, classibus nondum factis, fuerunt eae necessario *curiatis comitiis* perferendae, quod & Dionysius expressis verbis docet *Lib. IV. pag. 218.* Ἐπειτα τὰς νόμους τὰς τε συναλλακτικὰς καὶ τὰς περὶ τῶν ἀδικημάτων ἐπεκύρωσε ταῖς φεάτραις. ἦσαν δὲ πενήκοντα ἢ ἀριθμόν. Quae verba optime interpretatus est Georg. d'Arnaud *Var. Conject. Lib. I. c. 17.* Deinde *CVRIATIS COMITIIS leges sanxit de contractibus & DELICTIS: erant autem illae quinquaginta.* Nam viris doctis & Gelenius & Sylburgius fraudem fecerunt, vertentes, *de contractibus & injuriis.* Recte vero observat laudatus V. Cl. de *injuriis* proprie ita dictis, vix verisimile esse, quicquam sanxisse Tullium, quandoquidem rudi illa aetate, homines non in magistratuum legumque auctoritate, sed in propria virtute, adversus injurias praesidium sibi positum esse, existimasse videantur. Patere praeterea e XII. in quibus viginti duntaxat assium poena, contra eum, qui civem pulsasset, constituta est, veteres injurias illas magni non fecisse, nisi ita atroces, ut contumeliae terminos excederent, & in maleficii, sive gravioris delicti speciem inciderent. Deinde, cum Servium Tullium primum aes signasse memoret Plinius *H. N. Lib. XXXIII. c. 3. B. Branchu Observat. decad. II. cap. 12.* conjicit, inde occasionem Regi natam esse, legum de

contractibus rogandarum. Ego vero, quamvis negare nolim, a Tullio aes signatum esse, hanc conjecturam ideo admitti non posse censeo, quia leges de contractibus a Tullio, mox ut regnum adeptus est, perlatas esse scripsit Dionysius, quo tempore, ne probabile quidem est, Regem de aere signando cogitare potuisse. Imo hoc mihi persuasum est, ipsam populi per classes distributionem, censuramque facultatum causam fuisse signandae pecuniae. De *classibus* autem his minime omittendus est elegantissimus locus Dionysii *Lib. IV. pag. 222.* ubi de Graeca vocis origine differuit. Erravit etiam Heineccius cum iis, qui leges regias collegerunt, dum lectoribus persuadere vult, Tullium *de iudiciis* leges sanxisse. Etenim Dionysius *Lib. IV. pag. 228.* hoc tantum scriptum retulit, Servium non omnes lites, antecessorum more, adhibitis in consilium viris prudentibus, (ut Livius docet *Lib. I. c. 49.*) ad sese traxisse, nec omnia delicta publica privataque iudicasse, verum dimidium quasi regiae detraxisse potestati, ac de gravioribus tantum causis statuisset, minorum vero cognitionem demandasse privatis iudicibus, providisseque, ne quid incaute ii pronuntiarent. Vid. Georg. d'Arnaud *Var. Conject. l. c.* Libertinos, quibus jus civitatis datum, in quatuor urbanas tribus distribuisse Tullium, Dionysius *l. c.* quidem memorat, legem vero Regem dedisse *de libertinis civitate donandis*, apud eundem scriptum non invenio, nec Cicero *pro Balbo l. c.* id affirmat, neque haec tempora respicit. Imo Dionys. auctor est, Patricios, quibus hoc Tullii institutum displicuerat, permisisse tandem, τὸ ἜΘΟΣ εἰς τὴν πολιτείαν παρελθεῖν, ut MOS in rempublicam reciperetur. Hunc vero morem, recipiendi libertinos in tribus urbanas, post Reges exactos fuisse neglectum, Livius docet *Epitom. Lib. XX.* ante belli secundi Punici tempora, a Cenforibus libertinos in

in quatuor tribus redactos, referens, quum antea per omnes dispersi fuissent. Porro, non satis constat, an legem Tullius tulerit, *de civibus ob aes alienum in vincula non ducendis*; cum Dionysius recensum legum faciens, eam taceat, idque tantummodo prodat, Tullium, eo tempore, quo regnum sibi parabat, plebem variis deliniisse blandimentis, & convocata concione promississe, cauturum se, ne quis ob aes alienum in vincula duceretur, neve foeneratores jus haberent in libera corpora, sed debitorum facultatibus essent contenti. Scio, Heineccium *Antiquit. Lib. III. tit. 30. §. 3.* statuisse, non esse dubitandum, quin Rex promissis steterit, cum extremis temporibus exagitatus a patriciis in altera concione conquestus sit, ideo se adpeti infidiis, quod pauperum libertatem adversus foeneratores conservaverit salvam. At enimvero, altera illa concio, quam Dionysius *pag. 216.* tangit, non ultimis temporibus a Rege convocata est, sed antequam regium conscenderet solium. Cumque adhuc concionantem Tullium, plebs adversus patrum voluntatem Regem declarasset, isque paulo post, publicum agrum, quod in concione quoque promiserat, inter plebem diviserit, & leges de contractibus tulerit, quas Dionysius *Lib. IV. p. 245.* perspicue tradit, patriciis oppositas fuisse, his potissimum videtur libertati plebejorum prospexisse. Etenim contractus mutui, faeviendi occasionem adversus plebejos amplissimam, patriciis praeberere potuisset, facile omnes judicabunt. Hanc autem faevitiam variis rationibus Rex coercere potuit, plebejorumque corpora libera praestare a summa injuria, definiendo, ut & aes alienum confessum esset, & iudices, quos Rex dederit, reos audirent, & induciae, & vindices, concederentur; cum antea patricii, eos, qui debitum ex contractu, aut non poterant exsolvere, aut nolabant, exceptione forte utentes, statim atque pro-

lubitu in servitutem abduxissent. Certe si Tullius lege cavisset, ne quis posset ob aes alienum in vincula duci, nunquam profecto permisissent Quirites, ut Decemviri, ea abrogata, duram, libertatique maxime inimicam legem, tabulae tertiae, de rebus creditis, inscriberent, inprimis cum Dionysius *Lib. X. pag. 681.* auctor sit, Decemviros decem priores tabulas, antequam populi suffragiis confirmarentur, non tantum promulgasse, sed & admisisse privatorum hominum admonitiones, & ita eas conformasse, ut deinde omnibus placerent. Et si quis forte sibi persuadeat, potuisse Decemviros, cuncta pro lubitu agere, quod sine provocatione creati erant, ad animum is, velim, revocet, alteram plebis in montem sacrum secessionem, Decemvirum abdicationem, tribunitiae potestatis restitutionem, legemque mox centuriatis comitiis latam, ut plebiscita populum tenerent. Nullibi sane lego, Tribunos conquestos esse, patricos, hac lege scripta, de evertenda plebis libertate cogitasse. R.

§. XI.

Regii imperii finis.

Sed non diu tyrannidem tulit ferocissimus populus. Mox enim regnari Romae desuit, postquam TARQUINIUS SUPERBUS ex magno imperio non nisi maximam retinens licentiam, everfis legibus, oppressoque populo, civium suorum incurrit odia, regno ipsaque civitate pulsus anno V.C. CCXLIV. Flor. I, 7. Dionys. *Lib. IV. in fin.*

§. XII.

Legum Regiarum

Ex his omnibus intelligitur, leges Regum Romanorum fuisse paucas, easque, sive verba,

ba, five rem ipsam consideres, priscam simplicitatem ubique redoluisse, fini tamen reipublicae, qui in potentia bellica consistebat, * si paucissima Numae instituta exceperis, tam callide attemperatas, ut Romulum ipsis Graecorum legislatoribus anteferre non dubitet Dionys. Halicarn. *Lib. II. p. 94. seqq.*

rum in-
doles.

* Fuit nova respublica ex earum numero, quarum finis est, ὅτι πάντα πρὸς τὸ κρατεῖν ἢ πρὸς πόλεμον νομοθεσῶν, ut cuncta ad potentiam bellumque gerendum instruantur. Aristot. *Polit. VII, 14.* Nimirum quum nec ager Romanus admodum amplius, nec artificum in promiscua turba magna multitudo, nec commodus ad commercia instituenda portus esset: non poterat non intelligere Romulus, neque agriculturam, neque opes per opificia vel commercia acquirendas finem esse posse novae reipublicae, ac proinde ipse auctor erat civibus suis, ut omnia ad bellicam potentiam referrent, commendabatque iis: ἐν μὲν τοῖς ἄθροῖς πολέμοις, τὸ ἀπὸ τῶν ὀπλῶν κρατεῖν, ἐν δὲ τοῖς ἐμφυλίοις ἁρεσχαῖς, τὴν ἰσοφροσύνην, ἢ σώφρονα, ἢ δικαίον ἐκάστω βίον. in externis bellis armorum potentiam, in civilibus vero tumultibus concordiam, temperantiamque ἔσ' iustitiam. Dionys. Halic. *Lib. II. p. 79.* Et ad hunc finem pleraeque leges Regiae comparatae fuerunt. Pleraeque, inquam. Numam enim id inprimis egisse, ut ferocem populum ad pacis studia paullatim inflecteret, jam supra diximus. Flor. *Hist. I, 2. § 8. H.*

* * * * *

DE STATV IVRIS ROM. AB EXACTIS
REGIBVS AD LATAS LEGES
XII. -TAB.

§. X I I I.

Exactis
regibus
bini crea-
ti consu-
les.

Regibus *lege tribunicia*, id est, a Junio Bru-
to, tum Tribuno Celerum, lata, ex-
actis, bini consules reipublicae eorum loco
praesse coeperunt, eadem auctoritate pot-
estateque, ac olim Reges, ut, si a vocabu-
lo, numero, ac diuturnitate dignitatis dif-
cesseris, nihil omnino de regio imperio de-
minutum videretur. * *Liv. Lib. II. Cap. 1.*
Unde & *Regiae majestatis imperium* consulatus
vocatur a Livio *IV, 2.* ** Nimirum *ex per-
petuo annuum placebat, ex singulari duplex impe-
rium, ne potestas vel mora, vel solitudine, cor-
rumperetur: CONSVLESque adpellati pro Re-
gibus, ut, consulere se civibus suis debere, memi-
nissent.* Flor. *Hist. 1, 9.*

* Vere ergo manebat forma reipublicae pristina,
ut nomen magis, quam potestas Regum abolita
videretur. Vere regia potestas erat penes consu-
les. Patribus quoque salva erant, quae antea ha-
buerant, jura: nec populo jus de legibus, hono-
ribus, bello ac pace statuendi adimebatur. Atta-
men quum Consules tantum patricii generis ini-
tio eligerentur, nec plebi adhuc via pateret in
senatum: id praecipue agebant patres, ut, op-
pressa plebe, respublica paulatim aristocratiae
schema indueret. Sane id consilium non celavit,
sed ingenue professus est Appius Claudius, dum
objur-

objurgatus a Valerio ob callida illa plebem opprimendi consilia, his se verbis defendit: Ἄ δὲ εἰς χαλεπότηθα, καὶ πονηρῶν ἀνδρῶπων πρῶσασίαν ἀνείδισέ μοι, μισοδήμον τε καὶ ὀλιγαρχικὸν δακκαλῶν, ὅτι ΤΗΣ ΑΡΙΣΤΟΚΡΑΤΙΑΣ φείεσθαι, κοινὰ πάντων ὑμῶν ἐσι καταγορήματα. Quod autem me difficilem adpellavit, ἔσ̄ malorum hominum antesignanum, insensumque plebi, ἔσ̄ paucorum potentiae studiosum, quod ARISTOCRATIAM tuear: communia mihi vobiscum sunt crimina. Dionys. Halicarn. Lib. VI. p. 386. sequ. H.

** Propterea recte scripsit Dionysius Lib. V. init. Οἱ πρῶτοι τῶν βασιλικῶν ἀρχῶν ὄψαλαβόντες ὑπαῖοι, Βρῆτ̄ καὶ Ταρκύν̄ Κολλάτιν̄, &c. Primi REGIAM sumentes POTESTATEM Consules, Brutus ἔσ̄ Tarquinius Collatinus, &c. R.

§. XIV.

Jam quae ab eo tempore fuerit juris Romani facies, paucis ita describit Pomponius: *Exactis deinde regibus lege tribunicia, omnes leges hae exoleverunt, iterumque coepit populus Romanus incerto magis jure ἔσ̄ consuetudine ali, quam per latam legem: idque prope Vlginti* annis passus est. l. 2. §. 3. D. de orig. jur.*

Qualis
tum juris
Romani
facies?

* Non congruit annorum numerus, si legas VIGINTI. Nam ab exactis regibus ad conditas XII. tabulas non viginti, sed sexaginta fere anni elapsi sunt: ut probabile sit, primam syllabam VI. majusculis litteris expressam signum numeri senarii fuisse, adeoque legendum esse SEXAGINTA. V. A. Corn. van Bynkersh. Praetermiss. ad l. 2. de Orig. jur. p. 21. H.

§. XV.

Enimvero id denuo non ita accipiendum est, ac si interjecto tempore exleges vixerint

Leges re-
giae ad-
rint

huc pro
moribus
valebant.

rint Romani. Potius quum *jus incertum legi latae* opponat Pomponius (§. II.) fensus est, leges regias non amplius, tamquam jus scriptum, sed, tamquam mores majorum & consuetudines patrias, viguisse. Tantum enim abest, ut leges, olim a Regibus latae vel populi scito abrogatae sint, vel non usu exolverint, (quod jam refellit Rupertus *ad Enchir. Pompon. Lib. I. Cap. 4. pag. 66. sequ.*) ut permultas a primis Coss. confirmatas esse, quasdam & in ipsas XII. Tabulas migrasse fatis constet *

* Dionys. Halic. *Lib. V. p. 278.* Τὰς νόμους τὰς ὡς τῶν συμβαλλουσῶν τὰς ὑπὸ Τυρρῶν γεγραμένους. Φιλανδρώπικος καὶ δημοτικὸς εἶναι δοκῶντας, ἕως ἀπαντας κατέλυσε Ταρκύνιος, ἀνεπέσσαντο. *Leges Tullii, de contractibus, humanas admodum & populares, quas in universum Tarquinius sustulerat, revocarunt in usum.* Et paucis interjectis: Καὶ τὰλλα πράττειν, ὅσα κατὰ τὰς παλαιὰς ἐθισμὸς ἐπρατίον, ἀπέδοςαν. *Ceteraque omnia secundum prisca consuetudines facere permiserunt.* Non ergo valebant amplius leges regiae, tamquam jus scriptum, nisi quatenus de novo legibus sacris essent firmatae. Et hinc *jus patriae potestatis*, quod ex ipsius Romuli legibus esse, observavimus, (§. VIII.) *MORIBUS esse receptum*, testatur Ulpianus *l. 8. D. de his qui sui vel al. jur.* H. Bene vero observavit Georg. d'Arnaud *Var. Conject. Lib. II. c. 20.* Romanos, quicquid a prima origine obtinuerat, *Moribus Majorum* fieri, pronuntiasse. Igitur id, quod jam sub Regibus fuerat observatum, & in XII. migraverat, recte *moribus receptum esse*, Ulpianus scribere potuit. Conf. Liv. *Lib. XXXIV. c. 6.* Deinde non capio mentem Auctoris, quando scribit, leges regias non valuisse, nisi *legibus sacris*

sacratæ eae essent firmatae. *Sacratæ* enim *leges*, proprie ita dictæ, & *Icilia*, *Publilia*, *Valeria*, ad jus publicum magis, quam privatum pertinent, libertatique populi consulunt, quod prae-ter *Sigonium de antiqu. Jur. Civ. Rom. Lib. I. c. 6.* docuit *Ernesti Clav. Cicer. in ind. Leg.* Itaque rescribendum est, non valuisse *Leges* tanquam jus scriptum, nisi aut legibus solemniter latis confirmatae, aut in XII. aut usu, essent receptae. R.

§. XVI.

Et quis, quæso, dubitet, quin post *Tarquini* etiam exsilium legum regiarum usus haud exiguus fuerit, quum iisdem temporibus eas singulari opere collegerit *C. PAPIRIVS*? * Sane si nullus plane earum legum superfuisset usus: eas colligendo maximas nugas egisset *Papirius*. *IVS* istud *PAPIRIANVM*, quod *SEXTO* potissimum libro *leges civiles*; reliquis *sacras* comprehendisse videtur, *l. 2. §. 2. D. de orig. jur.* luculento commentario illustraverat *GRANIVS FLACCVS*, *l. 144. D. de verb. signif.*

Hinc jus
Papiria-
num.

* Hujus *C. PAPIRII* meminit *Dionys. Halicarn. Antiqu. Lib. III. p. 178.* addiditque, eum *Numæ* *leges* post *Ancum Regem* in usum revocasse, tanquam pontificem maximum. Non ergo *SEXTI* prænomen habuit ille juris *Papiriani* auctor, sed *sexto libro* comprehendit *leges civiles*, idque vel inde probatur, quod *Cujacius* se in codice *MSC.* legisse testatur in *Libro VI. Papirii*: ut facile nota numeri *senarii* in prænomen mutari potuerit. Non magis verum est *PVBLII* prænomen, quod occurrit in eadem *l. 2. §. 36. D. eod.* adeoque & ibi erravit *Pomponius*, nisi legere malis: *in primis peritus publici juris Papirius.* H.

§. XVII.

§. XVII.

Cujus in-
terpres
Granius
Flaccus.

GRANIVS ille FLACCVS, de cujus gen-
te & libris quaedam non vulgaria observavit
Ludov. Carrio *Emendat. 1, 4.* Julio Caesari
fuit *ὄνυχρον*, ceu ex Cenforino *de Die Nat.*
Cap. III. observavit V. C. Car. Andr. Duke-
rus *de vet. juriscons. Latin. p. 156.* Laudat enim
ibi Cenforinus *Granii Flacci librum, quem ad*
Caesarem de indigitamentis scriptum reliquit. Idem
ergo videtur, cujus extitit in jus Papirianum
commentarius, qui tamen jam pridem haud
levi jurisprudentiae incommodo periit *

* Exstat fragmentum bene longum, quod ex ipso
jure Papiriano citat Macrobius *Saturnal. III, 11.*
ex Granii vero Flacci potius commentario esse
observavit V. C. Petrus Wesselingius *Observ. I, 4.*
Immo ex eodem, probabile est, Servium & Fe-
stum depromississe fragmenta legum regiarum, quae
supra (§. VIII. * & IX. *) attulimus. Nam ne il-
la quidem stilum redolere temporis, quo Romae
regnatum est, notavit Jo. Nic. Funccius *de puerit.*
Lat. linguae Cap. III. §. V. p. 224. H. Mira
comminiscuntur de Jure Papiriano viri docti, quo-
rum opiniones Auctor hic in compendio exhibet.
Ego vero, cum in alia omnia eam, breviter di-
cam, quod sentio. Pomponius *l. c.* ita scribit:
Tulerunt & sequentes Reges (leges) quae omnes
conscripatae extant in libro Sexti Papirii, qui fuit
illis temporibus, quibus Superbus Demarati Co-
rinthii filius, ex principalibus viris. Is liber, ut
diximus, appellatur Jus civile Papirianum, non
quia Papirius de suo quicquam ibi adjecit, sed
quod leges sine ordine latis in unum composuit.
Apud eundem *d. l. 2. §. 36.* legimus: *Fuit au-*
tem inprimis peritus P. Papirius, qui leges regias

in unum contulit. Jam in eo consentiunt omnes, esse haec Digestorum loca depravata : at enim-vero, de sanandis iis, haud inter omnes convenit. Duo autem sunt, quae in errorem induxerunt doctissimos homines : quorum est alterum, praeconcepta opinio, Jus Papirianum leges continuisse & sacras & civiles; alterum, auctoritas, quam Pomponio, aut potius ejus fragmento, tribuunt. Ad primum quod attinet, nihil plane afferre possunt, quo probent sententiam, praeter obscuram quandam notam, VI. quam in MS. Cujacius vidit. Mox itaque legunt *in Sexto*: fingunt praeterea, Papirium *Sex* vulgasse libros, & bellissime divinare audent, quinque libros priores sacras, *Sextum* civiles, sive regias comprehendisse leges. Sed audax haec conjectura plane repugnat fragmento Pomponii, quo laudantur primo Reges, quod leges tulerint, deinde celebratur Papirius, ob solam legum regiarum collectionem, porro dicitur, *omnes leges*, non civiles tantum, sed & sacras, quales Reges plures tulisse supra vidimus, collegisse Papirium libro singulari; tandem additur, *is liber appellatur Jus Papirianum*. Igitur si *omnes leges* continuit *Sextus liber*, quid quinque prioribus tradere potuerit Papirius, non video. Sed alterum momentum, quod errandi occasionem praebuit, tangendum quoque est. Nimirum tantam tribuunt viri docti Pomponiano Fragmento auctoritatem, quantum majorem ne quidem dare possemus scriptori optimo, omnibusque numeris absoluto, & quod maximum est, cujus scripta, & integra, & a nemine interpolata depravataque, ad nos pervenerunt. Quoniam vero iidem non possunt non perspicere, pleraque male se habere, recurrunt ad conjecturas, & aegerrimo fragmento medicinam facere student, qua tamen minime opus esset, dummodo adverterent, hominem indoctum rudemque, & qui ne primis quidem labris literas

degu.

degustavit, Pomponii librum de origine Juris, seculo Justiniano, barbaro jam, excerpisse, atque foeda ignorantia adeo maculasse elegans enchiridion, ut singulae fere lineae, vel operosa & ingeniosa interpretatione, vel emendatione egent. Exemplum possunt praebere verba supra prolata. Etenim Jctus ille Constantinopolitanus, Pomponii Epitomator, Papirium primo *Sextum*, & deinde per oscitantiam *Publium* appellat, notatque vixisse temporibus Superbi, quem, per ignorantiam, Demarati filium facit. Porro lepidum caput pergit, *is liber, ut DIXIMUS*, &c. cum tamen ea, quae dixerat Pomponius, omisisset; addit denique, *Leges sine ordine latas in unum composuit*, respiciens sine dubio ordinem illum, qui sua aetate obtinebat, quo leges discerptae in partes varias, titulis quoque variis aptabantur. Nullum enim sensum admittunt haec; *leges regias sine ordine latas composuisse Papirium, nisi velimus legere, suo ordine*. Haec vero, quae paullo verbosius disputavi, eo pertinent, ut ostendam, Pomponii fragmentum, nisi consentiat cum scriptoribus, qui res Romanas accurate & summa fide posteritati tradiderunt, profus attendendum non esse. At cum de Jure Papiriano locum habeamus classicum Dionysii *Lib. III. pag. 178.* de eo, quid sentiendum sit, strictim, sed, quod mihi persuasum est, probabiliter exponam. Differens autem Historicus *l. c.* de Anco Marcio, ejusque studio instaurandi neglectam, Tullo Hostilio imperante, religionem, haec scribit: Καὶ μετὰ τὸτο συγκαλέσας τὰς ἱεροφάντας, καὶ τὰς ἀεὶ τῶ ἱερῶν συγγραφαί, ἀς Πομπίλιος συνεθήσατο, παρ' αὐτῶν λαβῶν, ἀνέγραψεν εἰς δέλικας, καὶ παρ' Ἰθηνεν ἐν ἀγορᾷ πᾶσι τοῖς βελοκόμοις σκοπεῖν, ἀς ἀφανισθῆναι συνέβη τὰ χρόνω· κάλκεα γὰρ σῆλας ἔπω τότε ἦσαν, ἀλλ' ἐν δρυῖναις ἐκκαράτιοντο σανίσιν οἱ τε νόμοι καὶ αἱ ἀεὶ τῶ ἱερῶν ἀγραφαί. μετὰ δὲ τὴν ἐμβολὴν τῶ βασιλείων εἰς ἀναστροφῶν δημοσίαν αὐτῆς ἤχθησαν ὑπ' ἀνδρὸς ἱεροφάντη Γαίης

Παπυρίε,

Παιρις, τῶν ἀπάντων τῶν ἱερῶν ὑγεμονίαν ἔχοντες
 Convocatis deinde Pontificibus, sumptos ab eis
 Commentarios, quos Numa de sacris conscriptos
 reliquerat, transcripsit in tabulas, & in foro pro-
 posuit legendas quibuslibet; quae tandem vetustate
 sunt abolitae. Nondum enim in usu erant colu-
 mnae aereae: sed in quernis tabulis incidebantur
 tam leges quam sacrorum ritus: quae tabulae
 POST EXACTOS REGES rursus in publicum
 usum revocatae sunt per summum Pontificem,
 GAIUM PAPIRIUM. En! igitur habemus Papi-
 rium, qui fuit Tarquini Superbi temporibus ex
 principalibus viris, quique tabulas, sacras leges
 continentis, post exactos Reges, restituit. Is
 vero Gajus appellatur praenomine. Et forte sci-
 olus quidam librarius, qui Cujacii Codicem de-
 scripsit, cum legisset, in libro G. Papii, το G
 notam putavit esse numeri senarii, sive ἑξήκοντος
 Graecum, de quo vide Schwartzii eruditam dis-
 fertationem, & Prolegom. ad Cod. Theodosj. pag.
 212. not. X. Fuit porro Papius Pontifex Ma-
 ximus, ad quem, muneris sui causa, cura tan-
 tum sacrarum legum pertinuit, quas, cum, post
 exactos Reges, civitas aliam plane faciem indu-
 issent, & Consules de ordinanda republica sollici-
 ti, humanas Tullii leges veteresque consuetudi-
 nes revocassent in usum, neglectas antea, denuo
 quoque describendas provulgandasque esse cen-
 suit. Imo id publica ipsum auctoritate fecisse,
 persuadet Dionysius, qui Lib. IV. pag. 274. &
 Lib. V. p. 278. testatur, Brutum, Tribunum ad-
 huc Celerum, & Consulem deinde creatum, si-
 mul cum collega maximam sacrorum habuisse cu-
 ram. Cum praeterea ad §. IX. supra ostensum
 sit, Juris utriusque, divini scilicet atque huma-
 ni, conjunctionem fuisse arctissimam, facile ad
 intelligendum est, ipsam necessitatem postulasse,
 ut summus Pontifex, exactis regibus, animum
 eo intenderet, ut civitas jure divino imbueretur,

quoniam eodem tempore, Consules, legibus civilibus eam quasi de novo fundaverant. Praevideo tamen, futuros nonnullos, qui objiciant mihi, fragmentum Pomponii, leges a Papirio collectas, dicere, *Jus Civile Papirianum*, hisque fati innuere, leges civiles, proprie ita dictas, hoc quoque jure comprehensas fuisse. At enim vero hac objectione nihil efficitur, cum & jus sacrum, in civitatem receptum, recte Jus Civile appelletur, vel Justiniano docente *Instit. de Jur. Natur. Gent. & Civ. §. I.* Ea deinde, quae de Granio Flacco observarunt viri docti, manifestum praebent testimonium, *Jus Papirianum* esse Pontificium, sive divinum. Scripsit hic auctor, librum ad Caesarem *de indigitamentis*. Sed *indigitamenta* sunt *ιερατικά βιβλία*. Haec vero Jus Sacrum continent, docente Dionysio *init. Lib. X.* Queruntur enim ibidem Tribuni Plebis, in urbe omnia patricios posse, solos praeesse judiciis, multa ex arbitrio agere, cum plurima legibus non essent definita, *κομιδῇ δὲ ὀλίγοι ἴνα ἐν ἱεραῖς ἢ βίβλαις ἀποκρίματα, ἀ νόμων εἶχε δύναμιν, &c.* *per pauca in SACRIS LIBRIS haberentur, quae legum vim obtinerent.* Quo loco sacri libri, iidem sunt cum jure Papiriano, quod, licet de sacris, votis, sepulcris, pluribusque rebus aliis, quae, sine religione peragi non poterant, disponeret, solum tamen, Romanis, leges civiles proprie sic dictas, efflagitantibus, fati facere nullo modo potuit. Denique, quae ex Commentariis Granii habemus hodie, tanquam ex naufragio reliqua, meam confirmant sententiam. Ita enim legimus apud Macrobius *Saturn. Lib. III. c. 11. In Papiriano jure evidenter relatum est, arae vicem praestare posse mensam dicatam, &c. Et l. 144. D. de V. S. haec extant: Granius Flaccus in libro de jure Papiriano scribit, pellicem nunc vulgo vocari, quae cum eo, cui uxor sit, corpus misceat.* Quibus verbis illustrare voluit is auctor legem

legem Numae, *Ne pellex Junonis aram tangeret*, quam ex Commentariis Regis, Papirius, descriptam, rectissime Pontificio juri inferuit, quoniam nuptiarum matrimoniique religionem, cujus erant custodes Pontifices, stabilivit. Festus tandem *voa. ricas*, hoc scriptum reliquit: *Granius quidem ait esse muliebrem cingulum capitis, quo pro vitta Flaminica redimiatur*. Sed quis non videt, Granium quoque haec ad illustrationem Juris Deorum Manium scripsisse. Sunt enim notissima illa, *Tribus riciniis*, &c. quae ex Pontificio jure in tabulam X. relata esse, inter omnes constat. Patet igitur, si quid ego intelligo, & ex testimonio Dionysii, & ex Commentariis Granii ad Jus Papirianum, & ex ipsa temporis ratione, Jus Papirianum, quod Pomponii fragmentum memorat, Pontificium fuisse. Etenim hujus juris tantam habuerunt Romani curam, ut Livius *Lib. VI. cap. 1.* scribat, *Tribunos militum consulari potestate, excisa a Gallis urbe, nulla de re prius, quam de religionibus Senatam consuluisse*. R.

§. XVIII.

Pauciores tamen superfuisset leges regias, quam quae novae reipublicae formae sufficerent, facile est ad intelligendum, idque ipse observavit Dionys. Halicarn. *Antiqu. Lib. X. init. p. 627.* dum scripsit: *Τῶν δὲ τὰ μὲν πολλὰ τοῖς ὑπηρέτοις τῶν ἀρχόντων ἀεισίνδην ὑπιδεικνυμένων ἀκόλυθα ἦν ἐπὶ τὰς ἀρχάς. κομισθῆ δὲ ὀλίγα τινα ἐν ἱερῶς ἦν βίβλοις ἀπικειρμένα, ἀ νόμων εἶχε δούταριν.* Id jus maxima ex parte constabat virorum potestate praedictorum praejudiciis, & PERPAV-CA in sacris libris habebantur, quae legum vim obtinebant. Hinc quemadmodum initio Reges pleraque, de quibus leges scriptae non

Quae de-
erant Edi-
ctis, sup-
plebant
Consules.

existabant, MANV (§. III.) id est, propositis edictis, (§. IV.) GVBERNABANT: ita consules, non minore, quam Reges, auctoritate praediti, (§. XIII.) edictis tum pleraque moderabantur. *

* Rem luculenter eodem loco probat Dionysius, ubi diferte ait: *Ὡς δὲ ἐπαύσαντο μοναρχήματα, τοῖς κατ' ἐνιαυτὸν ὑπαλείψουσιν ἀνέκειτο τὰ τε ἄλλα τῶ βασιλείων ἔργα, καὶ ἡ δὲ δίκαις Διόγνωνσις, καὶ τοῖς ἀμφισβητήσιν πρὸς ἀλλήλους ὑπὲρ ὀρθότητος, ἐκείνοι τὰ δίκαια οἱ Διόγνυτες ἦσαν.* Imperio regio cessante, eoque ad annuos magistratus translato, inter cetera regia officia juris quoque cognitio ad eos translata est, atque illi, lite quacunque de causa inter aliquos orta, jura reddebant. Postea observat ea, quae constitissent, postea, tamquam translata servata esse a successoribus: ut ne dubitari quidem posse videatur, quin de edictis consularibus loquatur Dionysius. H. Nimum infervit Auctor hypothese suae, eaque fingit, quae frustra forte apud Dionysium quaeres. Edicere potuisse, & edixisse quoque Consules, non nego; sed raro hoc fecisse, fidem facit ibidem Dionysius, qui scriptum reliquit, vulgus agriculturae intentum, & in urbem ad nundinas tantum veniens, jura ignorasse; quod tamen fieri non potuisset, si edicta plura publice proposita, eaque, tanquam translata, a successoribus servata fuissent. Imo, qui attente legerint Dionysium, observabunt, patricii generis Consules, & Aristocratiae studiosos, consulto noluisse edicere, ne, cum soli jus redderent, cogerentur secundum edicta sua, quod Tribuni Pl. volebant, pronuntiare. Male quoque Heineccius Graeca interpretatus est, ut vidit jam Georg. d'Arnaud *Var. Conject. Lib. I. c. 17.* Etenim laudatus Historicus haec tradit: *Cessante regio imperio, Consulibus annuis, cum reliqua Regum munera, tum etiam jurisdictione competeat: & ipsi erant,*

rant, qui quacunq; de caussa inter se disceptantibus, jura dabant. Horum autem magna pars, Principibus magistratuum (id est, Consulibus) qui e patriciis deligebantur, una cum magistratu mandabatur. Etenim perpauca habebantur in sacris libris, quae legum vim obtinebant. Scio, G. d'Arnaud velle, ut procuratoribus magistratuum jurium magna pars viam ad honores fecerit. Sed hoc Graeca verba mihi innuere non videntur. Locus sane obscurus est, nec Codices MSS. ad interpretationem subsidii quid afferunt. R.

§. XIX.

At his consulatus luminibus non parum profecit nova potestas TRIBVNORVM PLEBIS, anno ab exactis Regibus decimo sexto creatorum a plebe, per truculentiam patriciorum ad seditionem consternata, quum, facta in montem sacrum secessione, patribus & id novum libertatis praesidium, & *leges sacratas* * extorsisset. Livius *Lib. II. Cap. 33.* Dionysius *Lib. VI. pag. 410.* Plutarch. in *Cæriolan. pag. 216.* Valer. Max. *Lib. VIII. Cap. 9. n. 1.* Flor. *Hist. 1, 23.* His enim creatis, initio numero quinque, postea decem, Liv. *Lib. III. Cap. 30.* patres non modo sua de constituenda aristocrazia consilia valde turbata, sed & legislatoriae potestatis partem non minimam in plebem translata esse, non sine indignatione animadverterunt. **

* *Sacratae* dicebantur hae leges, quia iis erat sanctum, ut si quis adversus illas fecisse diceretur, alicui Deorum cum familia pecuniaque sua SACER. esset. Festus in voce *Sacrata.* Hinc alibi ubi de

sacro homine differit, adducit veterem formulam: SI QVIS EVM, QVI EO PLEBISCITO SACER SIT, OCCIDERIT, PARRICIDA NE SIT. De legibus sacratis tum latis accurate egit Car. Sigon. *de Jur. Civ. Rom. I, 6.* de aliis tali functione poenali munitis Radulph. Forner. *Res. Quotidian. Lib. VI. cap. 15. p. 295. sequ. Thesaur. Jur. Civ. Tom. II.* Non enim hae tantum, sed omnes simili functione munitae leges SACRATAE vocantur. Perizon. *Animadv. Hist. p. 418. sequ. H. Cl. Ernest. Clav. Cicer. in Indic. LL. voc. leges sacrat. R.* De numero Tribunorum inter auctores non convenit. Sunt enim, qui duos tantum in sacro monte creatos dicunt. Vid. Livius *Lib. II. c. 33.* Cicero *in fragm. Orat. pro Cornel. & ibid.* Asconius. Suid. *voc. δῆμοκρι.* De potestate Tribunorum, (de qua cum cura exponendum est, ut tribunitia Augustorum potestas intelligatur facilius) loca sunt elegantia apud Dionys. *Lib. VI. p. 409.* Plutarch. *Caton. Min. pag. 768.* Liv. *Lib. IV. c. 26. Lib. IX. c. 34.* Dionem *Lib. XXXVII. ad an. V. C. 694.* Gellium *Lib. XIII. cap. 12.* Confer etiam Ernesti *Clav. Cic. voc. Tribun. & Georg. d'Arnaud Var. Conject. Lib. I. c. 21, R.*

§. XX.

Plebiscita
ab illis ro-
gata.

Ex eo tempore frequentissimi ac paene quotidiani esse coeperunt furores tribunicii, non modo adversus impotentem patrum dominationem, sed & ad evertendam aristocratiam, quam Senatus adfectabat. Quin novas jam rogationes quotannis ferebant ad plebem, quas haec, tamquam ad minuendam Patrum auctoritatem comparatas, tributim facile ratas habebat, nisi unus vel alter tribunorum plebis reliquis collegis intercederet.

ret. Liv. *Lib. IV. Cap. 49. Lib. VI. Cap. 35.*
 Dionys. Halic. *Antiqu. Lib. X. p. 658.* Quae-
 cumque vero plebs, plebejo illo rogante ma-
 giftratu, constituerat, PLEBISCITA voca-
 bantur. §. 4. *Inst. de Jure Nat. Gent. & Civ.*
 quemadmodum leges proprie dictas, id est, a
 toto populo latas POPVLISCITA eleganter
 vocat Cornelius Nepos *Alcibiad. Cap. V.*

§. XXI.

Quo frequentius itaque plebiscita conde-
 bantur; eo rariores erant LEGES, ut post
 illas a Junio Bruto, primo Consule, latas,
 & aliquot Valerias & Publilias non alia fere
 memoretur, quam ATERIA TARPEIA,
 anno V. C. CCC. comitiis centuriatis perla-
 ta, qua cautum, ut liceret omnibus magi-
 stratibus, τὸς ἀνοσμῶντας ἢ παρανομῶντας εἰς τὴν
 ἑαυτῶν ἐξουσίαν ζημιῶν. τέως γὰρ ἔχ' ἅπασιν ἐξῆν, ἀλλὰ
 τοῖς ὑπάτοις μόνοις. τὸ μόντοι τίμημα ἐκ ἐπ' αὐτοῖς
 ζημιῶσιν, ὅποσον εἶναι δοκεῖ κατέλιπον, ἀλλ' αὐτοὶ
 τὴν ἀξίαν ὤρισαν, μέγιστον δ' ὀποδείξαντες ὄρον ζημίας
 δύο βόας ἢ τετράκοντα πρόβατα. *siue potestatis laesae*
reos mulctare. Eousque enim hoc non omnibus li-
cebat; sed Consulibus. Mulctae tamen modus non
mulctantium arbitrio relictus est, sed ab ipsis (Coss.)
praefinitus, ne scilicet mulcta, quantumvis gran-
*dis, duos boves & triginta oves excederet. * Di-*
onyf. Halic. Lib. X. p. 674.

* Ita hanc legem describit Dionysius: at plura ta-
 men de illa notanda sunt ex aliis auctoribus. Nam
 primo satis probabile est, pro δύο βόας ἢ τετράκοντα

πρόβατα inverso ordine legendum esse *δύο πρόβατα*
ἢ τεσσάρων βοας. Quum enim minor ovium, quam
 bouum proventus esset : Festus *in voce Peculatus*
 diferte scribit: *Ante aes aut argentum signatum,*
ob delicta poena gravissima erat DVARVM OVI-
VM & TRIGINTA BOVM. Deinde, quum haec
 poena ante aes signatum exigi consueverit, aes
 autem Romae primum signaverit Servius Tullius
 Rex: Plin. *Hist. Nat. XVIII, 3. XXXIII, 3.*
 unusquisque videt, hunc mulctae modum non
 primum hac lege, sed jam inde ab antiquissimis
 temporibus fuisse definitum. Hinc vir doctissimus,
 Jo. Koolius, Ultrajectinus, libello singulari *ad*
legem Ateriam Tarpejam Cap. II. p. 1507. *The-*
saur. Jur. Tomo V. observat, duo potissimum
 hac lege fancita fuisse, primum ut omnibus ma-
 giftratibus fas esset mulctare eos, qui sibi non
 obtemperent: quum antea id jus soli consules ha-
 buissent. Dionys. Halic. *Lib. X. p. 674.* Alte-
 rum, ut numerum ovium bouumque certa pecu-
 nia, & quidem ovem aeris denis, bovem cente-
 nis redimere liceret. Gell. *Noct. Att. XI, 1.*
 Festus *in voc. Aestimata, Ovibus, Mulcta.* An
 vero & modus hic ea lege primum definitus sit,
 ut mulcta duas oves & triginta boves non exce-
 deret, merito dubitat ob locum Festi *in Pecula-*
tus, ex quo hunc poenarum modum jam ante aes
 signatum obtinuisse vidimus. Ceterum ex hac
 lege nata postea esse videntur edicta Praetoris:
 SI QVIS IVS DICENTI NON OBTEMPERA-
 VERIT, l. 1. D. *si quis jus dic. non obtemp.* item-
 que: SI QVIS IN IVS VOCATVS NON IERIT,
 QVVM EVM IRE OPORTERET, VT IS IN
 MVLCTAM PRO IVRISDICTIONE MAGI-
 STRATVS CONDEMNETVR. l. 2. pr. & §. 1.
 D. *si quis in jus voc. non ierit.* H. Ad hanc le-
 gem quaedam non vulgaria, post Briffonium *Se-*
lect. ex Jur. Ant. Lib. I. c. 3. & Koolium, ab
 auctore laudatum, observavit Georg. d'Arnaud
 Var.

Var. Conjectur. Lib. I. c. 16. Dionysium errasse, Koolius statuit, quod scripsit, lege Ateria multam, duarum ovium, boumque triginta statutam esse, cum certum sit, eam obtinuisse jam antea, hacque lege boum tantum oviumque aestimationem fuisse introductam. Nam apud Gellium *l. c.* legimus: *Idcirco postea lege Ateria constituti sunt in oves singulas aeris deni, in boves aeris centeni.* Verum, licet haec ita se habeant, eam tamen ob causam, erroris arguendus non est Dionysius, cum satis constet, ea saepe numero repetita esse, quae dudum ante legibus definita fuerunt. Deinde, si & ante Ateriam legem Consulibus jus fuit, tot ovium boumque multam dicendi; & si praeterea multas, ante eandem, modus quoque statutus est; id tamen de iis tantum intelligendum, quas Consules irrogabant. At quis non videt, cum lex nostra, eandem aliis magistratibus, quam haecenus habuerant Consules, facultatem concedat, ejus quoque latores definire eorum magistratuum multae dictionem, debuisse, ne vel abuterentur potestate, vel potiore, quam Consules, jure gauderent? Hoc quoque tenendum est, legem Ateriam de iis solum multas agere, quas magistratus his irrogare consueverunt, qui injurii in ipsorum potestatem fuerant; plebem enim populumque in comitiis, criminis publici reis, multas dixisse gravissimas, & plura veterum auctorum loca declarant, & laudatissimus d'Arnaud *ibid.* docet. Jam vero, quod attinet ad emendationem loci apud Dionysium corrupti, eam a viris doctissimis feliciter tentatam factamque esse, facile largior, quoniam tot auctoritates id suadent, & in re eadem apud Plutarchum *in Poplicol. pag. 103.* δύο πρόβατα, καὶ τρεῖς βόες occurunt. Sed hoc est ridiculum, quod censent viri docti, ideo rescribendum esse apud Dionysium, *triginta boves*, quia major boum, minor ovium proventus fuerit. Scio, Gellium

*Lib. XI. Cap. 1. ex Varrone haec tradere: Con-
 jectare autem ob eandem causam possumus, quod
 Italia tunc esset armentosissima, multam, quae
 appellatur suprema, institutam in singulos dies,
 duarum ovium, triginta bouum; pro copia scilicet
 bouum, proque ovium penuria. Sed aut Gellius
 Varronem non cepit, aut Varro hac in re fuit te-
 nuis nimis & λεπτόλογος. Profecto, qui non at-
 tente fatis haec Gellii verba adspicit, is in erro-
 rem potest induci, ut credat, tanti olim oves
 duas fuisse pretii, quanti fuerunt boves triginta.
 At enimvero, si tantus fuit olim bouum proven-
 tus, cur ovis decussibus, bos centussibus aesti-
 matus est? Cur ille, qui, pueruli sui amore cor-
 ruptus, ut omasum posset in coenam apponere,
 domitum bovem, quia bubulae carnis in propin-
 quo emendae nulla facultas erat, occiderat, pu-
 blica quaestione afflictus est? *Imocens*, inquit
 Val. Maxim. *Lib. VIII. c. 1.* id referens, *nisi
 tam prisco seculo natus esset.* Res igitur ita con-
 cipienda. Antiquissimis temporibus obtinebat
 multa pecoris, ovium bouumque. *Sed*, inquit
 Gellius *l. c.* *cum ejusmodi multa pecoris a magi-
 stratibus dicta erat, adigebantur boves ovesque
 alias parvi pretii, alias majoris: eaque res faciebat
 inaequalem multae punitionem. Idcirco postea
 lege Ateria constituti sunt in oves singulas aeris de-
 ni, in boves aeris centeni.* Optime vero Dionysius,
 cum legem Ateriam memorat, scripsit, ma-
 gistratus, secundum eam ovium bouumque mul-
 ctam dixisse, quoniam, recentiore etiam aevo,
 qui vocati non ierant, aut jus dicenti non ob-
 temperaverant, non in multam decem aut cen-
 tum assium, sed ovis bovisve condemnabantur.
 Ita enim Gellius: *Quando igitur nunc quoque a
 magistratibus populi Romani, more majorum mul-
 ta dicitur, vel minima vel suprema, observari so-
 let, ut oves genere virili appellentur. Atque ita
 M. Varro, verba haec legitima, quibus minima
 multa**

multa diceretur, concepit: M. Terentio, quando citatus; neque respondit, neque excusatus est, ego ei unum ovem multam dico. Erat ergo minima multa, ovis unius, succedebatque ovium duorum, sive vigessis, ut est apud Festum voc. *ovib.* Ovibus duobus multabantur apud antiquos in minoribus criminibus, in majoribus autem bubus. Et paullo post: *Item vigessis in minoribus delictis.* Ita enim ibi legendum est. Et postea demum dicebatur multa unius bovis, sive centussis. Elegans locus Plinii *Hist. Nat. Lib. XVIII. cap. 3.* huc pertinet. *Mulctatio quoque, inquit, non nisi ovium boumque impendio dicebatur. Non omittenda prisca legum BENEVOLENTIA: Cautum quippe est, ne bovem prius, quam ovem nominaret, qui indiceret multam.* Quae sola verba faciunt, ut aliter apud Dionysium legi non possit, quam, *duos oves, & triginta boves.* Laudat enim Plinius legum benevolentiam, quae non permisissent, ut magistratus his, qui immorigeri fuerant, multam statim boum dicere possent, verum eas praecepisse tradit, ut ovium primo, atque deinde demum, si ad sanio rem mentem, post inflictam decussis, vigessisque poenam, non redissent, multa boum in ordinem eos cogerent. Si quando vero gravi opus erat, ob iudicis contemptum, coërcitione, tunc ex lege Ateria, & ovium duorum, & simul triginta boum poenam magistratus irrogare poterant, quam *maximam* sive *supremam multam* veteres dixerunt. Festus voc. *multam: Maximam multam dixerunt trium millium & viginti assium, quia non licebat quondam pluribus triginta bobus, & duobus ovibus quemquam multari. Aestimabaturque bos centussibus, ovis decussibus.* R.

§. XXII.

PLEBISCITA vero, quae ex eo tempore multo frequentius condebantur, pleraque magis Lex Terentilla de legi-

bus scri-
bendis.

magis ad jus publicum, quam ad privatum, pertinebant. Quum vero consules tantum non regiam majestatem adfectarent; Tribuni plebis eandem perpetuis concionibus impugnant; adeoque neutra pars alteri potestatem ferendi leges concederet: misera fuit juris conditio tantisper, dum ferocissimus Tribunorum anno V. C. CCXCIII. ad plebem ferret, *ut quinque viri crearentur legibus de imperio consulari scribendis. Quod populus in se jus dederit, eo consulem usurum.* Liv. III, 9. *Quin &, ut juri de omnibus negotiis publicis aequae, ac privatis, scribendo decemviri crearentur.* Dionys. Halic. *Antiq. Lib. X. p. 629.*

§. XXIII.

SC. de le-
gatis in
Graeciam
mittendis
plebiscito
firma-
tum.

Magna haec ac diuturna seditionum materia, nec patribus plebi, nec hac illis quidquam concedere volentibus. Denique anno V. C. CCC. auctore T. Romilio in legis Terentillae sententiam factum est SC. ut legati mitterentur in Graeciam, qui describerent Graecarum civitatum leges, ex quibus deinde DECEMVIRI LEGIBVS FERVNDIS, extra ordinem creandi, corpus aliquod Romanarum legum conficerent. Quod SC. deinde, rogante Sicinio, tribuno plebis, plebiscito firmatum est. *Dionys. Halic. Antiqu. Lib. X. pag. 675. sequ.*

§. XXIV.

li in Grae-
ciam mis-

Missi itaque eodem anno in Graeciam legati, non decem, uti apud Pomponium in

l. 2. §. 4. *D. de orig. jur.* est, cujus textum tamen levi verborum traiectione emendat V. A. Corn. van Bynkersh. in *Praetermiss.* p. 21. sed tres, SP. POSTHVMIVS ALBVS, A. MANLIVS VVLSO, & SER. SVLPICIVS CAMERINVS, qui insequente anno magnam inde retulerunt peregrinarum legum farraginem, quae postea praecipuus fuit fundus legum XII. Tabularum. * Dionys. Halic. *Antiqu. Lib. X. pag. 676. Liv. Lib. III. Cap. 31.*

si leges
descripse-
runt,

* A quibusnam vero civitatibus petierunt leges? ATHENAS exprimit Livius *Lib. III. cap. 31.* at tamen E *alias Graeciae civitates* addit. Contra accita esse, quae usquam egregia, observat Tacitus *Annal. III, 27.* quod ad *Graecus urbes, quae erant in Italia*, id est, ad Magnae Graeciae civitates restringere videtur Dionys. Halicarn. *Lib. X. p. 676.* De Lacedaemone adhuc sub judice lis est, unde leges quasdam petitas esse adfirmant Plin. *Lib. VIII. Epist. 24.* Athen. *Deipnosoph. Lib. VI. cap. 21.* & Ammian. Marcell. *Lib. XVI. cap. 5.* negant contra Augustinus *de civit. Dei Lib. II. cap. 16.* Galvan. *de usufr. VI, 5.* quorum sententia vel ideo verofimilior est, quod Spartaee describi nihil legum potuit, quum Lycurgi ἠντιμῶν litteris mandatae non essent, ceu observant Plutarch. in *Lycurgo p. 47.* & Schol. Graec. in *Lucian. Tomo I. p. 26.* Addatur V. C. Ev. Otton. *praef. Tomi III. Thesauri Jur. p. VIII. H.*

Dionysius *Lib. X.* locis duobus, *pag. 676. E* 678. & Athenas, & Graecas Italiae civitates nominat, legatosque ab iis Romam attulisse leges, scribit. Lis est de Lacedaemone inter viros doctos, plerisque negantibus, ab ea urbe leges petitas esse. Quorum sententiam, cum eam ob causam maxime probabilem esse censuit Heinecius,

cius, quod Lycurgi *ῥῆτα* literis mandatae non essent, describique ideo nihil potuerit, vehementer erravit. Quis enim non videt, & νόμος ἔργου, mores populi, consuetudinesque, legatos Romanos ediscere, memoriaeque mandare potuisse? Imo, ut facerent hoc, ipsos mandata habuisse, Livius auctor est *Lib. III. c. 31. Jusque sunt inclitas leges Solonis describere, & aliarum Graeciae civitatum INSTITUTA, MORES, juraque noscere.* Melius illi faciunt, qui, instituta collatione legum Romanarum cum Spartanis, Lacedaemoniorum leges, & parum habere cum Romanis similitudinis, & plerasque his plane contrarias esse, docent. Et hanc viam ingressus est Cl. Otto *l. c.* Hoc autem loco iterum attendendum ad consensum Romanarum Graecarumque legum, de quo §. I. supra quaedam me monuisse memini. R.

§. XXV.

Ex quibus potissimum compilatae leges XII. Tab.

Legatis cum illa legum farragine Romam reversis, creati sunt DECENVIRI legibus ferendis, quorum veluti antesignanum APPIVM CLAUDIVM fuisse constat. Et hi quidem summum, quod acceperant, imperium initio tanta moderatione animi administrabant, ut paene populares viderentur, simul per ocium componebant X. tabulas, interprete usi HERMODORO, viro prudente, Epheso tum exsule, statuanque ob navatam illam Decemviris operam merito; teste Plinio *Hist. Nat. XXXIV, 5. **

* HERMODORVM illum Ephesium urbe sua expulerant cives per ostracismum, non crimine ullo exsilium istud meritum, sed virtute, qua ceterorum civium suorum luminibus officere videbatur.

Quod

Quod consilium adeo damnavit Heraclitus, philosophus, ut diceret, ἄξιον Ἐφεσίοις ἠβηδὸν δόποθ' ἀνεῖν πᾶσι, & τοῖς ἀνθρώποις τὴν πόλιν κεραιλιπεῖν, οἱ τῆς Ἐρμόδωρον ἐπιτάων ὀνησιδὸν ἐξέβαλον, λέγοντες, ἡρέων μηδὲ εἰς ὀνησιδὸς ἔσω· εἰ δὲ τις τοιῶνδε, ἄλλη τε & μετ' ἄλλων. Merentur Ephesii omnes adulti mori, impuberibusque urbem derelinquere, quoniam Hermodorum, suum benefactorem, exprocerunt, dicentes: Nostrum nemo meritis excellat, quoniam si quis erit talis, alibi degat, & cum aliis. Diog. Laërt. Vit. Philos. Lib. IX. segm. 2. Cic. Tuscul. Diss. V, 36. Exstat praeterea Epistola, quae inter Heracliteas tertia est, in qua per somnium se vidisse ait, ad Hermodori leges universi orbis diademata accedere, & ex Persarum more, ἐγκλείοντας τὸ σῶμα περικνεῖν αὐτὰς, ore obvoluto eis adorare. Immo addit, Sibyllam cum alia plurima, tum id quoque vaticinatam esse:

Ἐξ Ἰάδ' ἄνδρα γαίης ἤξειν σοφὸν Ἰταλίησιν.

Venturum Ionia sapientem ex urbe Latinis.

Vid. Stanleji Hist. Philos. Parte IX. cap. 3. p. 832. Sed fungus sit, qui fucum non videat. Non sane ipse has leges scripsit Hermodorus, quod Strabo Lib. XIV. p. 951. edit. nov. velle videtur, sed, ut Pomponius l. 2. §. 4. D. de orig. jur. scribit, auctor Decemviris fuit ferendarum legum, id est, ut ego interpretor, consilio illos jovit, & obscuriora interpretatus est. Quamobrem illum Decemvirorum interpretem vocat Plinius Hist. Nat. XXXIV, 5. Et quis quaeso dubitet, quin illis opus fuerit interprete, nulla Graecae sapientiae cognitione imbutis? Falluntur etiam, qui & Justinianum verbis l. 2. §. 19. C. de vet. jur. enucl. Hasce itaque leges & ADORATE, & observate, ad illud Heracliti somnium adludere, & Pontificem Cap. 5. X. de praescript. Hermodoro Ephesii legislatoris elogium tribuere contendunt. Maran. de Aequit. pag. 36. Tomo II. Op. Ephesius enim legislator ibi est Theodosius Imp. qui concii-

concilium Ephesinum indixit, Ciron. *Observ. I.*, 15. & V. C. Ever. Otto *praefat. Tom. III. Theſ. Jur. p. 3.* quemque praefcriptionis tricennalis auctorem eſſe, praeclare docuit Gonzal. Tellez *Tom. II. Parte II. p. 678.* ut mirum ſit, virum doctiſſimum poſtea cum Jo. Savarone *ad Sidon. Epift. VIII, 6.* pro *Ephesinus* reſcribi jubere *Eugenius legiſlator.* H. Non videtur Heraclitus verum τὸ ψηφισμαῖον percepſiſſe ſenſum. Id enim maxime ſemper curae fuit liberis civitatibus, ut conſervarent inter cives aequalitatem, ne forte quis, elato altius capite, clientumque, quos ſibi largitionibus fecerat, inſtructus auxilio, detrimenti quid afferre libertati poſſet. Certe Romani olim hanc aequalitatis legem ſtudioſiſſime cuſtodierunt, quod docent, & accurata agrorum diviſio, & variae leges Cenſoriae: quam, cum dominante libidine, negligentius poſteritas haberet, verſa Democratia, tyrannidem experta eſt. Quis itaque vitio verteret Ephēſiis, de libertate tuenda ſollicitis, quod ψηφισμαῖον fecerint tale, *ἡμῶν μὲν εἰς ὅντις ἔστω*, quod recte interpretatus eſt Cicero, *Nemo de nobis unus excellat?* Eſt enim *excellere*, altiora tenere, & ὀντις, qui juvando alios, atque commoda in eos conferendo, ſibi auctoritatem prae reliquis conciliat, eoque efficit, ut ſolus omnia in civitate poſſit. Male ideo vertunt, *meritis excellat*, & putant, ipſam virtutem ab Ephēſiis loco pulſam eſſe. At tam abſurdas Ephēſios leges dediſſe, ne fingi quidem poſteſt. Hermodorus urbe eiectus eſt, quoniam libertati inſidias ſtruebat. Romam veniens, Patriciis carus fuit, quod ipſi quoque de Ariſtocratia ſtabilienda, & opprimenda plebe, conſilia agitabant. Cum vero peregrinae leges, ſi cauſas ignoramus, propter quas illae latae ſunt, vix intelligi, multoque minus in civitatem recipi poſſint, facile patet, Hermodorum, virum inter Graecos clariſſimum, quoniam accuratam, earum

earum civitatum, ad quas Romanorum legati adierant, notitiam habuit, allatam Romam legum Graecarum farraginem, & omnium optime elucidare, & Decemviros consilio juvare potuisse, Plinius ideo bene *interpretem* vocat; quod cum legisset Brunquellus, per summam incogitantiam in *Historia Juris* scripsit, ignorasse Decemviros linguam Graecam. R.

§. XXVI.

Priores has tabulas anno V. C. CCCIII. promulgatas prius populo, & centuriarum suffragiis, * more majorum probatas, tabulis, sive *eboreis*, l. 2. §. 4. *D. de orig. jur.* sive *roboreis*, & paucis annis post *aeneis* inciderunt, Liv. III, 57. & pro ROSTRIS, (id est, eo loco, cui postea, circumactis plus quam centum annis navium Antiatium rostra suffixa nomen fecerunt, Plin. *Hist. Nat.* XVI, 4. Liv. VIII, 14. Flor. I, 11.) publice proposuerunt, Liv. Lib. III. Cap. 34. & 57. Dionys. Halic. Lib. X. p. 681. l. 2. §. 4. *D. de orig. jur.* sparso simul rumore, duas adhuc tabulas illi corpori ad perfectionem deesse. Liv. Lib. III, 34.

Quarum
decem
initio
proposi-
tae.

* Errat Dionysius, cum *Lib. X. pag. 681.* decem tabulas Plebiscito quoque confirmatas esse scribit. Nulli enim tum Tribuni fuerunt. *Eboreis tabulis* leges inscriptas fuisse, quod Pomponius vult, ne probabile quidem est. Recte jam olim Scaliger *Animadvers. ad Guilandini Papyrus*, emendavit *roboreas*, quam conjecturam Dionysius confirmat *Lib. III. pag. 178.* quo loco, antiquissimis temporibus & leges & sacrorum ritus, quernis tabulis Romanos inscripsisse, memoriae tradidit. Certe, si ebur hac jam aetate apud Romanos in

usu fuisset, vix ignorare Elephanti nomen potuisse videntur. At vero id nescivisse, docet historia belli cum Pyrrho rege gesti. Cum enim eo tempore primum Elephantum in Lucania vidisset Romanus miles, *Bovem Lucam* appellavit. Consule Cl. Ottonem *Praefat. ad Tonq. III. Thes. Jur. pag. 4. R.*

§. XXVII.

Postea,
additis
duabus
reliquis,
imperium
abrogatum
decemviris.

Quum vero deinde in tyrannidem abiret illud decemvirale imperium, ac proinde populus magno duarum reliquarum tabularum desiderio teneretur: Appii Claudii libidine & iniquitate * factum est, ut insequente anno CCCIII. magistratu se abdicare cogentur Decemviri, publicatis tamen prius duabus, quae deesse dicebantur, tabulis. Dionys. Halicarn. *Lib. X. p. 684. Liv. Lib. III. Cap. 37.* Itaque tota illa legislatio XII. constitit Tabulis, *fonte omnis publici privatiq. juris. Liv. ibid. III, 34.*

* Nihil majorem Decemviris invidiam concitavit, quam Appii iniquitas, qui alienato in libidinem animo, ut Virginia puella quantocyus potiretur, contra suam ipsam legem vindicias secundum feruitatem discernere non dubitaverat. Inde enim maxima feditio, inde caedes Virginiae vel potius parricidium, inde motus castrensis, denique Appii carcer, omniaque ad plebis voluntatem instituta, quae fusius exsequitur Liv. *Lib. III. cap. 43. sequ. H.*

§. XXVIII.

In iis tamen & legibus Neque tamen ex solis peregrinis legibus novum istud legum Romanarum corpus confectum

fectum est *, sed & ex legibus patriis plura in illud migrarunt, ceu jam supra exemplo patriae potestatis ostendimus. (§. XV. *)

De lege, quam de patronis & clientibus tulerat Romulus, idem adfirmat Servius *ad Virgil. Aeneid. VI. v. 609.* de quibusdam Numae institutis Festus *in voce Murrata.* Quapropter & Dionys. *Lib. II. p. 97.* monet, leges regias in XII. Tabulis exstitisse, & *Lib. X. p. 681.* generatim docet, leges illas decemvirales compositas esse ἐκ τε τῶν Ἑλληνικῶν νόμων, καὶ ἐκ τῶν σφίσι ἀρχαίων ἔθισμῶν, *tum ex Graecorum jure, tum ex patriis eorum consuetudinibus. ***

Non mirum itaque est, Romanos, excisa a Gallis urbe, leges etiam regias una cum XII. Tabulis per Italiam conquifivisse. *Liv. Lib. VI. Cap. I. ****

* Non levem quorundam reprehensionem incurrun Romani, quod peregrinas leges adsciverint, quum non omnes leges omni quadrare reipublicae ex civilis prudentiae principiis notissimum sit. At *primo* non omnes illae leges peregrinae fuerunt: sed plerisque jam pridem sua Romae constitit auctoritas. *Deinde* non sine delectu ex illa Graecarum legum farragine corpus quoddam informe & sibi dissimile composuerunt decemviri, sed, prudente adhibita ἐπιλογῇ, ea tantum, quae concinna reipublicae suae videbantur, in tabulas illas retulerunt. *Tum porro* non omnes leges peregrinas servabant integras, sed eas, prout e re esset, emendabant, suaeque civitatis accommodabant moribus, ceu ad oculum patebit, si quis leges Atticas cum Romanis contulerit, quod praeter alios fecit Pard. Pratejus *in Jurispr. veter. Tomo IV. Thes. Jur.* Denique in tanta patrum plebis-

plebisque aemulatione ipsam necessitatem Romanis id consilium extorsisse, satis patet ex oratione Romuli apud Dionys. Halicarnass. *Lib. X. p. 676.* ut jam non dicamus, & alias gentes peregrina instituta non adspernatas esse. Lycurgum enim e Cretenfibus leges suas accepisse, docet Plato *in Minos*. Charondae quoque & Zaleuci leges non nisi exterorum institutorum συλλογὴν quamdam fuisse, observant Diodor. Sicul. *Biblioth. XII. pag. 79. Edit. Rhodoman.* & Strabo *Lib. VI. p. 398. Edit. Almelov.* Quin prudentiam Romanorum, quam adscitis exterorum institutis ostenderunt, mirifice laudat Caesar apud Sallust. *in Bell. Catilin. Cap. LI. H.*

^{} Cum Dionysius *Lib. II. pag. 97.* scribat, Decemvros in foro proposuisse, τὰς παλαιὰς ἰθισμὸς τε καὶ νόμους, ἀμὰ τοῖς ἐπεισακτοῖς, patrios mores legesque, simul cum adscititiis, hunc locum ita emendat Georg. d'Arnaud *Var. Conjectur. Lib. II. c. 20.* Ἐκ τε τῶν Ἑλληνικῶν νόμων, καὶ τῶν ὠρεθῶσφιν ὠληῖς, ΚΑΙ ἀγράφων ἰθισμῶν. *Atque e Graecanicis legibus, & propriis, & e moribus non scriptis.* Quam viri doctissimi emendationem idem Dionysius firmat, *Lib. V. pag. 278.* referens, Confules primos Tullii Regis humanas leges de contractibus in usum revocasse. Quae leges cum scriptae fuerint, satis constare poterit, Romam ante Decemvros, & scriptis legibus, & moribus usam esse, ipsamque postulasse necessitatem, ut scriptae quoque leges, (quarum tamen numerus fuit exiguus, ut ad §. 18. supra observatum est) in XII. referrentur. R.

*^{**} Per Italiam Romanos leges conquisivisse, Livius scriptum non reliquit, apud quem haec legimus: *In primis foedera ac leges (erant autem eae duodecim tabulae, & quaedam regiae leges) conquiri, quae comparerent, jusserunt.* Conquiri vero potuerunt tabulae, vel in ruinis urbis, vel in coloniis, quae Jure Romano vivebant. R.

§. XXIX.

Leges illae XII. Tabularum, scriptae quidem verbis antiquis, ac proinde posteris paullo obscurioribus, Horat. *Lib. II. Epist. I. v. 23. sequ.* Seneca *Epist. CXIV. Gell. Noct. Att. Lib. XVI. Cap. 10.* Symmach. *Lib. III. Epist. 44.* non tamen in metrum vel carmen umquam redactae sunt *. Ev. Otto *praef. Tomi III. Thesaur. Jur. p. 5.* Viguerunt postea constante usu, & multis juris nostri capitibus dederunt originem, adeo ut Ciceronis tempore, qui juris prudentiae dare vellent operam, ipsa verba *tamquam carmen necessarium* edificare cogerentur. Cicero *de Legib. Lib. II. Cap. 23.*

Leges XII. Tab. constante usu viguerunt.

* Vocantur quidem hae leges CARMEN, veluti apud Ciceronem loco paullo ante laudato. Sed *carmen* de quibusvis verbis conceptis, etiam profaïcis usurpatur. Sic apud Livium *Lib. III. cap. 64.* reperimus *rogationis carmen*: & *Lib. X. cap. 38. dirum execrationis carmen.* denique apud Ciceronem *pro Muraena Cap. XII.* formula: SVIS VTRISQVE SVPERSTITIBVS PRAESSENTIBVS: ISTAM VIAM DICO: INITE VIAM. vocat *carmen compositum.* Eodem modo & Graeca vocabula μέλι, ὕμνος, ᾠδή de soluta oratione usurpari, ostendit Gisb. Cuper. *Observ. II, 10. p. 219. sequ. H.*

§. XXX.

Quum tamen quaedam in illis rigidiores priscorum mores redolerent: deterfa paullatim illa vitae austerioris rubigine, populus capita quaedam abrogasse dicitur lata Lege

An illis derogatū per legem Aebutiam.

AEBVTIA. Id enim plerique colligunt ex loco Gellii *Noct. Attic. Lib. XVI. Cap. 10.* *Videri potest, qui de ea lege operosissime egit, V. C. Abr. Wieling *de furto per lanc. & lic. concepto Cap. VI. p. 94. sequ.* Tamen & aetas & ipsa legis istius sententia incertissima manet.

* Attulerat Charondas *ad Udalr. Zafii Catalogum legum* monumentum, ex quo, si genuinum esset, lex illa posset mirifice illustrari:

L. AEBVTIVS. TR. PL. VIR. POPVLARIS.
LEGEM. TVLIT. AD. POPVLVM. VT. XII.
TABB. CAPITA. QVAE. INVTILIA. ES-
SENT. REIP. TOLLERENTVR. QVAE. LEX.
MVLTVS. CONTRADICENTIBVS. TAN-
DEM. ROGATA. EST.

Sed vereor, ne a falsaria manu sit totum istud monumentum, mirorque, laudatissimum Wielingium id non observasse. Locus Gellii satis obscurus est. Ait enim auctor: *Sed enim quum proletarii, & Assidui, & Sanates, & vades, & subvades, & viginti quinque asses, & taliones, furtorumque quaestio cum lance & licio evanuerint, omnisque illa XII. Tabularum antiquitas, nisi in legis actionibus centumviralium causarum, LEGE AEBVTIA lata, consopita sit: studium scientiamque ego praestare debeo juris & legum, vocumque earum, quibus utimur.* Ex eo enim Gellii loco alii colligunt, centumvirale iudicium institutum esse lege Aebutia, Siccama *de centumvirali iudic. I, 8.* alii, legem Aebutiam tantum ad vocabula antiqua pertinuisse, contendunt, uti Paull. Badius *Subtil. II. 1. & V. C. Ev. Otto Praef. Tomi III. Thes. Jur. p. 44.* Sed quum de folis vocabulis legem latam esse vix sit verosimile: ego quidem adferri malim Paulo Manutio *de legib. Cap. XVI.* quaedam legum XII. Tabularum capita hac lege abrogata esse, existi-

mant,

manti, maxime quum Gellii verba alium sensum admittere vix videantur. H.

§. XXXI.

Quin perpetuo fere usu viguisse has leges, vel id argumento est, quod eas commentariis suis certatim illustrarunt jurisconsulti veteres, SEX. AELIVS, L. ACILIVS, L. AELIVS, (non *Laelium*, uti vulgo scribunt, Turneb. *ad Cic. de Legib. II. 23.*) MESSALLA, ANTISTIVS LABEO,* SER. SVLPICIVS, CAIVS, * fortassis etiam ATEIVS CAPITO **, quem Plin. *Hist. Nat. XIV, 13.* cum Scaevola & L. Aelio conjungit.

Commen-
tarii in le-
ges XII.
Tab. scri-
pti.

* De his videndus Jacob. Gothofredus *ad L. XII. Tab. Lib. VI. pag. 145. § 156. Tom. III. Thes. Jur. R.*

** Attamen quum Plinius nomen tantum auctorum, non librorum, exprimat: an in leges XII. Tabularum scripserit Capito, aequè incertum est, ac quod de SER. SVLPICIO, C. AVLO OFILIO, VALERIO MESSALLA fertur. Schubart. *de fatis jurispr. Rom. Exerc. II. p. 255. Ev. Otto praef. Tom. III. Thesaur. jur. p. 48. & de Servio Sulpicio Cap. VII. §. 3. p. 1598. Tom. V. Thesaur. jur. H.*

§. XXXII.

Quamvis vero permultis saeculis canescerent duodecim istae tabulae, & Cyprianus *Epist. II. p. 5.* five *Libr. ad Donatum de Gratia Dei pag. 7. Edit. Oper. Joan. Oxon.*) suo adhuc aevo eas publice exstitisse, innuat, quin saeculo VI. integrae procul dubio superfuerint in

Earum
interitus.

CAII *Dodecalo*, ex quo fragmenta non pauca in Digesta relata animadvertimus * periere tamen illae in ista rerum perturbatione, quam barbarorum irruptio in provincias Romanas invexerat, praeter paucissima, quae passim apud veteres scriptores supersunt, fragmenta. Rittersh. *Dodecad. Proleg. Cap. V. p. 13.*

* Fragmenta ex CAII δωδεκαδέλω supersunt tantum sequentia: l. 1. D. de orig. jur. l. 18. l. 20. l. 22. D. de in jus voc. l. 6. D. si quis caut. in jud. sist. fact. non obtemp. l. 2. l. 4. D. arb. furt. caes. l. 48. D. de pact. l. 43. D. ad leg. Jul. de adult. l. 9. D. de incend. ruin. naufr. l. ult. D. de colleg. l. ult. D. fin. reg. l. 3. D. de litigios. l. 19. D. de usur. l. 233. l. 234. l. 235. l. 236. l. 237. l. 238. D. de verb. signif. Quumque fragmenta ista ex omnibus, quos CAIVS scripserat, commentariorum libris deprompta sint: opus illud integrum superuisse oportet temporibus Justiniani, adeoque & leges XII. Tabularum, quarum ipsa verba κατὰ πρόβα jureconsultus ille interpretatus est. H.

§. XXXIII.

Et restitutio.

Quamobrem nihil reliqui fecerunt viri docti, ut opus insigne, & judice Cicerone *de Oratore I, 44. omnibus omnium philosophorum bibliothecis anteponendum*, pristinae integritati, quoad ejus fieri posset, restituerent. Longum eorum catalogum texunt alii: * sed notasse sufficiet, omnium industriam superasse Jctum eximium, IAC. GOTHOFREDVM, qui in *Fontibus quatuor juris civilis, Tomo*

III. *Theſauri jur.* recuſis, non modo fragmenta omnia cum cura collegit, eaque a jureconſultorum interpretamentis cum cura ſejunxit, ſed & in qua unumquodque tabula poſitum fuerit, oſtendit, omniaque & ex fontibus ipſis probavit, & notis illuſtravit bonae frugis pleniffimis.

* Congeſſerunt legum Decemviralium fragmenta ex veterum monumentis IVSTVS LIPSIUS & FRANC. PITHOEVVS. Eadem interpretati ſunt FRANC. BALDVINVS, FRANC. HOTOMANNVS, IAC. RAEVARDVS, ANT. AVGVSTINVS, THEOD. MARCILIUS, PAVLVS MERVLA, PARD. PRATEIVS, CONTIVS, CHARONDAS, RITTERSHVSIUS, AYMARVS RIVALLIVS, CLAR. SYLVIVS, RIC. VITVS (BASINSTOCHIVS), IAN. VINCENT. GRAVINA, & alii. Sed nemo paria fecit GOTHOFREDO, qui non contentus collegiſſe fragmenta, eaque qualicumque ordine explicaiſſe, ipſas XII. Tabulas ordini integritatique ſuae reſtituere primus conatus eſt. Quamvis ne hunc quidem eximium virum omnia vidiffiſſe, aliquando etiam humani quid paſſum eſſe, exemplo non uno oſtenderit V. C. Ever. Otto *in praef. Tomi III. Theſaur. Jur. H.*

§. XXXIV.

Ex hoc vero IAC. GOTHOFREDI quantivis pretii opere patet, *primam* tabulam leges de in jus vocatione, & reliquis, quae in jure fiebant: *ſecundam* de judiciis & furtis; *tertiam* de rebus creditis & contractibus; *quartam* de jure patrio & connubiis; *quintam* de hereditatibus & tutelis; *ſextam* de domi-

De quibus rebus ſingulis tabulis actum ſit?

nio & possessione; *septimam* de delictis & criminibus; *octavam* de juribus praediorum; *nonam* de jure publico; *decimam* de jure sacro; *undecimam* & *duodecimam* reliquarum supplementa comprehendisse. *

* IAC. GOTHOFREDVS singulas leges tum stilo vetere, quo eas scriptas existimat, sistit, (quamvis eas, quarum ipsa verba legitima auctores veteres servarunt, majusculis litteris distinguat) tum & novam earum paraphrasin addit. Enimvero quum in repraesentanda veteri Latinitate iusto plus sibi indulgeat vir doctissimus: non sine fructu simul consuli poterit IO. NIC. FVNCCLVS de *puerit. Lat. Linguae Cap. IV. §. 4. sequ. p. 260.* H. Nonnulla, quae afferuit Cl. Funcius, in dubium vocavit Balth. Branchu in *Observ. ad Jus Rom. Addend. p. 233.* cui is non tantum, *Spicilegium literarium, quo recta probatur legum decemviralium restitutio*, opposuit, sed nuper quoque, edito in XII. Tab. Commentario, tabularum antiquissimam lectionem repraesentare studuit, pluraque observavit bonae frugis plenissima. Num vero fieri possit, & an conducatur, ut prisca legum verba restituantur, disquisivit Cl. Otto *praefat. Tom. III. Thes. Jur. pag. 23. sequ.* Id certissimum est, nulla hodie superesse antiqua monumenta, quae Decemvirum tempore lucem viderunt, nisi quis eo referre velit tabulas illas Eugubinas, de quibus tamen adhuc sub iudice lis est, utrum a Latinis, an Hetruscis habeant originem, quaeque adeo obscurae sunt, ut doctissimi interpretes adhuc nesciant, quid iis inscriptum sit. R.

§. XXXV.

Postremo observandum, harum legum fragmenta insignem utilitatem adferre posse
juris

Earum
 utilitas.

juris studiosis. Inde enim jurium multorum origines, inde Pandectarum & Codicis, ipsiusque Edicti perpetui ordinem, ejusque rationem, inde multarum actionum naturam atque indolem intelligent. Fuerunt ergo, qui jurisprudentiae studium a XII. Tabulis auspicandum esse monerent. Vid. V. C. Ev. Otto *praefat. Tomi III. Thesaur. Jur. p. XLVI. sequ.* Ego illis tantum, qui erectioris ingenii impetu ad interiorem sapientiae civilis cognitionem adspirant, auctor sum, ut sibi familiares reddant has tabulas. Reliquis enim, qui cruda studia propellere in forum, & ea tantum, quae πρὸς τὰ λφίτα sunt, addiscere properant, adclamari fatius fuerit:

Procul, o procul este, profani.

Huic tamen loco leges XII. Tabularum subjiciendas esse duximus, quoniam earum insignis est ad studium Juris recte diligenterque perfequendum utilitas; quas hujus libri Interpretes aut ipsi, si tempus & auditores finant, interpretari, aut certe studiosis Juris diligenter commendare, poterunt. R.

	- - - - -	Caj. lib. I. ad leg. XII. Tab. cujus pars prior huic primae tab. respondet. Caj. l. 18. 20. 22. in pr. ff. de in jus vocan. α Id est, sē in jus vocat, atque eat. Porphyri- on ad lib. I. Satyrar. Hor. Sat. 9. β id est, nī it. Cajus l. 233. in pr. ff. de V. S. Gell. lib. 20. c. 1. γ id est, quē in. Cajus l. 22. §. 1. ff. de in jus voc. δ ubi. ε RATO. ζ id est, nī ita: puta, vindice dato, vel pacto inito.
	SIN α JUS VOCAT QUĒAT :	
	NIT, β ANTESTAMINO: IGITUR, EM CA- PITO.	
	SI CALVITUR, PEDEMVE STRUIT, MANUM ENDO IACITO.	
	SI MORBUS AEVITASVE VITIUM ESCIT, QUIN γ JUS VOCABIT JUMENTUM DATO: SI NOLET, ARCERAM NE STERNITO.	
II.	SI ENSIET, qui in jus vocatum vindicit miTito.	
	ASIDUO VINDEX ASIDVS ESTO: PROLETA- RIO, CUIQUI VOLET VINDEX ESTO.	
	Endo via REM δ UTI PAICUNT, ε ORATO.	
III. Cogni- tio Prac- toris.	NITA ζ PAICUNT, IN COMITIO, AUT IN FO- RO ab ORTU ANTE MERIDIEM CAUSAM CONSCITO, * CUM PERORANT AMBO PRAESENTES. *	
	POST MERIDIEM PRAESENTI STLITEM ADI- CITO.	
	SOL OCASUS SUPREMA TEMPESTAS ESTO.	

ex Sall. de Rep. VI, 10.
Sall. de Ling. 10.

SI quis aliquem in jus vocet, vocatus statim sequitor.

Si in jus vocatus non sequatur, qui vocabit, testes ante adhibeto,
 & tum in jus vocatum sistere ei jus esto.

Si & tum in jus vocatus moretur, frustretur, fugamve adornet,
 manum ei injicere jus esto.

Si imbecillitas, aut invalentiã quaedam, aetasve senilis impedi-
 mento sit, quominus vocatus in jus sequatur, qui in jus vo-
 cabit vocato vectabulum, seu vehiculum, quod adjunctis pe-
 coribus trahetur, dato: si nolet is, qui in jus vocabit,
 vocato petenti plaustrum undique tectum, munitumque
 sternere, ne cogitor.

Si tamen sit aliquis, qui in jus vocatum, vel pressum defendat,
 dimittitor.

Ceterum locupletis vindex locuples esto: pauperi prolem tantum
 Reipub. sufficienti quilibet vindex esto.

Item si de re transactum fuerit inter vocantem, & vocatum, dum
 in jus venit, ita jus, ratumque esto.

Si neque vindex aliquis sit, neque de re in via transactum fue-
 rit, tum in comitio, aut in foro Praetor causam cognoscito,
 ante meridiem, cum ambo litigatores praesentes perorant.

Post meridiem, etiamsi unus tantum praesens sit, praesenti actio-
 nem dato, iudiciumque constituito.

Sole occidente supremus terminus iudiciorum esto, seu iudicia
 solvuntur. Ad solem proinde occasum Praetor jus reddito.

De Judi-
ciis.

I.

NumaR.

II.

extra quam si MORBUS SONTICUS --- VOTUM
 α absentia β Reipublicae ergo, AUT STATUS
 DIES CUM HOSTE intercedat: nam si QUID
 HORUM FUAT UNUM γ JUDICI ARBITRO-
 VE, REOVE, EO DIE DEFENSUS ESTO.

CUI TESTIMONIUM DEFUERIT, IS TERTIS
 DIEBUS OB PORTUM OBVAGULATUM ITO.

DeFurtis
I. deno-
cturno
fare.2. de di-
urno.2. mani-
festo.vel qua-
si.2. nec
manife-
sto.3. de ar-
boribus
furtim
caesis.4. Com-
munia
defurtis.

SI NOX FURTUM FAXIT, SIM ALIQUIS OC-
SIT JURE CAESUS ESTO. δ

Si luci furtum faxit, sim aliquis endo ipso
 capfit verberator iLique, coi furtum fa-
 ctum escit, aDicitur.

Servus, virgis coesus, faxo deIcitur:

Inpubes, Praetoris arbitrato verberator, no-
 xiamque decernito.

SI SE TELO ε defensint quiritato ENDOQUE
 PLORATO: post deinde si coesi escint, se
 fraude esto.

Si furtum lance licioque conceptum escit,
 atque uti manifestum vindicator.

SI ADORAT FURTO, QUOD NEC MANIFESTUM
 ESCIT, duplione decidito. ζ

SIn juri alienas arbores coesit, in singulas
 xxv. aeris luito.

Si pro fure damnus decidus escit, furti ne
 adorato.

Furtivae rei aeternauctoritas esto.

Caji lib. I.
 ad leg. XII.
 Tab. cujus
 pars posterior
 huic secun-
 dae tab. re-
 spondet.

α Numae R.
 lex II. Tab.

II. Capito a-
 pud Festum
 verb. Reus.

β Caj. l. 233.

γ Cajus l. 6.
 ff. si quis
 caut.

δ al. vitium,
 ut supra Tab.

I. l. 1. Si
 morbus ae-
 vitasve vi-
 tium escit.
 Labeo lib.
 de XII. Ta-
 bul. II. De
 furtis egit
 Gellius 15.

ε Forte in
 ipsa leg.
 fuit: se
 fraude
 esto.

Cajus l. 233.
 §. 2. ff. de
 V. S.

ζ Luitque
 Cajus l. 2.
 & 4. ff. de
 arboribus
 furtim cae-
 sis.

Judicio constituto, iudiceque adito vades, & subvades iudicio sistendi utrimque dantor, iique sistere tenentor: nisi si morbus vehemens vim graviter nocendi habens votum aliquod, absentia Reipublicae ergo intercedat, aut constitutus sit dies cum peregrino: nam si quid horum fuerit, & obvenerit iudici arbitrove, vel reo, iudicii dies differatur.

Qui testimonium denuntiare volet, is trinundino, id est, ter intra XXVII. dies ad domum ejus, cui testimonium denunciat, denunciatum ito.

Si noctu furtum fiat, furem autem aliquis occiderit, impune esto.

Si interdii furtum aliquis fecerit, eumque aliquis in ipso furto deprehenderit, verberetur, illique cui furtum factum fuerit addicatur. Servus prius virgis caesus saxo Tarpejo dejiciatur. Impubes Praetoris arbitrio verberetur, noxaeque ab eo facta sarciatur.

Quod si se telo defendant, dominus cum clamore prius id testificetur: tum si occisi fuerint, jure caesi sunt.

Si furtum per lancem, & licium conceptum erit, perinde ac si manifestum foret, vindicator.

Si agatur de furto non manifesto, fur dupli damnator.

Qui injuria, seu furtim alienas arbores caeciderit, pro singulis arboribus caesis XXV. assibus multator.

De furto pacisci jus esto: & si pactum intercesserit, furti amplius agere jus non esto.

Furtivam rem usucapere jus ne esto.

1. De deposito.
 2. De fenore.
 3. De jure crediti persequendi adversus
 1. hostē, id est, peregrinum.
 2. Confessum judicatum.

- - - - -
 Si qui endo deposito dolo malo factum
 escit, duplione luito.

- - - - -
 Si qui unciario foenore amplius foeneraSit,
 quadruplione luito.

- - - - -
 ADVERSUS HOSTEM & AETERNAUCTORITAS
 ESTO.

AERIS CONFESI, β REBUSQUE JURE JUDI-
 CAVIS XXX. DIES JUSTI SUNTO:

POST DEINDE MANUS INJECTIO ESTO, IN
 JUS DUCITO;

NI JUDICATUM FACIT, AUT QUIPS γ ENDO
 IN JURE VINDICIT, SECUM DUCITO, VIN-
 CITO, AUT NERVO AUT COMPEDIBUS XV.
 PONDO NE MAJORE: AT SI VOLET MI-
 NORE, VINCITO;

SI VOLET, SUD VITO: δ NI SUO VIT, QUI
 EM VINCTUM HABEBIT LIBRAS FARIS
 ENDO DIES DATO; SI VOLET, PLUS DATO.

Ni cum eo pacit, LX. dies endo vinculis reti-
 neto: Interibi trinis nundinis continuis
 in Comitium prociato, acrisque aesti-
 miam judicati praedicato.

Ast si plures erunt rei, TERTIS NUNDINIS
 PARTIS SECANTO: SI PLUS MINUSVE SECUE-
 RUNT, SE FRAUDESTO: si volent uls
 Tiberim peregre venumdanto.

- - - - -
 - - - - -

Caj. lib. 2.
 ad leg.
 XII. Tab.
 cujus pars
 prior huic
 tertiae ta-
 bulae re-
 spondebat.

α Caj. l.
 234. in
 princ. ff.
 de V. S.
 β confessi.
 γ locuples.
 Cajus l.
 234. §. 1.
 ff. de V.
 S.

δ Caj. l.
 234. §. 1.
 ff. de V. S.

SI quid circa rem depositam apud se depositarius dolo malo admiserit, dupli poena adficator.

Si quis majus quam unciarium foenus (quod unciam menstruam dependit in centum) exercuerit, quadrupli poena adficator.

Peregrinus quidquam usucapere non valet: cujus adversus eum in perpetuum actio esto.

Si debitum quis confessus fuerit, vel condemnatus jure fuerit, induciae ei menstruae 30. dierum ad debitum exolvendum dantor.

Si intra dies 30. illos debitor non satisfaciat, tum creditori capere eum, sive prebendere, atque in jus ducere jus esto.

Debitor ita nexus si poterit suo vivat: si non habeat, tum creditor, qui eum vincitum habebit, singulas farris libras in singulos dies ei dato: si volet plus ei pro arbitrio dare liceto.

Si & tum judicatum non solvat, neque interea quisquam eum in jure defendat, proque eo interveniat, in privatam carcerem, seu vincula adducere creditori jus esto, eumque vel nervo, vel compedibus vincire: sic tamen ut vincula non sint graviora quam XV. pondo: leviora enim adhibere pro arbitrio jus esto.

Paciscendi interea addicto cum creditore jus esto: si non pactus fuerit, 60. diebus creditori addictum in vinculis habere jus esto: Intra eos dies trinis mundinis continuis ad Praetorem in comitium producitor, quantaque pecuniae judicatus esset praedicator.

Asi si plures erunt creditores, tertiis mundinis, id est 27. die corpus rei in partes secanto: si plus minusve secuerint, sine fraude esto: si malent, trans Tiberim eum peregre venumdanto.

66 TABULA IV. DE JURE PATRIO, ET JURE CONNUBII.

De jure patrio.

PATER insignem ad deformitatem puerum cito necato.

Endo α liberis justis vitae necis β venundandique potestas ei esto.

SI PATER FILIUM TER VENUNDVIT, FILIUS A PATRE LIBER ESTO.

Si qui ei γ in X. MENSIBUS PROXIMIS postumus natus escit, justus esto.

De jure connubii.

-	-	-	-	-	-	-
-	-	-	-	-	-	-
-	-	-	-	-	-	-
-	-	-	-	-	-	-
-	-	-	-	-	-	-
-	-	-	-	-	-	-
-	-	-	-	-	-	-
-	-	-	-	-	-	-
-	-	-	-	-	-	-
-	-	-	-	-	-	-
-	-	-	-	-	-	-
-	-	-	-	-	-	-
-	-	-	-	-	-	-
-	-	-	-	-	-	-
-	-	-	-	-	-	-
-	-	-	-	-	-	-

Caji lib. 2. ad leg. XII. Tab. cujus pars posterior huic IV. Tabulae respondet.
 α Dionys. Halicarn. lib. 2.
 β δὲ τὸ τῷ κούρῃ, ut existimo, vox haec ab Ulpiano repetita.
 γ patri scilicet.
 Supplementum harum legum de jure connubii repetit ex Tab. XI. De mulieris usu agetur infra Tab. VI. De repudio etiam extat lex quaedam d. Tab. VI.

*P*ater filium sibi natum monstruosum, vel prodigiosum statim necato.

*I*n liberos justis ex nuptiis quæsitos patri jus vitæ necis, vendendique eos jus esto.

*S*i pater filium ter vendiderit, filius post tertiam venditionem plene a patre liber fiat.

*S*i filius patri post mortem ejus intra decem menses proximos a morte natus ex uxore erit, justus ei filius esto.

1. De testamento.

PATERFAMILIAS UTI LEGASIT, SUPER PECUNIAE TUTELAEVE SUAEREI, & ITA JUS ESTO.

Caji libro tert. ad leg. XII. Tabul. cujus pars prior huic quintae tabulae respondebat.

2. De successione ab intestato.

AST SINTESTATO MORITUR, CUI SUs HERES NEC ESCIT, AGNATUS PROXIMUS FAMILIAM HABETO.

a δὲ τῆ κοινῆ

1. De gentilitiis hereditatibus.

SI AGNATUS NEC ESCIT, GENTILIS FAMILIAM HERES NANCITOR.

verbum paterfamil. hic repetit auctor libri ad Herenn. & Cicero 2. de inventio- ne, quod tamen alii omittunt.

2. De libertorum bonis.

Si libertus intestato moritur, cui sUs heres nec escit, ast patronus patronive liberi escint, EX EA FAMILIA IN EAM FAMILIAM proximo pecuniADUITOR.

3. Communia hereditatum.

Nomina inter HEREDES pro portionibus hereditaris ERCTA, CITA funto.

Ceterarum FAMILIAE rerum ERCTO NON CITO si volent Heredes ERCTUM CITUM faciunt: Praetor ad ERCTUM CIENDUM arbitros tris dato.

4. De legitimis agnatorum & gentili-um tutelis.

Si paterfamilias intestato moritur, cui nubes suus heres escit AGNATUS PROXIMUS TUTELAM NANCITOR.

SI FURIOSUS AUT PRODIGUS EXISTAT, AST EI CUSTOS NEC ESCIT, AGNATORUM GENTILIUMQUE IN EO PECUNIAVEIUS POTESTAS ESTO.

- - - - -
 - - - - -
 - - - - -
 - - - - -
 - - - - -
 - - - - -

*P*aterfamilias uti legem dixerit, seu prout disposuerit de bonis suis, & liberorum suorum tutela, ita post mortem ejus observator.

*A*st si intestato moritur paterfamil. neque ei suus heres erit, tum agnatus proximus heres esto: si agnatus non erit, tum gentilis heres esto.

*S*i libertus intestato decedat, neque suum heredem reliquerit, sed patronum tantum, vel etiam patroni liberos, tum liberti bona ex ejus familia in patroni familiam translata proximo in patroni familia addicuntor.

*D*efuncto creditore, vel debitore ejus heredes pro portionibus hereditariis convenire & conveniri tantum possunt; ipsoque jure inter eos obligatio dividitur. At ceterarum rerum si volent heredes divisionem faciunt: ad eam divisionem Praetor tres arbitros dato.

*S*i paterfamilias intestatus decedat, cui suus heres extabit impubes, Agnatus proximus tutor hujus sui heredis esto.

*S*i qui furiosus, aut prodigus esse incipiat, neque is curatorem habeat, agnatorum, iisque deficientibus, gentilium curae tam ipse, quam ejus bona committuntor.

70 TABULA VI. DE DOMINIO, ET DE POSSESSIONE.

1. De nexu mancipio.

QUUM & NEXUM FACIET MANCIPIUMQUE, UTI LINGUA NUNCUPASIT ITA JUS ESTO.

Caji lib. 3. ad leg. XII. Tab. cujus pars posterior huc 6. tabulae respondet. & Cajus l. in traditionibus 48. ff. de pactis.

Si inficias ierit, duplione damnator.

Statuliber, EMPTORI dando, liber esto.

Res vendita TRANSQUEDATA emptori non acquiritor, donicum satisfactum escit.

2. De usu auctorit. id est de usufructu.

USAUCTORITAS FUNDI, BIENNIUM: ANUS US ESTO.

Cajus l. ferri 235. in princ. ff. de V. S.

Mulieris, quae aNUM matrimonium ergo apud virum remansit, ni trinoctium ab eo usurpandi ergo abescit, usus esto.

3. De vindictis, de iure possessionis.

SI QUIN JURE MANUM CONSERUNT, secundum eum qui possidet.

Ast si qui quem liberali causa manu adferat, secundum libertatem Vindicias dato.

TIGNUM JUNCTUM AEDIBUS VINEAEVE NE CONCAPET NE SOLVITO.

Ast qui junxit, duplione damnator.

Cajus d. l. 235. §. fabros tignarios I. ff. de V. S.

Tigna QUANDOQUE SARPTA, DONEC DEMTA ERUNT, vindicare jus esto.

4. De repudiis.

Si vir mulieri Repudium mITere volet, causam dicito harumce unam. - - -

Caj. l. si ex leg. repudiata 43. ff. ad l. Iuliam de adulter.

*C*um dominus rei suae nexum faciet, vel mancipium uti nominarit, locutus pactusve erit, ita jus esto.

Statuliber sub hac conditione liber esse iussus, si hoc, vel illud dederit, si venditus postea fuerit, emptori dando liber esto.

Res vendita traditaque non ante emptori acquiratur, quam ab emptore venditori aliqua ratione satisfactum fuerit.

Fundi biennio: ceterae res anno usucapiuntor,

Mulier, quamvis sine legibus viro juncta, si viro anno sine usurpatione, id est, interruptione trinoctii apud unum virum fuerit, usucapta esto.

Si de qua re in jure apud Praetorem disceptatur, secundum eum qui possidet Praetor vindicias dato: excepta liberali causa, in qua secundum libertatem Praetor vindicias semper dato.

Omnia materia juncta aedibus, aut vineae ne vindicator, neque solvitor; qui alienam junxit, duplo damnator; certe ubi soluta, demtaque fuerit, tum eam vindicare jus esto.

Si vir ab uxore divertere voluerit, causam divorcii dicito.

De Pau-
perie,
De da-
mao da-
to-

1. in ge-
nere.
2. fugi-
bus da-
to.

3. Incen-
dio fa-
cto.

De inju-
riis.

1. levio-
ribus,
2. atroci-
oribus,
1. loco:
seu pu-
blicis.

2. re.
Defalso.

1. *de iur.*
ma supie.

2. *ψευδο-*
μα supie.

es.

De par-
ricidio.

1. homi-
nis cu-
juslibet.
2. Paren-
tis.

De Fraude.

1. Tuto-
ris.

2. patro-
ni.

SI QUADRUPES PAUPERIEM FAXIT, dominus
noxi aestimiam oferto; si nolet, α quod
noxit dato.

INJURIA RUPITIAS, - - - - -

Ast si casu, SARCITO.

QUI FRUGES EXCANTASIT.

Qui frugem aratro quaesitam furtim nox pa-
vit fecuitve suspensus Cereri necator;
Impubes Praetoris arbitratu verberator,
noxiamque duplione decernito.

Qui pecu ENDO ALIENO IMPESCIT. - -

QUI ARDES acervumve frumenti ad AEDES
positum dolo sciens INCENSI, victus β
verberatus igni necator;

Ast si casu, NOXIAM SARCITO.

Si nec idoneus escit, levius castigat.

SI QUINIURIAM ALTERI FAXIT, XXV. AERIS
POENAE SUNTO.

SI QUI PIPULOCENTASIT CARMENVE CONDI-
SIT, QUOD INFAMIAM FAXIT FLAGITIUM
VE ALTERI fuste ferito.

SI MEMBRUM RUPSIT, NI CUM EO PAICIT,
TALIO ESTO.

QUI OS EX GENITALI FUDIT LIBERO, CCC.
SERVO CL. AERIS POENAE SUNTO.

QUI SE SIRI TESTARIER LIBRIPENSVE FUERIT,
NI TESTIMONIUM FARIATUR, IMPROBUS
INTESTABILISQUE ESTO.

Si falsum testimonium DICASIT faxo deIcitor.
Si qui hominem liberu dolo sciens morti duit.

QUI MALUM CARMEN INCANTASIT, MALUM
VENENUM FAXIT duitve PARICIDA ESTO.

QUI PARENTEM NECASIT, CAPUT OBNUBATO,
CULEOQUE infutus in profluentem mergitor.

Si tutor DOLO MALO gerat, vituperato
quandoque finita tutela escit, furtum du-
plione luito.

PATRONUSI γ CLIENTI FRAUDEM FAXIT, SA-
CER ESTO.

Caji lib. 4.
ad leg. XII.
Tab. cujus
pars prior
huic VII.
Tab. respon-
det.

α ut tab. I.
si nolet ar-
ceram ne
sternito.

Cajus l. qui
aedes 9. ff.
de incendio.
β victus.

Cajus l. qui
venenum
236. in pr.
ff. de V. S.

γ vel si pa-
tronus.

*SI quadrupes damnum dederit, dominus quadrupedis damni aesti-
mationem offero: vel si malis, quadrupedem ipsam noxae dato.
Si per injuriam damnum dederit: . . . Ast si casu, damnum sol-
vito, praestato.*

*Qui fructus alienos, alienamve segetem incantamentis in alias terras
transstulerit, pellegerit: vel ne crescerent obligaverit . . .*

*Qui frugem industrialem, aratro videlicet partam, furtim noctu pa-
verit immaturam, vel maturam secuerit, Cereri facer, & de-
votus suspendio necator. Impubes tamen si id fecerit, arbitrio
Praetoris verberator, damnumque datum in duplum sarcito.*

*Qui pecus in alienam segetem, vel frugem immiserit pascendi
gratia. . . .*

*Qui aedes aut acervum frumenti juxta domum positum sciens
prudens dolo incenderit, vinculus verberatus igni necator: si
vero casu, id est, negligentia, damnum datum sarcito: aut si
minus idoneus sit, levius castigator.*

*Si quis injuriam leviolem sive re, sive verbis alteri fecerit 25.
assibus multator.*

*Si quis publice aliquem diffamaverit, eique convicium fecerit,
vel carmen famosum condiderit ad alterius injuriam, seu
infamiam, fustibus feriatur.*

*Si quis alteri membrum aliquod ruperit, ni cum eo pacisci velit,
membrum ei pariter rumpere injuria affecto jus esto.*

*Qui dentem ex gingiva excusserit libero homini, trecentis assibus
multator: qui servo CL.*

*Qui alicui actui testis adfuerit rogatus, vel libripens, si postea
testimonium ferre detrectet, infamis habetor, neque ejus testi-
monium deinceps admittitor, neve ipsi testimonium dicatur.*

Si quis falsum testimonium dixerit, Saxo Tarpejo dejicitor.

*Si quis hominem liberum dolo sciens occiderit, capitalis criminis
reus esto.*

*Item qui magico carmine, seu incantamentis alium defixerit.
Item qui malum venenum fecerit dederitve. Qui parentem
necaverit capite obvoluto, culleo insutus in aquam abjicitor.*

*Si tutor dolo malo tutelam gerat, suspectum eum facere cuius li-
ceto: Si quid de rebus pupilli furatus fuerit, cum finita fue-
rit tutela, duplum praestato. Si quis quo tutor esset a vi,
& injuria alterius sese patrocinio commiserit, patronus autem
eum sefellerit, execrabilis esto.*

Inter vicinorum aedificia ad circumueundi facultatem spatium vacuum duorum pedum, & semis relinquitor.

Sodales, id est, collegiati (quorum certa fuerant corpora) leges inter se ferre liceto quas volent, dummodo publicis legibus contrariae non sunt.

Spatium quinque pedum (quod vacuum inter duos agros erat ad accessum, & circumductum aratri) usucapere jus non esto.

Si vicini de finibus disceptent, decertent, Praetor dirimendae controversiae tres arbitros dato.

Si arbor ex vicini fundo in vicinum impendat, arboris illius rami XV. pedibus altius circumcidantur.

Si fructus e vicini arbore in vicini fundum cadat, domino arboris legere fructum jus esto.

Si aqua pluvia opere manufacto nocere poterit, Praetor ad arcendam aquam ne noceat, tres arbitros dato: damni infecti nomine caveto.

Latitudo viae qua se recte porrigit via VIII. pedum esto: at ubi flexum est sedecim.

Si via ab iis qui vicina praedia possident munita non sit, iumentum agere quo quis velit jus esto.

IN singulos homines leges juraque ne feruntor.

Nexo soluto, item ei, qui in fide constanter mansit, & ei qui sanata veluti mente ad obsequium rediit, jus idem esto.

Si judex aut arbiter jure datus ob rem judicandam, pecuniam acceperit, capite luito.

De vita, libertate, civitate, familia adimenda civi Rom. populi judicium esto centuriatis comitiis.

Judices rerum capitalium a populo constituuntor.

Si quis in urbe coitiones agitaverit, capite luito.

Si quis hostem in pop. Rom. seu patriam concitaverit, vel civem hosti tradiderit, prodiderit, capite punitor.

1. De ju-
re ju-
rando.
2. De ju-
re sepul-
chro-
rum.

- - - de JURE JURANDO. - - -

HOMINEM MORTUUM IN URBE NE SEPELI
TO, NEVE URITO.

SUMPTUS ET LUCTUM A DEORUM ANIMUM
JUREMOVETO *α*.

HOC PLUS NE FACITO.

ROGUM ASCIA NE POLITO.

Tribus riciniis, & X. tibicinibus foris eFeRe
jus esto.

MULIERES GENAS NE RADUNTO : NEVE
LESUM FUNERIS ERGO HABENTO.

HOMINI MORTUO OSA NE LEGITO , QUO
POST FUNUS FACIAS , extra quam si beLi
endove hostico mortUs escit.

SERVILIS UNCTURA , OMNISQUE CIRCUM-
POTATIO auferitor.

MURRATA POTIO MORTUO NE INDITOR.

NE LONGAE CORONAE, NEVE ACERAE PRAE-
FERUNTOR.

QUI CORONAM PARIT IPSE PECUNIAVE, EJUS
VIRTUTIS ERGO, ARGUITOR : β ET IPSI
MORTUO PARENTIBUSQUE EJUS DUM INTUS
POSITUS ESCIT FORISVE FERTUR, SE FRAU-
DE IMPOSITA SIET.

Uni plura funera ne facito, neve plures le-
ctos sternito.

NEVE AURUM ADITO : AST SI CUI AURO
DENTES VINCTI ESCINT, IM CUM ILO SE-
PELIRE UREVE SE FRAUDESTO.

Rogum bustumve noVum propius LX. P. ae-
dis alienas, si dominus nolet, γ ne adlcito.

Fori bustive aeternauctoritas esto.

Caji lib.
5. ad l.
XII. Tab.
cujus pars
posterior
huic X.
Tab. re-
spondet.
Cicero
lib. 1. de
legib.
α pro ju-
re remo-
veto.

β id est
honora-
tor.

γ Cajus l.
237. ff. de
V. S.

Hominem mortuum in Urbe humare, vel urere jus ne esto.

Sumtuosa, & magnum funera, & lamentabilia prohibentur.

Funerum modus, qui nunc definitur, deinceps esto, neque eum excedere licet.

Signa, ex quibus rogi comburendo cadaveri construitur, dedolando ne levigentur, sed rudia, & impolita rogo adhibentur: tribus vinculis purpurae, neque pluribus, componi, vel uri mortuum jus esto: X. tibicines neque plures funeri adhibere jus esto.

Mulieres ne genas unguibus dilaniant, seu faciem carpunt.

Neque lugubrem ejulationem, seu fletum in funeribus adhibent.

Homini mortuo e cadavere membrum aliquod ne adimito, cujus causa postea funus, funerisque impensae de novo iterentur, nisi si quis in bello mortuus esset, vel peregre.

Servorum cadavera ne unguunt. In funeribus epulae omnes prohibentur.

Sumtuosa adpersio omnis in mortuum, & rogi amovetur.

Ne longae coronae, vel longae coronarum series, neve arae thuri adolendo, aliisque odoribus funeri praefereuntur.

Qui coronam meruerit in ludicris, sive ipse, sive servi ejus eque in funere ob virtutem laudator, ipsique mortuo & ejus parentibus, & quamdiu domi per novem dies collocatum est cadaver, & cum effertur, coronam illam imponi jus esto.

Unius hominis cadaveri funus unum fiat, & unus lectus sternitur.

Aurum a funere omnino removetur: excipitur aurum, quo dentes vincti, id enim cum cadavere sepelire, aut urere jus esto.

Rogum vel sepulchrum deinceps aedibus alienis domino invito propius 60. pedes admovere jus ne esto.

Vestibulum sepulchri, sepulchrumve usucapere jus ne esto.

Quartae
tab. sup-
plemen-
tum.

QUOD POSTREMUM POPULUS JUStI, ID JUS
RATUM ESTO.

Patribus cum PLEBE α coNubi jus esto.

- - - - -
- - - - -

- - DETESTATUM - - -
feu de SACRIS DETESTANDIS. β

- - - - -
- - - - -
- - - - -

- - - - -
- - - - -
- - - - -

- - - - -
- - - - -
- - - - -

- - - - -
- - - - -
- - - - -

Quintae
tab. sup-
plemen-
tum.

Caij lib. 8.
ad leg. XII.
Tab. cujus
pars prior
huic respon-
det.

Cajus l.
238. in pr.
ff. de V. S.

α Dionys.
Halicarn.
in fin. l.

10.
Zonaras
tom. 2.

β Cajus l.
238. § 1.
ff. de V. S.

*P*osteriores populi leges prioribus potiores sunt.

Inter Patricios, & plebejos matrimonia ne contrahuntor.

Sextae
Tab.
sup-
plem.

- - - - -

- - - - -

- - - - -

- - de PIGNORE. - -

Cajij lib.
6. ad leg.
XII. tab.
cujus pars
posterior
huic ulti-
mae Tab.
respondet.
Cajus l.
238. §. 2.
ff. de V.
S.
Caj. l.
ult. ff. de
litigiosis.
Cajus l.
19. ff. de
usuris. &
fruct.

Si qui rem, de qua flis fiet, in sacrum de-
dicaSit, duplione decidito.

Septi-
mae
Tab.
supple-
ment.

SI VINDICIAM FALSAM TULIT, PRAETOR
REI SIVE STLITIS ARBITROS TRIS DATO:
EORUM ARBITRIO FRUCTI DUPLIONE DE-
CIDITO.

SI SERVUS SCIENTE DOMINO FURTUM FA-
XIT, NOXIAMVE NOXIT, NOXAE DEDITO.

Cajus l.
238 §. 3.
ff. de V. S.

- - - - -

- - - - -

- - - - -

- - - - -

- - - - -

- - - - -

- - - - -

- - - - -

- - - - -

- - - - -

Octavae
Tab.
supple-
men-
Nonae
Tab.
supple-
men-
tum.
Deci-
mae
Tab.
supple-
mentū.

*RE*m, de qua controversia est, in sacrum dedicare ne jus esto: qui dedicaverit, dupli poena multator.

Mala fide possessionem si quis nactus sit, Praetor ei rei definiendae tres arbitros dato, eorumque arbitrio malae fidei possessor fructus in duplum praestato.

Si servus domino sciente furtum fecerit, damnunve aliter dederit, dominus eum pro delicto, injuria vel damno affecto dedito.

DE STATV IURIS ROM. POST XII.
TAB. AD TEMPORA AVGVSTI.

§. XXXVI.

Cur post
XII. Ta-
bulas tot
novae le-
ges con-
ditae?

Ita sane perfectum suisque absolutum nu-
meris videri potuit illud legum Romana-
rum corpus. Sed laboravit respublica
formae vitio, tam quippe male temperata,
ut non posset non perpetua inter patres &
plebem gliscere aemulatio. Sive ergo in-
terpretandae, sive negotiis quotidie obve-
nientibus adplicandae essent leges: eam pot-
estatem sibi vindicabant hinc patres, illinc
tribuni plebis, qui nihil faciebant reliqui,
ut patriciorum regnum everterent. Quod
non potuit non legum Romanarum nume-
rum mirifice amplificare. *

* Recte ac prudenter Tacitus *Annal. III. 27. Cor-
ruptissima republica plurimae leges.* Est enim cor-
ruptissima respublica, quoties plurimi in civita-
te novis rebus student. Id status praesentis tae-
dium, studiumque novarum rerum efficit, ut ho-
mines turbulenti quotidie de novis ferendis legi-
bus cogitent. Quotidie ergo novae leges ferun-
tur, adeoque *corruptissima republica plurimae le-
ges.* Quod observavit etiam Isocrates, *Areopa-
git. p. 351. Edit. Wolff.* negans eos esse εἰς πολι-
τευμένους, qui videant τὰς σοῦς ἐμπιπλάναι γραμ-
μάτων, *porticus litteris impleri:* (solebant enim
Graeci leges tabulis incisas in porticibus propo-
nere) sed *apud quos animo inscriptae leges cir-
cumferantur a civibus.* Denique & Plato apud
Strabonem *Lib. VI. Geogr. p. 399. edit. nov. ait:*

ὅτι παρ' οἷς πλείους νόμοι, καὶ δίκαι ὡρῶν τέτοις, καὶ βίαι μοχθηροὶ κατὰπερ καὶ παρ' οἷς ἰατροὶ πολλοὶ, καὶ νόσους εἰκὸς εἶναι πολλὰς. *Apud quos plurimae sunt leges, apud hos etiam lites esse & malos mores: sicut morbi soleant esse multi, ubi multi sint medici. H.*

§. XXXVII.

Quod ut eo rectius intelligatur, sciendum, tribunos plebis in rostris esse dominatos, eosque, quoties, patres altiora spirare, animadverterint, plebem adversus patres concionibus turbulentis concitasse, & sic fere quotannis nova PLEBISCITA de statu reipublicae mutando emendandoque, & plebis commodis augendis * fuisse perlata. Hoc modo sane Tribuni plebis cum alias praerogativas, tum praecipue honores, sacerdotia, & jus connubii, immo & maximam agri publici partem paullatim extorserunt, effeceruntque, ut priora jura plebi cum patribus essent communia, agri vero publici subinde inter plebejos inopes dividerentur.

Plebs novis plebiscitis plebrasque praerogativas patribus extorsit.

* Jus connubii inter patricios & plebejos fancitum anno ab V. C. CCCVIII. LEGE CANVLEIA, de qua Livius *Lib. IV. Cap. i. sequ.* Florus *Lib. I. c. 25.* Honorum jus plebeji cum patriciis commune habere coeperunt ab anno V. C. CCCLXXXVI. per LEGEM SEXTIAM, de qua Liv. *sub finem Libri VI.* Val. Max. *Lib. VIII. Cap. VI. exemplo 3.* Auctor *de vir. illustr. Cap. XX.* Denique & pontificatum aliaque sacerdotia promiscue patribus & plebejis dari plebs jussit LEGE OGVLNIA, condita anno ab V. C. CCCCLIII.

de qua Livius, *Lib. X. Cap. 6.* At praecipua lictium inter patres & plebem LEGES AGRARIAE, de quibus vere Livius *Lib. II. Cap. 41.* ad ann. V. C. CCLXVIII. *Tum primum LEX AGRARIA promulgata est : numquam deinde usque ad hanc memoriam sine maximis motibus rerum agitata.* De iis accuratissime egit Ulr. Obrecht. *Diss. Acad. VI. p. 109. sequ.* H.

§. XXXVIII.

Quibus plebiscitis sese obligari negabant patres.

Sed initio non adeo faciles erant patres illa potestate illa legislatoria plebi indulgenda. Hinc nova certamina: patribus non se, sed plebem plebiscitis teneri, non sine aequitatis specie contendentibus, plebe vero, ut & patres illis se subicerent, acriter postulante. *Liv. Lib. III. Cap. 55.*

§. XXXIX.

Quod tamen cautum primum lege Horatia.

Videbatur ei malo remedium inventum anno ab V. C. CCCIV. plebe iterum in montem sacrum secedente. *Liv. Lib. III. Cap. 52.* Creati enim tum consules populares L. VALERIUS & M. HORATIVUS legem rogarunt centuriatis comitiis, *ut, quod tributim plebs iussisset *, populum teneret.* Quam legem non sine offensione patrum perlatam esse, facile est ad existimandum, quum hi, quidquid plebis commodo fanciebatur, id suis decedere opibus credebant. *Liv. Lib. III. Cap. 55.* Dionys. Halicarn. *Lib. XI. p. 725.*

* IVBERE & SCISCERE dicebatur populus vel plebs, magistratus vero FERRE, ROGARE & PERFERRE Jo. Fridr. Gronov. *ad Liv. X, 13.*
Non

Non fatis ergo Latina est phrasis, qua tresviri, *Institutionum* auctores, usi sunt §. 15. *Inst. de Lege Aquill. plebem Romanam, Aquillio Tribuno rogante, hanc legem TVLISSE*, acriter ideo reprehensi ab Hotomano ad d. §. 15. H.

§. XL.

At ne haec quidem laetitia populo admodum fuit diuturna. Patres enim nova cavillatione plebiscitis iterum negabant obsequium, fortassis, quod se *populi* vocabulo comprehendi, negarent. Thomaf. *Delin. Hist. jur.* §. XV. Quo factum est, ut anno ab V. C. CCCCXIV. Q. PVBLILIVS, Dictator, nova, eaque admodum populari lege sanciret, ut plebiscita OMNES QVIRITES* tenerent. Liv. Lib. VIII. Cap. 12.

Deinde
Publilia.

* QVIRITIVM vocabulo patres non minus, quam plebejos comprehendi, numquam dubitatum. Idem enim *Quirites & Romani* §. 2. *Inst. de jur. nat. gent. & civ.* Liv. Lib. I. Cap. 13. quamvis de vocabuli origine parum inter auctores veteres conveniat. Vide praeter d. §. 2. & Livium, Ovid. *Fastor. II. v. 475*. Sed quamvis domi omnes Romani communi *Quiritium* nomine venirent: ab eo tamen postea abhorruerunt milites, qui ex auctorati censebantur, simul ac eos ita adloqueretur imperator. Sueton. *Jul. Caes. Cap. LXX*. Lamprid. *Alex. Cap. LIII. & sequ.* H. De *Quiritium* voce vid. *supr.* §. VII. Cum vero *Quirites* sint cives togati, facile patet, milites eo nomine uti non potuisse. Inde, in urbanis concionibus, qui cum populo agebant, QVIRITES dicebant, qui vero in castris alloquebantur exercitum, hoc verbo, MILITES, affabantur. Vid. Briffonius *de Formul. Lib. IV. pag. 326. & 343. R.*

§. XLI.

Denique
Horten-
sia.

At ne id quidem impedivit patres, quo minus plebem, legislatoriae potestati inhiantem, alio modo ulcisceretur, puta acerbitate iniquissimi foenoris. Qua calamitate plebs ad desperationem acta anno ab V. C. CCCCLXVI. in Janiculum montem secessit, quumque ad comprimendam seditionem parum opis esse videretur in consulibus, ad ultimum, ut in re trepida, remedium inventum est, ut Dictator diceretur Q. HORTENSIVS *. Hic temporari cessit, & non modo plebem a foeneratorum truculentia vindicavit, sed & insequente anno, lata nova lege accuratius sanxit, *ut, quod plebs iussisset, omnes QVIRITES teneret.* Gell. Noct. Attic. XV, 27. §. 4. *Inst. de jure nat. gent. & civ. ***

* Ridicula est Accursii glossa ad d. §. 4. legem Hortensiam a quodam Hortensio rege latam esse. Sed talia ubique in Glossa, ut misereri possis illius faeculi, *quod doctores pedore & squallore horridos, pannis obsutos, semper illotos, semper intonsos, tamdiu perpessum est, uti loquitur Rupertus ad Pompon. Enchirid. p. 90. H.*

** Consul. Liv. Epit. Lib. XI. Plinius Lib. XVI. c. 10. qui scribit, Hortensium legem in esculeto tulisse. Macrobius Lib. I. Saturnal. c. 16. tradit, *lege Hortensia effectum, ut nundinae fastae essent: uti rustici, qui nundinandi causa in urbem veniebant, lites componerent.* Hanc legem video nonnullos Hortensio Dictatori tribuisse. Ego vero, cum diversas veterum, quas ibidem memorat Macrobius, de nundinis fastis sententias pensito, pronunciare malo, non liquere. R.

§. XLII.

§. XLII.

Et ex eo demum tempore plebiscita perinde ac ipsae leges, jure optimo maximo valuerunt: quin & LEGVM ^{unverfchrieben} vocabulum adsumferunt, ceu vel ex jure nostro patet, in quo commemorantur LEGES *Aquillia*, *Atinia*, *Falcidia*, *Atinia*, *Scribonia*, *Voconia*, & aliae, quas omnes non leges, sed plebiscita fuisse, constat *

Ex eo tempore plebiscita vim nomenque legum adsumferunt.

* Characterem, quo leges & plebiscita discerni possint, hunc nonnulli commendant, quod haec unum nomen ferant, a Tribuno plebis, qui plebem tum rogarit, illae ab utroque consule, adeoque duplici nomine vocentur, veluti in jure nostro leges AELIA SENTIA, IVNIA NORBANA, IVLIA & TITIA, PAPIA POPPAEA, ceterae. Paull. Merula *de leg. Rom. Cap. XXIV.* Sed quamvis hoc se ut plurimum ita habeat: sunt tamen & leges proprie sic dictae, quarum non nisi ab uno consule vel dictatore nomen est. Tales sunt, quas modo recensuimus HORATIA, PUBLILIA, HORTENSIA. Tales tot leges CORNELIAE, POMPEIAE, IVLIAE, quibus & FABIAM *de plagiariis* addimus, quod leges de judiciis publicis raro solerent ab aliis, quam Coss. vel Dictatoribus, rogari. H.

§. XLIII.

Eadem fere LEGIS ACTIONVM fata fuisse deprehendimus, quae ALTERVM erant patriciorum peculium, quod veluti separatum a plebis rationibus diutissime retinuerant. De his quoque ut dicamus accuratius: quicumque aliquid in jure rite & jure faciebant,

Quid lege agere? & legis actio?

ii LEGE AGERE dicebantur. Sigon. *de judic.* I, 9. Hinc *lege agebant*, qui actione experiebantur *. Cic. *de Orat.* I, 38. *pro Caecina Cap. XII. in Verr.* II, 37. l. 2. §. 6. *D. de orig. jur.* Valer. Max. *Lib. VII. Cap. 7. exempl.* 5. Plin. *Hist. Nat.* VII. 5. *lege agebant* lictores, dum colligabant manus, deligabant ad palum, virgis, securi, gladio in corpus rei saeviebant. Liv. *Lib. XXVI, 15. & 16.* Valer. Max. *Lib. III. Cap. 8. exempl.* I. Seneca *de ira* I, 16. At praecipue tamen postea id nomen retinuerunt actus voluntariae jurisdictionis apud magistratus, apud quos erat legis actio, sollemniter explicandi. l. 4. *D. de adopt.*

* Fieri enim & id oportebat rite & sollemniter, certis diebus, quibus magistratui fari licebat tria verba: DO, DICO, ADDICO. Ovidius *Fastor.* I. v. 47. *sequ.* Varro *de L. L. Lib. V. num.* 4. pag. 35. *Auctor. L. L.* Macrobius *Saturnal. Lib. I. cap.* 16. certo ritu, qualis erat vetus ritus vindiciarum. Cicero *pro Muraen. cap.* 12. certis denique formulis, ad quas adeo adstricti erant actores, ut ipsae actiones FORMVLAE vocentur, ut *formula injuriarum* apud Sueton. *Vitell. Cap. VII. damni dati formula* apud Plin. *Lib. IX. Hist. Natur. c.* 59. *formula de dolo malo* apud Cicer. *de Offic. III.* 14. Omnis ergo actio sollemniter & rite erat instituenda, adeo, ut qui in formula aberrasset, causa caderet. Cic. *de Invent. II,* 19. Sen. *Epist. XLVIII.* Quinctilian. *Inst. III,* 6. Hinc Pomponius noster l. 2. §. 6. *D. de Orig. Jur. Deinde,* inquit, *ex his legibus eodem tempore fere actiones compositae sunt, quibus inter se homines disceptarent, quas actiones NE POPVLVS, PROVT VELLE, INSTITVERET, certas SOLLEMNESque esse voluerunt.* H.

§. XLIV.

Jam equidem, quo ritu, quibusve conceptis verbis lege agi oporteret, legibus XII. Tabularum non fuerat expressum. At patricii, qui sibi jurisprudentiam obtentu juris patronatus, tanquam gentilem possessionem vindicabant, (*Antiqu. nostr. Rom. I, 2, 29.*) & pontifices, quales itidem tum soli patricii erant, certos commentum erant ritus, certas formulas, quibus tum voluntariae, tum contentiosae jurisdictionis actus explicarentur, quin & certi erant dies, quibus lege agere vel fas, vel nefas esset, quorumque facti, a Numa Pompilio primum confecti, Liv. *Lib. I. c. 19.* in pontificum custodia erant *. Cic. *pro Mur. Cap. XI.* Et haec omnia LEGIS ACTIONUM nomine veniebant.

* Vere ergo haec omnia comparata erant ad tuendam pontificum patriciorum in civitate potentiam. Hinc patres initio haec *in latenti retinere studebant* : l. 2. §. 35. *D. de Orig. Jur. interpretandique potissimum scientia & actiones apud collegium Pontificum erant.* l. 2. §. 6. *D. eod.* Eoque non poterat non evenire, quod scribit Cicero *pro Muraena Cap. XI.* *Erant in magna POTENTIA, qui consulebantur, a quibus etiam dies, tanquam a Chaldaeis, petebantur* : & quod ille repetit *de Orat. I, 41.* *Veteres illi, qui huic scientiae praesuerunt OBTINENDAE atque AVGENDAE POTENTIAE SVAE causa pervulgari artem suam noluerunt.* H.

§. XLV.

Sunt ergo ACTIONES LEGIS quilibet actus, tum contentiosae, tum voluntariae juris-

Origo legis actionum.

Hottomann dicit de For. I. c. 1. m. 4. opp.

Quid per illas intelligatur?

Quid per illas intelligatur?

jurisdictionis, apud magistratum, apud quem legis actio erat *, sollemni ritu certisque formulis explicandi, quique & id proprium habebant, ut nec diem, nec conditionem, nec procuratorem admitterent. *l. 77. & l. 123. D. de reg. jur.* & a pupillis sine tutorum auctoritate non possent explicari. *l. 19. D. de auctor. tut.*

* Elegans est conjectura Guil. Marani, qui *ad l. 77. D. de reg. jur. Tomo II. Op. p. 221.* LEGIS ACTIONES dictas esse putat, quae non nisi lege lata, adeoque apud populum explicari potuerint. Id enim saltim de adrogatione tradit Gell. *Noct. Attic. V, 19.* de testamentis Justinianus *pr. Inst. de testam. ord.* Postea tamen certis magistratibus eam facultatem datam esse specialibus legibus, ut apud eos esset legis actio, eoque facto primum nomen nihilominus mansisse. H.

§. XLVI.

Quid per
actus le-
gitimos?

Eaedem erant ACTVVM LEGITIMORVM adfectiones, qui tamen, si accuratius loqui velimus, (nam aliquando omnino promiscue accipiuntur, uti *l. 4. D. de adopt. juncta l. 77. D. de reg. jur.*) a prioribus in eo differunt, quod & ipsi sollemniter quidem, adhibitisque certis formulis, nec tamen abscisse apud magistratum, essent explicandi. Et tales erant *hereditatis aditio, servi optio, mancipatio*, nisi cum *cessione in jure* esset juncta, *acceptilatio*, & similes *, *l. 77. D. de reg. jur.*

* Errant ergo, qui haec confundunt, quum non unum, sed multiplex inter actiones legis & actus legitimos discrimen sit, ceu ostenderunt Franc. Hotoman. *Quaest. illustr. XXXIV. p. 214.* & Guil. Budaeus *ad l. 4. D. de adopt.* Omnes actiones legis

legis erant & actus legitimi, quippe certo ritu certisque formulis explicandae: at hi non omnes erant actiones legis, quia non apud magistratum, sed privatos intra parietes, explicabantur. H. Sed & ipse Auctor, cum Hotomanno, quem commendat, errat, ut demonstrarunt Cujacius, & Jac. Gothofredus *ad l. 77. D. de regul. jur.* Ego certe non video, quibus adducti rationibus Heineccius, aliique, hoc loco, quo de actionibus legum disputandum est, ut suam firment sententiam, lictores atque carnifices in medium producere potuerint. Cum enim hi *lege agere* dicantur, qui in foro & iudicio disceptant, suumque jus persequuntur, existimare quis possit, lictores virgis gladioque in reorum corpora saevientes, & disceptasse quoque cum reis in iudicio, & jus suum persecutos esse. Sed apage istas ineptias. Alio plane sensu *lege agere* carnifex dicitur. Etenim, quando poenam de fontibus sumit, hoc agit, quod jubent leges, quoniam non magistratus, sed leges ipsae poenas statuunt. Igitur Iudex, quaestione habita, reum secundum leges tantum condemnare potest, excitareque carnificem, ut *eat, legeque agat*, sive, id peragat faciatque, quod leges jubent. Quae cum ita sint, facile patet, haec omnia, quae de lictoribus scripsit Auctor, minime huc pertinere. Deinde nec auctor, nec alii, satis accurate distinxerunt *legis actiones* ab *actibus legitimis*. Est enim id aeternae veritatis, actionem in sensu forensi, pertinere ad accusatorem vel petitem, qui ex lege in aliquem accusando petendove agit, quod hodie dicunt Processum instituire. Cum vero agi non possit sine formula, eaque actoris intentionem comprehendat, formula quoque *actio* dicitur, quod ex Cicerone accurate demonstravit Cl. Ernesti *in Clav. Cicer. voc. actio*. Quoniam autem nulla datur *actio*, sine lege, sive, sine jure, vel civili, vel honorario, Jureconsulti accusationem vel petitionem,

nem, *legis actionem* dixerunt. Hinc frequens illud in jure, *magistratus, apud quem legis actio est*, id est, apud quem potest lege agi, quique jurisdictionem habet. Ex his itaque clarissimum est, omnes *legis actiones* contentiosae esse jurisdictionis, neque ad eas haec pertinere posse; ut nec diem admittant, nec procuratorem, actuque uno peragenda sint. Sed id tantum verum est, quod ait Pomponius, *actiones illas certas sollemnesque* fuisse, id est, singulas actiones singulas quoque habuisse formulas, & in nonnullis sollemnitate quoque fuisse adhibitam, ut in *vindiciarum causa*. Deinde jam antiquissimi Romani voluerunt, ut quaedam civium negotia, majoris in primis momenti, & a quibus salus fortunaque pendere solet, sollemni ritu, certisque adhibitis formulis, vel apud magistratum, vel intra privatos parietes, peragerentur, ne lites propter ea aeternae essent. Haec autem negotia, vel publice vel privatim sollemni modo rituque celebrata, *actus* dixere *legitimos*, quoniam sollemnitate a lege inducta perfici consueverunt. Cum vero *actio*, & *actus* idem apud auctores denotet, factum est, ut Jureconsulti *actus legitimos* quoque *actiones legis* appellarent. Ita Cajus *Instit. lib. 2. tit. 1.* *cessionem* in jure, *legis actionem* vocat: Papinianus vero *l. 77. D. de reg. jur.* tutoris dationem *actum legitimum* dicit. Recte uterque. Nam quod *actus*, id & *actio* est ex linguae genio: quod *legitimum* appellamus, id quoque *legis* esse, nemo facile negaverit. Et ita censuerunt veteres prudentes, nullum unquam futurum, qui, cum scriptum viderit, *cessionem* in jure *legis actionem* esse, existimare posset, subintelligi *legis actionem* proprie sic dictam, qua vel accusamus vel petimus. Dedit tamen ea res infinitis erroribus occasionem, effecitque, ut recentiores Jcti, quasdam secundi generis *legis actiones* fingerent, quae apud iudicem quidem, sed sine disceptatione interponantur,

tur, & voluntariae jurisdictionis sint; ac in tertiam deinde classem rejicerent *actus legitimos*, qui scilicet sine judicis auctoritate intra privatos parietes fieri soleant. Sed, his admittis, quid fiet *tutoris dationi*, quam actum legitimum esse Papi- nianus scripsit? Hanc vero sollemniter in jure ce- lebratam fuisse, adeo notum est, quam quod no- tissimum. Res igitur omnis ita concipienda. Aut accusamus, aut petimus; & tunc *lege agimus*, si- ve *legis actione* experimur, desideramusque, ut jus dicat judex ille, ad quem Jurisdictio pertinet. Etenim omnis legis actio jurisdictionem requirit. Aut negotium quoddam, sive actionem, sive a- ctum sollemnem, celebramus, a lege inductum; tunc vero nec accusamus, nec petimus, nec id volumus, ut jus dicat judex, sed ut auctoritatem suam interponat, quo actus ille legitimus, sive legis actio, robur quoddam firmitatemque acqui- rat. Et quoniam hic nulla requiritur jurisdictio, actio illa, sive actus legitimus recte celebrari po- test coram magistratu, qui jurisdictionem conten- tiosam non habet. Ita apud Proconsulem, post- quam urbem egressus est, licet in provinciam, in qua ipsi jurisdictio competit, nondum venerit, manumissiones & adoptiones fieri possunt, *l. 2. D. de off. Procons.* & alibi. Aut denique negotium quoddam conficimus, quod judicis quidem aucto- ritatem non requirit, attamen, ne aliquando du- bium possit suboriri, rem eam, non eo, sed alio longe modo actam esse, sollemnem formulam, ri- tum, signa, testes, & alia, vel lege, vel moribus inducta, desiderat: quae, cum rite legitimeque peragimus, moremque in civitate receptum ob- servamus, actum hunc quoque celebramus legi- timum. Et ad hos actus legitimos, utriusque ge- neris, haec tantum pertinent, ut nec diem nec conditionem admittant: uno actu peragantur, at- que per procuratorem explicari non possint; de quibus vide Jacob. Gothofredum ad *d. l. 77. D. de regul. Jur. pag. 940. sequ. Oper. Juridicor. R.*

§. XLVII.

Omnia
haec in
latenti
retine-
bant pa-
tricii.

Omnem hanc formularum, rituum, die-
rumque cognitionem patricii & pontifices,
qui soli jurisprudentiam formulariam, tam-
quam avitam possessionem sibi retinebant, in
latenti habebant*, ut plebs omnis a se pen-
deret, ipsique rebus omnibus interessent. Sa-
ne neque actionem quisquam sine periculo
instituere, neque adoptare, emancipare, fi-
mitemve actum explicare poterat, nisi haec
adiisset oracula, eique formulas, ritus, dies,
tamquam ex tripode eloquuti essent isti Apol-
lines. l. 2. §. 6. D. de orig. jur. Cic. de Orat.
I, 41.

* Livius *Lib. IX. cap. 46.* diserte ait, *in Pontifi-
cum penetralibus repositum fuisse jus civile, fastos-
que, ex quibus, quandoque lege agi posset, sciretur,
plebi ante Cn. Flavium ignotos mansisse.* Idque &
Cicero *pro Muraena cap. XI.* testatur. Hinc
mirae fraudes Pontificum, fastos in gratiam vel
odium quorundam hominum pro lubitu turbant-
ium, de quibus conquestus Ammianus Marcel-
linus *Lib. XXVI. cap. 1.* Haec nondum exten-
tis fufius regnis, diu ignoravere Romani, per-
que saecula multo obscuris difficultatibus implicati,
tunc magis errorum profunda caligine fluctua-
bant, quum in sacerdotes potestatem transtulissent
intercalandi, qui licenter gratificantes publicanorum
vel litigantium commodis, ad arbitrium suum sub-
trahabant tempora, vel augebant. Hocque ex coepto
emerferunt alia plurima, quae fallebant, quorum
meminisse nunc supervacuum puto. Magis per-
spicua sunt illa Cenforini *de die nat. cap. XX.*
*Quod delictum ut corrigeretur, Pontificibus da-
tum est negocium, eorumque arbitrio interkalandi
ratio*

ratio permiffa. Sed horum plerique ob odium vel gratiam, quo quis magistratu citius abiret, diutiusve fungeretur, aut publici redemptor ex anni magnitudine in lucro damnove effēt, plus minusve ex libidine interkalando, rem fibi ad corrigendum mandatam, ultro depravarunt. Eamdem Pontificum fraudem notarunt Sueton. Jul. Caef. cap. XL. Solin. cap. I. & Macrob. Saturn. Lib. I, 14. H.

§. XLVIII.

Sed id quoque forenfe regnum evertit anno ab V. C. CCCCXIX. CN. FLAVIVS, fcriba, patre libertino natus, qui formulas iftas cum faftis, ab Appio Claudio Coeco, cui tamquam fcriba adparuerat, in codicem collectas publicavit, eoque munere tantam a populo gratiam iniit, ut Aedilis curulis crearetur*, l. 2. §. 7. *D. de orig. jur.* Liv. Lib. IX, 46. Cicero *pro Muraena Cap. XI. & Lib. VI. Epift. ad Attic. I. de Orat. I, 41.* Plin. *Hift. Nat. XXXIII, 1.* Gell. *Noct. Attic. VI, 9.* Idque eft IVS illud FLAVIANVM, de quo eo loco Pomponius.

Prodidit
arcanum
Cn. Flavi-
us, unde
jus Fla-
vianum.


* Ita rem referunt Pomponius & Gellius, immo & Cicero, qui Flavium, quum id myfterium enarraret, fcribam fuiffe ajunt. Livius contra illum *haec omnia* IN ALBO ait *propofuiffe*, quod quum a magistratibus fieri foleret, videri poteft jam tum Aedilis fuiffe, quum hoc beneficio plebem adficeret. At potuit Cn. Flavius, uti fieri folet, primum clanculum enunciaffe id arcanum, & promiffio illius mereri Aedilitatem, poftea Aedilis creatus, & *aetionum formulas, & faftos*, (utrosque enim ei tribuit Cicero,) in ALBO propofuiffe, maxime quum fe contemni a patribus &


nobilibus animadverteret. Ceterum hujusmodi esse factos dixeris, quos edidit, commentarioque illustravit Sibr. Siccama *apud* Graev. *Tb. Antiqu. Rom. Tomo VIII. H.*

§. XLIX.

Et iterum
Sex. Ael-
lius Ca-
tus, a quo
jus Aelia-
num.

Quam aegre hanc jacturam tulerint patres, vel ex eo patet, quod amissam recuperare cupientes possessionem, novas excogitarunt formulas, easque, ne in vulgus manarent, non litteris, sed notis perscripserint *, quo nihilominus rebus omnibus interessent. Sed iterum circa annum ab V. C. DLII. secretum prodidit *egregie cordatus homo*, uti ab Ennio vocatus est, SEX. AELIVS CATTUS, de quo nos infra pluribus. Is liber IVRIS AELIANI nomine venit ** *l. 2. §. 7. D. de Orig. Jur.* Addatur Cicero *pro Muraena Cap. XI.*

* *Notae non sunt siglae*, seu litterae singulares tota vocabula exprimentes, veluti S. P. Q. R. pro *Senatus populusque Romanus*, sed certa signa, quibus unum plurave vocabula involvebant, uti  quod eadem verba significabat, ceu pluribus exemplis ostendit *ὁ πᾶν* Cujac. *Observ. XII. 40.* Unde qui notis excipiebant alterius verba, dicebantur NOTARII, qui siglis, SINGVLARII vel SINGVLARES, ut in *l. 1. §. 8. C. de offic. praef. praet. Afric.* Utrosque jungit Manil. *Astron. Lib. IV. v. 197.* ubi de nato sub Virginis signo:

Hic  *scriptor erit velox, cui LITTERA*
verbum est,

Quique NOTIS linguam superet, cursimque
loquentis

Excipiat longas nova per COMPENDIA voces.
Plura

Plura habet Scaliger *in Notis ad Manil. p. 287.* & Jo. Ge. Graevius ad Cicer. *pro Mur. Cap. XI.* Tales ergo hic intelliguntur *notae*, quales Tironis & Senecae nomina prae se ferentes in fine *Theſauri Inſcriptionum* edidit Jan. Gruterus. Contra quae ſub Valerii Probi, Magnonis, Petri Diaconi nominibus exſtant *Notae Romanae, Notae juris, Notae litterarum*, editae a Dionyſ. Gothofr. *Auct. lingu. Lat. p. 1451. ſequ.* eae, ſi a paucis diſceſſeris, non *notas*, ſed ſiglas ſiſtunt. Ceterum ſaepe Critici Tribonianum notas male expreſſiſſe putant, eoque medio emendandi ſaepe, tamquam Deo e machina, utitur Cujacius. Sed vanum plerumque eſſe hoc praefidium, jam alii oſtenderunt, maxime V. A. Corn. van Bynkersh. *Obſerv. I, 23. § VII, 21. p. 396.* H. Longa eſt obſervatio, & nihilominus tamen longiſſime a veritate aberrarunt Auctor, & alii, qui de Jure Aeliano ſcripſerunt. De notis apud Pomponium nihil legitur, cujus verba haec ſunt: *Augeſcente civitate, quia deerant quaedam genera agendi, non poſt multum temporis ſpatium Sextus Aelius alias actiones compoſuit, & librum populo dedit, qui appellatur Jus Aelianum.* Ponunt autem ſententiae ſuae fundamentum viri docti in loco Ciceronis *Orat. pro Muraen. c. 11. Itaque,* inquit ille, *irati illi (jureconſulti) quod ſunt veriti, ne dierum ratione pervulgata, & cognita, ſine ſua opera lege poſſet agi,* (quoniam Flavius & factos & formulas vulgaverat) *NOTAS quasdam compoſuerunt, ut omnibus in rebus ipſi intereſſent.* Jam fingunt, veteres Jctos, prodiſtis a Flavio formulis, novas compoſuiſſe, easque, ne quis legere poſſet, notis occultis ſcripſiſſe. Sed id exſculpi ex verbis Ciceronis nullo modo poteſt. Putabimus ne Ciceronem ita concludere potuiſſe: *notas compoſo, ergo omnibus in rebus intereſſum?* Sane ex mente doctorum noſtrae aetatis virorum Romanorum ille doctiſſimus ita ratiocinari debe-

bat: *notas composuerunt, ut nemo ea, quae scripta essent, legere posset.* Deinde, *notae non componuntur, sed scribuntur; componitur vero formula sive carmen, ut ibidem Cicero cap. 12. docet.* Recte igitur jam olim observavit Camera-rius, per *notas, actionum formulas*, apud Cicero-nem, intelligendas esse, & aptissime ad hunc locum Cl. Ernesti *Clav. Ciceron. voc. nota*, haec notavit: *Quorsum autem opus scribere formulas illas per notas? Ne a seruo iterum aut scriba publicarentur? Sufficiebat cavere, ne in talis hominis manus venirent, qui iis vulgandis gratiam popularem captare vellet & posset. Ne ii autem publicarent, qui eas tenerent, ut Aelius fecit, ne per notas quidem cavere poterant.* Ego profecto neminem mihi persuaderi patiar, ut credam, notas tam vetustas esse, ut ante Aelium jam res quaedam iis perscribi potuerint. Sed hoc etiam si factum esset, inde tamen male concluderetur, Cicero-nem de notis esse intelligendum, cum de formulis actionum manifeste loquatur. Scribit enim, *Flavium cornicum oculos confixisse, fastos proposuisse, & ab ipsis cautis Jctis sapientiam compilasse*, sive, quod idem est, actionum formulas edidisse: *hos itaque iratos factos, quod verebantur, ne jam sine sua opera lege posset agere quis ex populo, NOTAS quasdam composuisse, id est, novas excogitasse formulas, ut omnibus in rebus ipsi interessent, id est, ut eorum quoque opera in posterum esset necessaria, ipsique soli regnum obtinerent forense.* Si quis enim, post excogitatas has notas seu formulas novas, lege agere secundum Jus Flavianum, vel secundum antiquam formulam, volebat, causa is cadebat, quod docet Cicero *ibid. c. 12. Cum hoc fieri (ex formula Juris Flaviani) bellissime posset: FVNDUS SABINVS MEVS EST: IMMO MEVS: DE-INDE IVDICIVM: noluerunt.* Novam enim excogitarunt notam seu formulam, & eam quidem

verbosiorum, qua in fundo vindicando opus esse & Jureconsultus & Praetor clamabant. Hanc Cicero ibidem recitat: FVNDVS QVI EST IN AGRO, QVI SABINVS VOCATVR, EVM EGO EX IVRE QVIRITIVM MEVM ESSE AIO. INDE EGO TE EX IVRE MANV CONSERTVM VOCO. Est igitur haec illa nota, quam composuerunt Jcti, quamque deinde cum aliis Aelius in *Tripertitis* vulgavit. Ex his autem simul patet, nullam esse fragmento Pomponiano fidem habendam; cum in eo legamus, Aelium demum actiones, sive notas composuisse. R.

** IVS AELIANUM differre non videtur a Sex. Aelii Cati *Tripertitis*, in quibus, lege XII. Tab. *proposita, jungebatur interpretatio, dein subtexebatur* LEGIS ACTIO l. 2. §. 38. D. de orig. jur. Nec alia esse videtur LEX AELIA apud Ciceron. *Topic. Cap. II.* ubi librarii absurde reposuerunt *lex Aelia Sentia*, qualis Ciceronis tempore nulla exstitit. Henr. Noris. *Cenotaph. Pisan. Diss. III. Cap. IX. p. 423.* H.

Cl. Ernesti *Clav. Cicer. Ind. LL. voc. Aelia Sentia.* R.

§. L.

TERTIVM, quod patres juri XII. Tabulis comprehenso adstruxerant, quodque tamquam avitam possessionem sibi solis retinere cupiverant, est INTERPRETATIO & DISPVTATIO FORI, quarum meminit Pomponius l. 2. §. 5. D. de orig. jur. Jurisconsulti enim ex legibus illis, quas Diodor. Sic. *Biblioth. Lib. XII. pag. 87. Edit. Rhodom. βραχέως καὶ ἀπειρίτως*, Gell. *Noct. Attic. XX, 1. elegantī atque absoluta brevitate verborum* scriptas fuisse, ait, per interpretationem, quam extensivam vocant, varia eliciebant jura nova, varias

Interpretatio Legum XII. Tabularum.

actiones utiles, aliaque, quae propalam & κατὰ τὸ ῥητὸν legibus istis haud comprehendebantur *. Atque inde est, quod passim non modo interpretes, sed & AVCTORES, & CONDITORES IVRIS vocantur. Cujac. *Observ. VII, 25.* Briffon. *de verbor. sign. sub voce Juris auctores.*

* Sic patronorum tutela dicitur LEGITIMA, non quod NOMINATIM de hac tutela in XII. Tabulis cautum esset, sed quod perinde acciperetur, ac si verbis legis introducta esset. §. un. *Inst. de legit. patr. tut.* Actiones UTILES in jure nostro utramque faciunt paginam. Eae vero dicuntur exemplo, vel ad exemplum, & veluti ad similitudinem directarum compositae. l. 5. §. 21. *D. ut in possess. legat. l. 1. C. de precar. & interd. Salv. l. 13. §. 25. D. de action. enti.* Et videntur accepisse nomen UTILIVM, quasi *utibilium*, quia tamen nec legum verbis, nec in albo praetoris proditae essent, uti tamen iis liceret ob paritatem rationis. Promiscue veteres dixisse UTILE & UTIBILE, patet ex locis Plauti *Mostellar. IV. 1, 2.* Terent. *Phorm. IV, 4, 9.* Alia jura a jurisconsultis per interpretationem reperta, collegimus in *Antiqu. Rom. I, 2, 36. H.*

§. LI.

Disputatio
fori.

Iidem jurisconsulti, quum saepe, ut fit, de interpretando adplicandoque jure dissentirent, vel in ipso foro, vel, uti Scholiastes *Juvenalis ad Satyr. I. v. 128.* memoriae prodidit, juxta Apollinis templum, inter se disceptabant. Cujusmodi disputationis forensis exempla existant, non modo recentiora, l. 19. *D. de lib. & postum. l. ult. §. 26. D. de muner.*

muner. & honor. sed & vetera: veluti Craffi & Galbae apud Ciceron. *de Orat.* I, 56. nec non Scaevolae; Manilii & Bruti apud eundem *de Finib.* I, 4. Quidquid vero *post magnas varietates obtinuerat*, *l. ult. D. pro legato. l. 32. D. de obligat. & act. l. 55. §. 1. D. de legat. II.* id juris habebat auctoritatem, & ex DISPVTATIONE FORI *venire* dicebatur, *Ascon. Pedian. in Verrem Lib. I. cap. 42.* & IVRIS RECEPTI, RECEPTAE SENTENTIAE, vel RECEPTI MORIS, nomen accipiebat*, *Festus in Receptus mos*, & RECEPTVM ESSE, dicebatur, *l. 115. §. 2. D. de verb. oblig. l. 41. D. de reb. cred.*

* Quum vero *recipi* dicatur, quod usu ac consuetudine inolefcit: omnia illa jureconsultorum interpretamenta, & quaecumque per disputationem fori ad liquidum perduxisse sibi videbantur, tamquam consuetudines valuerunt. Hinc vocantur *jus*, quod SINE SCRIPTO *venit*: *l. 2. §. 5. & §. 12. D. de orig. jur.* MOS, *pr. Inst. de pupill. subst. Cic. de Leg. II; 24. jus* CONSVETVDINIS, quod *in morem vetustas vulgi approbatione perduxit*, *Cicero de Invent. II, 54. H.*

§. LII.

Omnia ista jura, interpretatione prudentum, vel disputatione fori introducta, IVS CIVILE communi nomine vocantur *l. 2. §. 5. D. de orig. jur.* Cicero *de Offic. III, 16.* itemque IVS CONSENSV RECEPTVM, *pr. Inst. de adquis. per adrog.* nec non IVS COMMENTICIVM, uti *l. 20. D. de poen.* interpretatur

Inde natum jus civile stricte dictum.

tatur V. A. Corn. van Bynkershoek *Obs. V, 16. p. 82. sequ.* Ut adeo jus civile, quod alioquin latius patet, saepe opponatur legibus, Cic. *pro Caecin. Cap. XXVI.* adeoque solam τὴν τῶν σοφῶν νομοθεσίαν (uti vocat Theophil. *ad princip. Inst. de off. jud.*) id est, jus a juriconsultis interpretando disputandoque inductum denotet.

§. LIII.

Quod initio clam habetur, postea publice professus est Tib. Coruncanius.

Hanc quoque scientiam initio in penetralibus suis repositam habebant patricii generis juriconsulti, rati, id, quod res erat, non parum se inde auctoritatis consequuturos, si sibi solis hanc possessionem retinerent. Enimvero circa annum ab V. C. D. repertus est, qui hos juriconsultorum circulos turbaret, TIBERIVS CORVNCANIVS, vir consularis, triumphalis, & primus e plebe pontifex maximus. *Epit. Liv. Lib. XVIII. Ante hunc enim ex omnibus, qui scientiam nacti sunt, publice professum neminem traditur: ceteri autem ad hunc IN LATENTI jus civile retinere cogitabant**, solumque consultatoribus potius, quam discere volentibus se praestabant. l. 2. §. 35. & §. 38. *D. de orig. jur.*

* Tales fuere vetustissimi juriconsulti omnes PAPIRIVS, APPII CLAVDII, SEMPRONIVS SOPHVS, C. SCIPIO NASICA OPTIMVS, Q. MUCIUS, quippe nec docendo, nec scribendo celebritatem consequuti. At qui post Tiberium Coruncanium memorantur, partim publice professi sunt, veluti SEX. & P. AELII, fratres, & P. ATILIVS

LIVS l. 2. §. 38. *D. de orig. jur.* BALBUS LV-
CILLIVS, AQUILLIVS GALLVS, SER. SVLPICI-
VS: l. 2. §. 43. 44. *D. eod.* partim juris civilis
mytheria scriptis divulgant. Sic enim SEX.
AELII *Tripartita veluti cunabula juris continue-
runt.* l. 2. §. 38. *D. eod.* P. MVCIVS, BRVTVS
& MANILIVS *jus civile fundarunt.* l. 2. §. 39.
D. eod. Q. MVCIVS *jus civile primum constituit
generatim in libros decem & octo redigendo.* l. 2.
§. 41. *D. eod.* Demum in vulgus manavit id se-
cretum, ut non modo plebeji, sed & peregrini,
summam sibi scientiam adquirerent, vereque ce-
cinerit Juvenalis *Satyra VIII. v. 47.*

*Tamen ima plebe Quiritem
Facundum invenies : solet hic defendere causas
Nobilis indocti : veniet de plebe togata ,
Qui juris nodos & legum aenigmata solvat. H.*

§. LIV.

Interea contigit, ut MAGISTRATVVM
ROMANORVM numerus non parum am-
plificaretur. Quum enim initio bini tantum
CONSVLES reipublicae praeesent, (§. XIII.)
& praeter eos ac TRIBVNOS PLEBIS, (§.
XVIII.) itemque binos AEDILES PLEBIS,
Tribunorum adjutores, anno ab V.C.CCLX.
simul cum illis creatos, Gell. *Noct. Att. XVII,*
21. Dionys. Halicarnass. *Lib. VI. p. 411.* *ac
denique QVAESTORES, jam a Regi-
bus institutos, deinde a primis consulibus
restitutos, & postea subinde multiplicatos**,
Plutarch. *in Poplicol. p. 103.* Tacit. *Annal. XI,*
22. Ulpian. *l. un. D. de offic. Quaest.* nulli in
urbe magistratus ordinarii essent; postea
multi alii, tum ordinarii, tum extraordinarii

Magistra-
tus initio
pauci.

accefferunt. Idque tanto facilius indulgebat populus, quanto magis eo imminui videretur potentia consulum, quippe inter plures distrahenda.

* Aediles a Graecis ἀγορανόμοι nominantur, quod patet ex Polybio, Dionysio, Dione, Plutarcho, Herodiano, aliisque. Aediles autem Plebis recte Tribunorum adjutores dixit Heineccius. Auctor enim est Dionysius l. c. quotannis creatos, τὰς ὑπερηγεσίους τοῖς δημαρχοῖς ὅσων ἀν δέων, καὶ δίκας ἅς ἀν ἐπιπέψων ἐκείνοι, κρινέντας, qui tribunis subministrant quicquid opus sit; ἔτι λites, quas tribunis eis commiserint, judicent. Idem paulo post scribit: καὶ τὴν ἐξουσίαν ὑπερηγεσίω ἐτέρων ἔχουσιν, ἔτι potestatem habent alterius magistratus ministrum: quem locum male sollicitat Casaubonus, cum rescribendum censet, ἐξουσίαν ἔχ ὑπερηγεσίω. Confundit enim Aediles Curules cum plebejis, quos Dionysius significanter ὑπερηγέτας τῶν δημαρχῶν, ministros tribunorum, appellat. Cum vero ad hoc Aediles, praeter annonam, aedium sacrarum, publicorum locorum, ludorumque cura antiquitus spectaret, factum deinde est, ut harum rerum procuratione ab Aedilibus curulibus suscepta, sola ferme annonae, rerum promercalium, ludorum plebejorum, & ne loca publica sordibus foetoreque inquinarentur, cura iis concessa sit. Occurrunt in numis Aediles Plebis fellis vulgariibus simul insidentes; utrinque autem modius cum spica, quae symbola, & apparens praeterea Spiciferae Cereris caput, omnino annonae procurationem arguunt. Vid. Spanhemius de Usu ἔτι Praestant. Numism. Dissert. X. Tom. II, pag. 152. Ludos plebejos ab eis celebratos esse, passim legimus apud Livium. Discurrisse Aediles per fora, vicos, plateas, & inspexisse res omnes venales, Plautus docet Captiv. Act. IV. Scen. 2. Tunc piscatores, qui praebent populo pisces foetidos &c.

Eis

Eis ego ora verberabo sirpiculis piscariis. Et mox: Tum lanii, qui locant caedundos agnos, & duplam agninam damunt, qui petroni nomen induunt verveci sectario; eum ego si in via petronem publica conspexero, & petronem & dominum reddam mortales miserrimos. Curam gessisse eos, ne immunditie foetoreque publica loca foedarentur, idem ibid. docet: Piftores, qui alunt fursuri sues, quarum odore nemo pistrinum praeterire potest: Eorum si quojusquam scropham in publico conspexero, ex ipsis dominiis meis pugnis exculcabo fursures. Quae Plauti verba incogitanter Heineccius §. 75. *infr.* ad Aediles curules retulit, cum nemo non videat, Poëtam ad Plebejos alludere. Idem praeterea, quae iter in publica via impediabant, frangebant conscindebantque, *l. 12. D. de pericul. & commod. rei vend.* dispellebant plebeculam in plateis negotia conferentem, Plautus *ibid.* Proinde, *ut omnes itinera insistant sua, ne quis in hac platea negotii conferat quicquam sui. Nam meus est balista pugnis, &c.* iniquas frangebant mensuras, *l. 13. §. 8. D. locat.* Cumque ab ipsa magistratus origine jurisdictionem propriam Aediles plebeji non habuerint, verum de rebus tantum Tribunorum arbitrio ad se delatis cognoverint, recte statuit Hotomannus, eos Edictum in albo non proposuisse. Sed edicebant viva voce in foris aut plateis, quae fieri vellent, ut ex Plauto *l. c.* cognoscimus: *Prius edico, ne quis propter culpam capiatursuam;* judicabant de rebus levioribus de plano, immorigeros verberabant manu, flagellisque caedebant, ut praeter Plautum, docet Suetonius *in Claud. cap. 38. & l. 12. D. de decurion.* pignora quoque capiebant, poenasque irrogabant, Tacitus *Annal. Lib. XIII. c. 28.* lites vero propter res emptas venditasque obortas dirimebant Aediles curules. Gesserunt tamen hunc magistratum illustribus apud Romanos familiis orti, quod numi docent a Spanhemio *l. c. producti.* R.

** Initie

** Initio duo erant patricii generis, qui *urbani* dicebantur. Eos anno ab V. C. CCCXXXII. duplicari voluerat Senatus, ut praeter duos urbanos duo consulibus ad ministeria belli praesto essent. Exigente vero plebe, ut pars ex plebe fieret, tota res de augendo quaestorum numero tum omiffa est, Liv. *Lib. IV. cap. 43.* Nihilominus quatuor, & in his tres plebeji creati anno V. C. CCCXLIV. *Lib. IV. cap. 55.* Anno CCCCLXXXVIII. denovo ampliatus Quaestorum numerus, ut essent octo, *Epit. Liv. Lib. XV.* ex Cornelii Sullae porro instituto viginti, Tacit. *Annal. XI, 22.* ex Caesaris quadraginta creati coeperunt, Dio Cass. *Lib. XLIII.* ad an. V. C. 709. At quo plures fuerunt sub principibus, eo minus auctoritatis retinuerunt, cura aerarii primum ad praetorios viros; Dio Cass. *Lib. LIII. in it.* Sueton. *Aug. Cap. XXXVI.* Tacit. *Hist. IV. 9.* postea ad praefectos aerarii translata: Tacit. *Annal. XIII, 28.* Plin. *Paneg. cap. 121.* ut demum Quaestura ingressus tantum gerendorum honorum, sententiaeque in senatu dicendae esset. *l. un. §. 3. D. de offic. Quaest. H.* De quaestoribus, cura aerarii, eaque saepius immutata, exposuit cum temporum luce Lipsius *ad Tacit. Annal. Lib. XIII. Excurs. B.* & post eum Spanhemius *de us. & praestant. numism. diff. X. Tom. II. pag. 160. R.*

§. LV.

Postea his
accessere
Censores
& Prae-
tores.

Sic primum anno V. C. CCCX. CENSORES censui agendo, lustro condendo, legendo Senatui, moderandaeque disciplinae publicae creati sunt. Dionys. Halicarn. *Lib. XI. extr.* Liv. *Lib. IV. Cap. 8. l. 2. §. 17. D. de orig. jur.* Deinde anno CCCLXXXVII. juri dicundo institutus est PRAETOR *urbanus*, * cui anno ab V. C. DX. accessit alter, qui

qui inter cives & peregrinos jus diceret, & his paullatim alii, ut primum eorum numerus ad quatuor, deinde ad sex, mox ad octo, denique ad decem, duodecim, immo & ad sedecim excreverit **. Dio Cass. *Lib. LVIII. p. 634. l. 2. §. 27. 28. 32. D. de orig. jur. Lips. Excurs. D. ad Tacit. Annal. Lib. 1.*

* Recte, *urbanum Praetorem* institutum, Heinecius scripsit. Scio, Mylium *dissert. de Praetor. peregrin.* itatuiffe, Praetorem alterum, *Urbanum* eo demum tempore dictum fuisse, quo *Peregrinus* creari coeperit, cum antea minus necessarium videretur, unum Praetorem ab alio quoquam, addita hac nota, discernere. At enimvero Praetor tum institutus necessario *urbanus* fuit appellandus, ut discerneretur a Praetoribus, qui extra urbem cum finitimis bella gerebant. Notum enim est, veteres, Consules cum exercitu profectos, Praetores nominasse, ut docent Cicero *de LL. Lib. III. c. 3.* Festus *voe. Praetoria.* Afconius *Lib. I. in Verr. cap. 14.* aliique. Consule Perizonii *dissertat. de Praetorio p. 8.* Optime igitur fragmentum Pomponii *l. 2. D. de orig. jur. §. 27.* habet: *cum Consules avocarentur bellis finitimis, neque esset, qui in civitate jus reddere posset; factum est, ut Praetor quoque crearetur, qui urbanus appellatus est, quod in urbe jus redderet.* Firmat haec Livius *Lib. VI. in fin. Concessum nobilitati de Praetore uno, qui jus in urbe diceret, ex patribus creando. R.*

** Ex his unus jurisdictionem *urbanam*; alter *peregrinam*; quidam *provincias praetorias*; reliqui *quaestiones publicas* fortiebantur. Maxima erat dignitas Praetoris urbani, qui ideo PRAETOR MAIOR dicebatur. Fest. *in Major consul.* Plutarch. *in Bruto p. 986.* Dio Cass. *Lib. XLII. p. 195.* Caesar *de Bello civili. III, 20.* & COLLEGA

LEGA COSS. cui omnia absentium Coss. officia incumbabant Cic. *Lib. X. ad familiar. Epist.* 12. Plin. *Panegy. Cap.* 92. Gell. *Noct. Att. XIII,* 14. Dio Cass. *Lib. LIX, ad an. V. C.* 793. Aliquando tamen duae conjungi solebant jurisdictiones, veluti urbana & peregrina, Liv. *Lib. XXIV,* 44. *XXV,* 3. *XXVII,* 36. quemadmodum & apud Gruter. *Inscr. p. DIII.* laudatur ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ ΚΑΤΑ ΠΟΛΙΝ ΚΑΙ ΕΠΙ ΤΩΝ ΞΕΝΩΝ. Ita & duas de criminibus quaestiones interdum conjungi consuevisse, jam olim observavit Sigon. *de Judic. II.* 4. p. 400. H. De voce *επειληγῆς* vide differentem Spanhemium *ad Julian. Orat.* 1. pag. 76. *§ differt. IX. de us. § praestant. numism. Tom. I.* pag. 697. Idem de Praetoribus, fascibus ac securibus, quibus utebantur Romae, & in provinciis, late exposuit *differt. X. Tom. II.* pag. 104. *sequ.* Summum Praetoris urbani honorem ex eo conjicere possumus, quod functi consulatu continuo Praetores urbani fiebant, ut docet Livius *Lib. X. c.* 22. 47. cum alias Praetura esset proximus ad Consulatum gradus. Imo, qui Censuram gesserant, quae dignitas post Consulatum deferri consuevit, Praetores facti sunt, eodem Livio *Lib. XXIII. c.* 30. docente. Et Caesarum tempore, cum Imp. Consulatum adsumerent, Praetoram urbanam, ut dignitate ei proximam, filiis aut nepotibus, una cum Caesaris titulo subinde reliquerunt. Tacit. *Hist. IV. c.* 3. Sueton. *in Domitian. c.* 1. De Praetore Peregrino est erudita dissertatio Cl. Conradi *in Parergis. R.*

§. LVI.

Nec non Aediles curules. Eodem tempore, quo primum Praetorem urbs vidit, & duo AEDILES CURVLES creati, qui foro rerum promercialium, ludis, viis, aedibusque publicis, omnibus denique, quae

CAP. III. DE ST. IVR. A XII. TAB. AD AVG. III

quae ad decus & tutelam urbis pertinere videbantur, praeesent. Liv. *Lib. VI. extr. & Lib. VII. Cap. 1. l. 2. §. 26. D. de orig. jur.* Iis Jul. Caesar rei frumentariae causa quatuor alios ex plebe, & in his binos, quos CEREALES vocavit *, adjecit. Dio Cass. *Lib. XLIII. extr. l. 2. §. 32. D. de orig. jur.*

* Alias Aedilibus plebis praecipue incubuit cura annonae & rei frumentariae, adeo ut nihil in numis frequentius sit, quam Aedilitatis istius *κατασκευα*, puta duo modii cum spicis. Vaillant *de famil. Rom. Tomo II. p. 213.* Ez. Spanhem. *de usu & praest. numism. Tomo II. p. 151. sequ.* Videtur ergo Caesar hanc annonae curam ab Aedilibus plebejis ad cereales (quamvis & hi ex plebe essent,) transtulisse. Ceterum ineptiunt Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. II, 15.* & Rosin. *Antiqu. Rom. VII, 1.* & quotquot eos sequuntur, ac ii, qui ex locis Dionis & Pomponii duos Praetores cereales, quales numquam Roma vidit, exculpunt. Eos vero jam fatis refellit Bern. Henr. Reinoldus *Varior. Cap. III. p. 26. sequ.* H. Annonae cura & ad plebejos, & ad curules Aediles pertinuit, atque utrique dignitati *κατασκευα*, modius cum spicis, in numis commune est. Imo mansit quoque iis haec cura, licet Cerealibus institutis, uti demonstravit Spanhemius *Dissert. X. de Us. & praestant. Numism. pag. cit.* Hos vero Caesar ideo instituit, ne urbs laboraret inopia & plebs seditiones excitaret. Quam ob causam Augustus quoque postea annuos annonae Praefectos, e viris Praetoriis, fecit, eodem Spanhemio *ibid.* docente. Occurrunt adhuc Aediles Cereales Gordiani temporibus in marmore apud Gruterum CCLXXII. 6. R.

§. LVII.

Itemque
magistra-
tus majores
extra
ordinem
creati.

Addimus magistratus majores, aliquando extra ordinem creatos, veluti DICTATO-RES, in re trepida ab alterutro consulum, cujus fors exierat, noctu, silentio dictos: Livius *Lib. VIII. Cap. 23.* Dio Cass. *Lib. XXXVI.* DECEMVIROS legibus ferendis, quos semel tantum creatos, diximus. (§. XXV.) TRIBVNOS MILITVM COS. POTEST. qui ab anno V. C. CCCIX. quum de Consule alterutro ex plebe creando patribus cum plebe non conveniret, aliquamdiu loco Coss. fasces tenuerunt: Liv. *Lib. IV. Cap. 6.* INTERREGES, ad quos abdicantibus se consulibus, vel in magistratu extinctis imperium curaque comitiorum consularium redibat: Liv. *Lib. III, 8. V, 31. VI, 1. VII, 17. 21. VIII, 23.* denique PRAEFECTOS VRBI, qui initio, profectis ab urbe regibus, ac mox magistratibus, deinde feriarum Latinarum causa, reliquis magistratibus in monte Albano sacra facientibus, ut urbi interim praeessent, ex nobili juventute extra ordinem creabantur. * Tacit. *Annal. VI, 10. 11.* Gell. *Noct. Attic. XIV. extr. Excerpta Peiresc. p. 477. & l. 2. §. 33. D. de orig. jur.*

* Cave ergo hos praefectos urbi confundas cum illis, qui postea ab Augusti temporibus urbi praeerant, & de quibus singularis in Pandectis extat titulus *de officio praefecti urbi.* Nostri enim, de quibus hoc loco loquimur, fuerunt magistratus extraordinarii, & qui vice aliorum absentium funge-

fungentur: ii, qui ab Augusto constituti, ordinarie praeerant urbi, & quaevis fere jura reliquorum magistratuum usurpabant, non modo jus gladii intra urbem, sed & jurisdictionem intra centum ab urbe lapides sibi vindicantes. Sed de his infra plura dicendi locus erit. H.

§. LVIII.

Sed & minores MAGISTRATVS alii *quotannis* vel statis temporibus, alii interdum *extra ordinem* creabantur. Primi generis erant, qui numero rotundo XXVIRORVM nomine veniebant, quamvis eorum XXVI. numerarentur. Dio Cass. *Lib. LIV. p. 540. ad an. V. C. 741.* In eo numero erant DECENVIRI STLITIBVS IVDICANDIS, * qui praetori cognoscenti aderant in consilio. Ulpian. *Fragm. I, 13.* & hastae iudicioque centumvirali praeerant. Sueton. *Aug. Cap. XXXVI. l. 2. §. 29. D. de orig. jur.* Ger. Noodt *de Jurisdict. I, 12.* Siccama *de judic. centumv. Lib. I. Cap. IX.*

XXviri,
in quo
numero
Decem-
viri stli-
tibus ju-
dicandis.

* STLITIBVS veteres dicebant pro *litibus*, ut asperitate quadam juvarent litteram nimis lenem L. Sic & *locus* illis erat STLOCVS, *latus* STLATVS, Fest. *voce Stlata.* De eo *ἀξαισιμῶ* plura Jan. Rutgerf. *Var. Lect. V, 16.* Funcc. *de puerit. Lat. lingu. Cap. IV. §. 4. p. 263.* Ceterum postremis temporibus auctum hunc numerum esse, vel inde patet, quod & XVVIRI immo & XXVIRI STLIT. IVD. occurrunt in marmoribus apud Reines. *Inscr. VI, 42. 50. § 136.* H. Nemo credat, numerum Decemvirorum postremis temporibus auctum esse. Heineccius enim indices Reinesianos excipit, qui erroribus typographicis

funt plenissimi ; lapides vero ipsos , alia omnia edocentes , ne adspexit quidem. Nam apud Reinefium *Class. VI. num. 42.* marmor nec *XVVIRROS*, nec *XXVIROS* exhibet : verum Reinefius lacerum in lapide *ICANIDIS* vocabulum ex ingenio ita emendavit : *X. V. STL. IVDICANDIS*. Quam feliciter , videant alii. Quod autem scripsit ille Vir doctiffimus, *Quindecim viros stlitibus iudicandis* ex antiquitate & marmoribus vetustis notiffimos esse, id mihi nunquam persuadere potuit. Imo quovis pignore vellem contendere, in errorem quoque ipsum inductum fuisse ab Indice Gruteriano, in quo *XVViri* occurrunt magno numero, qui tamen, si lapides ipsos consulueris, omnes sunt *Decemviri*. *Viginti viros* vero cum putavit invenisse se in loco Spartiani *Vit. Julian. c. 1. Inter viginti viros electus est suffragio matris Marci*, vehementer erravit, & sententiae suae favens, male historici verba interpretatus est. Sunt enim ibi *viginti viri*, quorum in numero ipsi *Decemviri stlitium iudicand.* fuerunt, quod ipsum Casaubonus docere potuisset. Lapis, quem *num. 50. Class. ead.* vulgavit Reinefius, clarissime *XVIR STLIT. IVD.* exhibet. Ita etiam habet marmor *num. 78. § 136.* at, quod affert *num. 58.* e collectione Piccarti, refert *XVVIR. STLIT. IVD.* Id tamen ipse Reinefius sublestae fidei esse & *σφάλμα τῆς γραφῆς* habere, pronuntiavit. R.

§. LIX.

Quatuor-
viri viar.
curand.
Triumvi-
ri A. A.
A. F. F.
Trium-
In eodem **XXVIRORVM** numero erant
QVATVORVIRI VIARVM PVBLICA-
RVM CVRANDARVM, * de quibus *l. 2.*
§. 30. D. de orig. jur. Gruter. *Inscr. p. XVI, 10.*
TRIVMVIRI A. A. A. F. F. id est, *auro, ar-*
gento, aeri stando feriundo, Cic. *Lib. VII. ad*
famil.

famil. Epist. 13. TRIVMVIRI CAPITALIS, qui carceris custodiae supplicisque fumentis praeerant, quin & de furibus, servis, aliisque vilioribus capitibus cognoscebant apud columnam Maeniam *l. 2. §. 30. D. de orig. jur. Epit. Liv. Lib. XI. Valer. Max. Lib. V. Cap. 4. ex. 7. Rupert. ad Pompon. p. 265. sequ.* QVINQVEVIRI CIS & VLTRA TIBERIM, qui suae quisque regionis aedificiis nocturno tempore incendiorum causa praeerant, *l. 2. §. 31. D. de orig. jur. Liv. Lib. XXXIX.* 14. & quorum postea suppressum est officium, IIIVIRI CVRATORES VIARVM extra urbem. Dio Cass. *Lib. LIV. p. 540. ad an. V. C. 741. Ev. Otto de tutel. viar. Part. II. Cap. 5. p. 375.*

viri capitales. Quinquaviricis & ultra Tiberim. IIVIRI CURATOR. VIAR.

* Dicti etiam VIQCVRI, Varr. *Lib. IV. de lingua Lat. init.* Cujac. *Obs. XII, 40.* IIIIVIRI VIAR. CVRAND. Gruter. *Inscr. p. XXVI, 10.* IIIIVIRI ITER. Idem *p. MLXVI, 7. p. MLXXXVIII. n. 14. & p. MLXXXIII, 11.* quod exponunt *Quatuor viri iteris* pro itineris, cuius ἀρχαίονες vestigia passim supersunt. De iis, uti & de reliquis magistratibus omnibus viarum curatoribus accuratissime suo more egit V. C. Everard. *Otto de tutela viar. Part. II. Cap. 5. H. De Triumviris monetariis*, agit Spanhem. *de Uj. & Praest. Numism. Dissert. X. Tom. II. pag. 167. sequ.* Is ibidem docet, aevo sequiore hoc signandae pecuniae munus penes Procuratores monetarum existisse, qui pendente e nutu Comitum S. L. ejusdem auctoritate pecuniam signari curabant. Liqueat id, tum aliunde, tum ex Ammiano *Lib. XXVIII. c. 1.* a quo *monetae praepositi* vocantur. De *Triumviris capitalibus*, Lipsius *ad Tacit. Annal.*

Lib. V. cap. 9. iique, quos laudat Cortius *ad Sallust. Catil. c. 55.* exposuerunt; quibus addendus Georg. d'Arnaud *de Jur. Servor. c. 8.* a quo bene observatum est, poenas Triumviros ab iis tantum exegisse, quos publici criminis aliquid patrantes deprehenderant. R.

§. LX.

Magistratus minores extraordinarii.

Denique & extra ordinem aliquando creatos animadvertimus magistratus quosdam minores, veluti PRAEFECTOS ANNONAE, *Liv. Lib. IV. Cap. 12.* QVINQUE VIROS MENSARIOS, *Liv. Lib. VII. Cap. 21.* DVVMVIROS NAVALES, qui orae maritimae praecerant, classisque ornandae reficiendaeve curam habebant. *Liv. Lib. IX. Cap. 30. XL, 18. & 26.* Celebratur etiam in jure nostro PRAEFECTVS VIGILVM, qui & ipse magistratus extraordinarius. * *l. 2. §. 33. D. de orig. jur.* sed eum ab Augusto demum constitutum, non hujus esse epochae, patet ex *l. 3. pr. D. de offic. praef. vigil.*

* Praefectum vigilum magistratum esse negat Pomponius *l. 2. §. 33. D. de orig. jur.* Sed sensus est, eum inter magistratus ordinarios non fuisse, cum ad eum locum recte observarunt Cujacius, Jan. Guill. *de Magistrat. Rom. Lit. C. p. 1. & V. A. Corn. van Bynkersh. Praetermiss. p. 55.* Quum vero ipse Pomponius *d. l. 2. §. 18. eod.* Dictatorem vocet magistratum, qui & ipse extra ordinem in re trepida solebat creari: cur, quaeso, id nomen abjudicemus Praefecto vigilum? H. Recte Heineccius Praefectum Vigilum inter magistratus retulit, licet contradicat fragmentum Pomponianum, quod misere hic detruncatum esse jam Cujac-

Cujacius observavit. Etenim commodum vix sensum haec *ibidem* admittunt: *Praefectus vigilum extra ordinem utilitatis causa constitutus est*; cum satis constet, ab Augusti imperio ad Justiniani usque aetatem, dignitatem Praefecti vigilum legitimam perpetuamque fuisse. Eam ob causam de officio Praef. vigilum titulus in Digestis est, quo dicitur, ipsum habere *cognitionem quaestionemque*, & *judicem constitutum esse*. Imo fuit is Constantini M. tempore equitum Romanorum Praeful, uti Praefectus urbi Senatorum, docente *l. un. Cod. Theodos. de his, qui ven. aetat.* atque ad ipsum, tanquam Romanae civitatis magistratum, data est ejusdem Constantini M. *lex 3. Cod. eod. de infirmant. his, quae sub tyrann.* ubi consulendus Jac. Gothofredus. R.

§. LXI.

Quum itaque consulum munia postea per tot majores minoresque magistratus spargerentur: non mirum profecto est, plerosque eandem sibi sumsisse potestatem, edictis jura nova constituendi, qua consules usos esse diximus (§. XVIII.). Uti enim hoc faciebant consules, quod in regum locum successissent (§. XVIII. juncto §. IV.) ita nihil aequius videbatur, quam eadem potestate gaudere reliquos magistratus, in quos quaedam consularis potestatis partes fuerant translatae. *

Illi habebant jus edicta proponendi.

* Causa ergo, quam ob rem magistratus edicta possent proponere, non erat IMPERIVM, ceu existimavit Car. Sigon. *de jure civ. Rom. I, 20.* Nam & AEDILES CURVLES edicta proponebant, qui nec vocationem, nec pensionem habebant. Gell. *Noct. Att. XIII, 13.* itemque TRIBVNI PLEB.

quos SINE IMPERIO esse, diferte ait Appius Claudius apud Liv. *Lib. II. cap. 56.* nec non SACERDOTES, veluti Pontifices & decemviri sacrorum, Liv. *Lib. XL. cap. 37.* augures, Valer. Max. *Lib. VIII. cap. 2. ex. 1.* & imprimis PONTIFEX MAX. cujus de edicto perpetuo, sub sacerdotii auspicio proposito videndi Tacit. *Histor. II, 91.* Gell. *Noct. Attic. II, 28.* Jac. Guther. *de jure pontif. I, 12.* Jo. Andr. Bos. *de pontif. max. Rom. IV, 1.* Henr. Dodwell. *Adpend. praelect. Cambden. p. 653. sequ.* Et tamen sacerdotes sine imperio & potestate fuisse, scribit Livius *Lib. IV. cap. 54.* ipseque fatetur Car. Sigon. *ibid. I, 19.* Fundamentum ergo genuinum juris edicendi est HONOR, quo quicumque fungebantur, ii & edicta reddebant. Honoribus autem fungebantur non modo magistratus, nec hi soli dicebantur HONORATI, Liv. *Lib. XXV, 5.* Ovid. *ex Ponto IV, 5. v. 2.* § ad *Liviam v. 329.* vel HONORE VSI, apud Flor. *Hist. I, 13.* & Sallust. *Catilin. c. 49.* & Gruter. *Inscr. p. CCCLIII, 6. p. CCCLXXXVII, 8. p. CCCLXXXII, 1.* verum etiam sacerdotes, ut docent exempla apud Grut. *p. CCCLVII, 3. & p. CCCLXIV, 1.* Unde & hi aequae edicebant, ac illi. Nec alia est ratio, cur IVS, quod ex magistratuum edictis descendit, dicatur HONORARIUM. *l. 52. §. 6. D. de obligat. § act. §. 7. Inst. de jur. nat. gent. § civ.* Cujac. *Not. prior. ad d. §. 7.* & Raevard. *de auctor. prud. Cap. X. p. 1008.* H. Plurima loca collegit Heineccius, ut sententiam probabilem redderet, fundamentum juris edicendi in honore positum esse: at enimvero pleraque testimoniorum, id quod contendit, minime probant. Ita apud Dodwellum *l. c.* de edicto Pontificis nihil invenies; & lapides tres e Grutero producti huc plane non pertinent, cum in iis honore usi, sint decuriones municipales. In marmore quidem pag. CCCLVII. 3. *M. Antonius Januarius Honoratus*
Au-

Augustalis Misenis, occurrit, & in altero CCCLXIV. 1. *Fabiani Honorati*, fit mentio. Sed *Honoratus* ibi est nomen viro proprium, quod animadvertit jam Georg. d'Arnaud *Var. Conject. Lib. I. c. 3. pag. 32.* & praeterea utroque etiam in lapide flamines municipales indicantur. Nec male pronuntiavit laudatus d'Arnaud, eodem jure, mulierem quandam, quae *Honorata* nuncupatur apud Gruterum DCCXXVI. 6. nos affirmare posse in honore fuisse, eoque & jurisdictionem, & jus proponendi edicta habuisse. Uti autem caussa, quamobrem magistratus edicta possent proponere, non *imperium* fuit, ut recte sentit Heineccius, ita quoque ab *honore* jus edicendi difficulter deducitur, cum inde sequeretur, & Jus Pontificium, Augurum, & verbo, jus sacrum omne, honorarium dicendum esse; quo tamen nomine id nemo veterum extulit. Imo sacerdotes in numero magistratuum non fuisse, sed singulari duntaxat effulsisse dignitate, demonstravit Graevius in *praefat. Tom. V. Thes. Antiquit. Rom.* Modestinus vero l. 52. de *obligat. & action.* scribit: *jure honorario obligamur ex his, quae edicto perpetuo, vel MAGISTRATV fieri praecipuntur, vel fieri prohibentur.* Cum tamen negari non possit, sacerdotes quoque edixisse, rectius statuimus, edicta quondam omnia vi muneris publici, vel civilis vel sacri, fuisse proposita. Etenim id omnes facile perspiciunt, neminem munus publicum rite curare potuisse, nisi simul haberet edicendi de rebus iis potestatem, quae ad curam muneris, cui erat praepositus, pertinere videbantur. Quae de jure honorario addidit auctor, ea clarissime exponuntur in Institutionibus de *jur. nat. gent. & civ. §. 7.* *Hoc jus honorarium solemus appellare, quod qui honorem gerunt, id est, magistratus, auctoritatem huic juri dederunt.* R.

§. LXII.

Iisque
defini-
endi ea,
quae le-
gibus
non erant
definita.

Quod itaque observavit Aristoteles *Polit.* III, II. oportere leges dominas esse, si sint recte scriptae, magistratus autem EDICERE de illis, *ἃ δὲ ὅσων ἐξεδυνατῶσιν οἱ νόμοι λέγειν ἀκείως, διὰ τὸ μὴ ῥᾶδίον εἶναι, καθόλου δηλώσαι ἃ εἰ πάντων·* de quibus leges exquisite aliquid decernere nequeant, eo, quod non facile sit sermone generali singulos casus comprehendere: id semper observarunt MAGISTRATUS ROMANI plerique, ut alucinentur omnino, qui solos PRAETORES edicta reddidisse existimant. *

* Ejus sententiae fuit Jafon *in l. 1. pr. D. de nov. op. nunc. n. 7.* Et quamvis viro non indocto ignotum non fuerit, Proconsules etiam & Aediles curules edixisse, ex glossa tamen ad §. 7. *Inst. de jur. nat. gent. & civ.* notat, Praesides quoque provinciarum & Aediles ex Praetoribus fuisse. Quo nihil dici potuisset absurdus. At si fingamus eos jure praetorio gavisos, (quod tamen de Aedilibus curulibus nemo dixerit:) plerosque sane alios magistratus edicta proposuisse, jam observarunt Pomponius *l. 2. §. 10. D. de orig. jur.* Modestinus *l. 52. §. 6. D. de obligat. & action.* Theophilus ad §. 7. *Inst. de jur. nat. gent. & civ.* Guil. Maran. *in Paratitl. p. 100.* Camill. Borell. *de Edict. magistratuum I, 17, 6.* & alii. H.

§. LXIII.

Quod
exemplis
proba-
tur.

Quemadmodum ergo supra edicta REGVM (§. IV.) & CONSVLVM (§. XVIII.) vidimus: ita apud veteres non minus celebrantur edicta DICTATORVM, quae *pro numine olim observata esse*, ait Livius *Lib. VIII.*

cap.

cap. 34. CENSORVM, ea, quae ad civium disciplinam pertinebant, complexa, Cornel. Nepos *Caton. Cap. 1.* & ex quibus quaedam decerpfit Plin. *Hist. Nat. XIII, 13. XIV, 14. VIII, 57. XXXVI, 1.* TRIBVNORVM PLEBIS, Cicero *in Verr. II, 41.* qui aliquando & una cum praetoribus, & de communi utriusque collegii sententia, edicta proponebant, Cic. *de Offic. III, 20.* & ex edictis suis jus dicebant. Idem *in Verr. II, 41.* *

* Eo minus vero dubitandum de magistratibus, qui liberam adhuc rempublicam administrabant, quo certius constat, ea jam occupata plerosque magistratus jus edicendi sibi more majorum vindicasse. Turcii Aproniani, PRAEFECTI VRBI, (de quo aliisque Aproniis legendus Lud. Anton. Muratorius *Anecd. Tom. I. p. 141. sequ.*) bina edicta notatu dignissima exstant apud Gruter. *Inscr. p. DCXLVII, 6. 7.* Similia aliorum praefectorum urbi suggerit Ammian. Marcellin. *Hist. XXVII, 9. XXVIII, 4.* Avidii porro Flacci, PRAEFECTI AVGVSTALIS Aegypti edictum laudat Philo in *Flacc. p. 966. & p. 972.* Quin ne minores quidem magistratus dubitasse edicta de rebus ad curam suam pertinentibus reddere, patet exemplo QVAESTORUM, de quibus Cicero *in Verr. III, 7.* L. Octavio & C. Cotta *Coss. senatus permisit, ut vini & olei decumas, & frugum minutarum, quas ante te QVAESTORES in Sicilia vendere consueverant, Romae venderent, legemque his rebus, quae ipsis videretur, EDICERENT.* Ubi manifesto permittitur consulibus, quod antea ad Quaestorum pertinebat officium, ut edicta de venditionis legibus proponerent. H.

§. LXIV.

Omnes
Praeto-
res, non
folus ur-
banus,
edicta
propone-
bant.

At celeberrima omnium sunt edicta PRAE-
TORVM, AEDILITIA & PROVINCIA-
LIA, quia ex iis pleraque in jus Justiniane-
um migrarunt. Edicebant vero non modo
Praetores VRBANI, verum etiam PEREGRI-
NI, * Valer. Max. *Lib. 1. Cap. 3. ex. 2.* Boëth.
Lib. III. ad Cic. Topic. cap. 5. Theophil. *ad §.*
7. Inst. de jur. nat. gent. & civ. immo & qui
eorum PROVINCIAS aut QVAESTIONES
PVBLICAS fuerant fortiti. De illis paullo
post erit dicendi locus. Horum exempla ex-
stant apud Ciceron. *pro P. Sextio Cap. XLI.*
Varron. *de lingua Lat. Lib. V. in fn.* Add. Fridr.
Brummer. *ad leg. Cinc. Cap. VI. §. 7. & 8.*

* His a nobis adlatis testimoniis V. C. Ev. Otto *in
Notis ad Inst. p. 42.* addit aliud Ciceron. *Epist. ad
Famil. XIII, 59.* ubi Tullius Curtium Peducea-
num, Praetorem tum peregrinum *edicti & insti-
tuti sui* admonet. Recte ergo id jam olim
observavit Bern. Henr. Reinoldus *Varior. Cap.
XXXVII. p. 267.* quum ea de re dubitassent vi-
ri doctissimi, Franc. Hotomannus *de Magistrat.
pop. Rom. p. 396.* Schubart. *de Fatis jurispr. Rom.
p. 399.* & Nic. Hieron. Gundling. *in Πρωτ. Pan-
dect. tit. de orig. jur. §. 31.* quorum prior Prae-
torem peregrinum ex edicto urbano; postero-
res ex juris naturae & gentium principiis jus di-
xisse, censent. Sed ubi manifesta in promptu
sunt veterum testimonia, ariolari nec licet, nec
debet. H.

§. LXV.

Edictorum praetoriorum aequae, ac alio-
rum magistratum alia REPENTINA erant,
quae

Edicta
quotu-
plicia?

quae, prout res inciderent, proponebantur, alia ad PERPETVAM IVRISDICTIONEM, id est, per totum magistratus tempus explicandam, pertinebant *, *l. 7. pr. D. de jurisd.* Horum porro quaedam erant TRALATITIA, quae ex sui quisque decessoris edicto in suum totidem paene verbis transferebat, & NOVA, quae quisque de suo veteri edicto quotannis adstruebat. Quamvis enim multo maxima pars eorum, quae Praetores edicere consueverant, certa videretur propter vetustatem: Cicero *de Invent. II, 22.* non temere tamen quisquam auspicabatur praeturam, quin nova quaedam adfueret capita **, vel aetatem latura, si laudem haberent aequitatis, vel negligenda a posteris, si ambitiosa aut iniqua essent. Ex quo patet, cur edictum praetorium a Cicerone *in Verrem I, 42.* vocetur *lex annua, cui finem adferant Kalendae Januariae.*

* Equidem in *l. 7. D. de jurisd.* verba quaedam a Triboniano explicationis causa inserta esse videntur viris doctis, Cujac. *Observ. XX1, 24.* Jano a Colta *ad §. 12. Inst. de action.* At res ipsa tamen, puta quod edicta quaedam perpetuae jurisdictionis causa proposita, alia repentina fuerint, aliunde satis certa est. De prioribus nemo dubitaverit. *Repentinorum*, vel *peculiarium*, quae *ex tempore* proponi solita sint, meminit Cicero *in Verr. III, 14.* edictorum, quae *ratio temporum reddi* postularit, Plinius *Hist. Nat. XXXVII, 1. H.*

** Atque hinc intelligitur, cur quaedam edicta auctorum suorum nomina retinuerint, veluti DRVSI apud Ciceron. *Lib. VII. ad Att. Epist. 2.* CN. OCTA-

OCTAVII quod metus causa. Idem *Lib. I. ad Q. frat. Ep. I. num. 7.* C. AQUILLII de dolo malo. Id. *de Nat. Deor. III, 30.* PVBLCII de actione in rem, & restitutione majorum viginti quinque annis. §. 4. *Inst. de act. l. 35. D. de obl. & act. l. 57. D. mand.* Ut jam non dicam de actionibus SERVIANA, CALVISIANA, FABIANA, PAVLLIANA, edicto CARBONIANO, interdicto SALVIANO[†], quae omnia ex praetorum sunt edictis, eaque nomina acceperunt, quod Praetores isti primi haec edicta, tamquam nova, tralatitiis majorum suorum adstruxerunt, eaque postea ob aequitatem a posteris retenta maximam paullatim auctoritatem in foro sunt consequuta. H.

§. LXVI.

Modus
illa pro-
ponen-
di.

Ea edicta Praetores sub auspicia magistratus sui solebant proponere. Inituri enim honorem in concionem adscendebant, & pro rostris habita more majorum oratione, quae essent in jure dicundo observaturi, EDICEBANT. Cicero *de Finib. II, 22.* Id est, edictum suum, domi compositum, non modo per praeconem recitari, (quod ex *μυθήσει* imperatoris histrici apud Plaut. *in prolog. Poenuli v. 11. sequ.* colligitur *,) verum etiam scriptum in ALBO publice proponi jubebant. Unde formula edictalis: APVD. FORVM. PALAM. VNDE. DE. PLANO. RECTE. LEGI. POTEST. (vel *ἀρχαίνως*, POTESTVR. de qua forma vid. Voss. *de arte grammat. Lib. V. Cap. 36. p. 319. Tomo II. Operum.*) De ea formula legi possunt Joseph. *Antiqu. Jud. XIV, 2. XIX, 4.* Aufon. *Grat. act. ad Gratian. Imp. Cap. XXI.* Cujac. *Obs. VII, 29.*

* Ibi

* Ibi enim prologus comoediae, qui se *magistratum* vel *imperatorem histrionicum* fingit, primum praeconem ita excitat:

*Exsurge, praeco, fac populo audientiam:
Jamdudum exspecto, si tuum officium scias.*

Deinde recitat ipsum edictum fictitium:

BONVM FACTVM 'ST, *edicta ut seruetis mea.*
coque finito subjicit:

*Haec, imperata quae sunt, pro imperio histrico,
BONVM, hercle, FACTVM, pro se quisque ut
meminerit.*

Est vero haec formula: BONVM FACTVM, antiqua & sollemnis, quam edictis suis praemittentibus magistratus, quamque Josephus *Antiqu. Jud. XVIII, 5. XIV, 17.* exprimere solet: ΚΑΛΩΣ ΕΧΕΙ, quae verba sollemnia in *Hudsoniana* pessime vertuntur: Proinde aequum esse censeo: Appianus vero *de bello civ. Lib. IV. p. 593. 595. & 607.* & veteres lapides apud Selden. *in Marm. Arundell. p. 130.* Reines. *Inscript. p. 497.* Smith. *de sept. eccles. Asiae p. 20. sequ.* & Jac. Gronov. *in Memoria Cossioniana p. 142. 145. & 148.* ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ, qua formula ideo uti noluisse videtur Josephus Judaeus, quod *Bonam Fortunam* pro Dea colerent Romani. Alex. ab Alexandr. *Genial. Dier. I, 13.* Dalechamp. *ad Plin. Hist. Nat. I, 7.* Ceterum de formula edictali: BONVM FACTVM, consuli debet Barn. Briffon. *de Formul. pop. Rom. III. cap. I. sequ. H.*

§. LXVII.

His porro edictis Praetores non modo leges, propositis actionibus vel exceptionibus adjuvabant: sed & multa, quae praeterviderant legislatores, constituebant, quin & rigorem legum aequitate temperabant, ne videlicet summum jus in summam evaderet injuriam.

Finis e-
dicto-
rum.

juriam. Quae omnia eleganter complexus Papinianus, *jus praetorium ADIVVANDI vel SVPPLENDI, vel CORRIGENDI juris civilis gratia, propter utilitatem publicam, introductum esse*, ait *l. 7. §. 1. D. de just. & jur.**

* Notanda & explicanda haec lex est, cum Heineccius paullo post alia omnia censet. R.

§. LXVIII.

Iis aliquando Praetores jus scriptum evertabant.

Ipsum equidem jus scriptum directe mutare edictis suis non poterant Praetores, idque non modo ipsi prae se ferunt, quoties in edictis suis LEGES, SCTA, EDICTA DECRETAQVE PRINCIPVM diserte excipiunt, *l. 7. §. 7. D. de pact. l. 1. §. 5. D. de postul. l. 1. §. 1. D. quib. ex caus. maj.* sed & jurisconsulti passim profitentur. *l. 12. §. 4. D. de Public. in rem act. l. 12. §. 1. D. de bon. possess.* Enimvero ut mali magistratus potestate, etiam legitima, facile abutuntur: ita & de Praetoribus idem observat Dio Cass. *Hist. Lib. XXXVI. p. 19. & pag. 21. Edit. Steph.* dum scribit: *Ὅν γὰρ (οἱ στρατηγοὶ) πάντα τὰ δικαιώματα, αὐτῶν τὰ συμβόλαια διετέτακτο, ἐποίησαν, ἕτε ἐσάπαξ τῶν ἐποίησαν, ἕτε τὰ γραφέντα ἐτήρην, ἀλλὰ πολλάκις αὐτὰ μετέγραφον, καὶ συχνὰ ἐν τέτῳ πρὸς χάριν ἢ καὶ κατ' ἔχθραν τινῶν, ὡσπερ εἰκὸς, ἐγένετο. . . Neque enim (Praetores) omnia ea jura, quae ad contractus dirigendos constituta erant, observabant, neque id umquam fecerant, neque scripto juri steterant, sed saepenumero ea variaverant, crebroque per*

*per gratiam & odium certorum hominum, veluti fieri adsolet, hac in re multa gerebantur. **

* Potest id per inductionem, quam vocant, probari, modo ad leges XII. Tabularum respicere velimus. Ita sane Praetor mutavit poenam furti manifesti, Gell. *Noct. Attic. XI, ult.* Théophil. *ad §. 2. Inst. de perpet. & temp. act.* poenam frugis noctu demessae, Plin. *Hist. Nat. XVIII, 3.* injuriarum, Gell. *Noct. Attic. XX, 1.* actiones arborum furtim caesarum, Plin. *Hist. Nat. XVII, 1.* depositi dolo malo abnegati, *Pariat. Mos. & Rom. leg. X, 6.* conditionem liberorum emancipatorum, §. 9. *Inst. de heredit. quae ab intest.* nec non cognatorum, *l. 1. pr. D. unde cogn.* Nec magis Praetor pepercit aliis legibus, veluti Aquiliae, cujus capita quaedam exstitisse *de servo corrupto & de effusis & dejectis*, quae deinde Praetor edicto suo exclusit, suspicatur V. A. Corn. van Bynkersh. *Obs. I, 13. p. 61.* Jam obiter addo, eam veram ac genuinam esse rationem, cur actiones quaedam poenales, licet praetoriae, tamen sint perpetuae, veluti actiones furti manifesti, *pr. Inst. de perp. & temp. act.* arborum furtim caesarum, *l. 7. §. 6. D. arb. furt. caes.* furti adversus nautas, caupones, stabularios, *l. ult. §. 6. D. naut. caup. stab.* depositi miserabilis, *l. 18. D. depos. servi corrupti, l. 13. D. de serv. corr. de effusis & dejectis, si non de occiso libero homine agitur l. 5. §. 5. D. de his, qui effud. vel dejec.* Omnes enim hae actiones non sunt origine praetoriae, sed civiles, at immutatae & correctae a Praetoribus. H. Incipissit hic Heineccius minas in Praetorem jactare; sed salva res est. Ni enim Praetor ea mutasset, quorum hac nota mentio facta est, non secundum humanitatem aequitatemque, sed iniquissime jus dixisset: quod Doctores facillime tirones docere poterunt, dummodo respiciant ad mutatam Romanae reipublicae formam,

mam, quam a parvis initiis ad summum excreviffe fastigium, divitiis opibusque auctam esse, simul tamen vitiis moribusque pessimis laborare coepisse, notissimum est. R.

§. LXIX.

Quibus
artibus
id conse-
quuti sint
praeto-
res.

Quod ergo directe non poterant Praetores, id indirecte, adhibitisque quibusdam artibus, eos praestitisse, dudum ostendimus. Nam & NOVIS excogitatis VOCABVLIS leges cludebant, & actiones civiles datis EXCEPTI-ONIBVS, RESTITVTIONIBVS, evertabant, & FICTIONIBVS suis efficiebant, ut aliam paene faciem induerent jura civilia*. *Antiqu. Rom. Lib. I. tit. 2. §. 24. tit. 16. §. 3. 4. 5.*

* Ita NOVIS ludebant VOCABULIS, dum iis, qui *heredes* esse non poterant, dabant *bonorum possessionem*, dum argentarios non *promittere*, sed *recipere*, eosque, qui rem a se aliisque promissam iterum promittebant, *constituere*, dicebant, atque inde dabant actiones *receptitiam* & *constitutae pecuniae*: *l. 2. C. l. 1. §. 1. l. 16. §. 2. l. 18. §. 1. l. 25. D. de const. pec.* quasi inter *pacisci*, *promittere*, *recipere*, *constituere*, tantum interesset discriminis, ut priora non mererentur actionem, posteriora mererentur. Deinde & variis EXCEPTI-ONIBVS elidebant jura, & iis quidem non tantum aequis, veluti *pacti*, *doli mali*, similibus, sed & iniquissimis, qualis vere fuit *exceptio lenocinii* apud Valer. Max. *Lib. VII. Cap. 7. exemplo 7.* Quod & de RESTITVTIONIBVS dicendum, quas saepe dabant Praetores mali, quando minime oportebat, ceu patet exemplo C. Verris apud Ciccon. *in Verr. I, 46.* FICTIONVM exempla omni exceptione majora sunt in §. 4. *Inst. de action. H.*

Cum

Cum Heineccius ad §. *LXX.* notaverit, Praeturam neminem mortalium impugnasse, sed malitiosos perfidosque Praetores his tantum artibus, quas hic enumerat, abufos esse, mirari satis non possum, quod hoc loco Praetores omnes accuset, eorum *artes* traducat, *indirecte jus immutasse*, & *novis lusisse vocabulis*, cum convitio scribat. At ineptum profecto est, statuere, Praetorem, sanctissimum Romani populi magistratum, novis vocabulis in foro, atque conspectu tot gravissimorum civium, & voluisse & potuisse ludere. Deinde quoniam omnes Praetores novis his vocabulis usos esse, exceptiones dedisse, atque in integrum restituisse, novimus, necessum quoque est, ut omnes, ex sententia Heineccii, malitiosi perfidique fuerint, quia adhibitis artibus, ut vocat, jus plurimum immutarunt. Nonne igitur is, qui *vocabula, exceptiones, restitutiones, fictionesque*, in civitate Romana cunctorum consensu receptas, in jure ipso frequentissime adhibitas, a Jureconsultis probatas, tantopere vituperat, Praeturam ipsam impugnare videtur? Quis autem tam imperitus est, qui non sentiat, has artes, quas Praetoribus exprobrat Auctor, non ab eorum libidine, aut nequitia, aut iniquitate, unice proficisci potuisse, verum ex voluntate arbitrioque totius Romani populi, juris civilis corrigendi adjuvandique causa, in civitatem fuisse induendas? Etenim si tantum potuissent Praetores, quantum persuadent sibi viri docti, fuisset sane eorum potestas major, quam Consulium, omniumque magistratum; atque non tantum omnia ab eorum pendere debuissent nutu, verum etiam, & ipsas leges, & libertatem, & statum reipublicae, dudum ante Caesarem, potuissent evertere. Igitur mitius de Praetoribus & Praetura sentiendum, statuendumque est, haec, quae ab auctore allata sunt, omnia placuisse populo Romano. Non lusit Praetor, *honorum possessionem* introducens. Etenim satis constat, magnam

gnam inter *bonorum possessionem, hereditatemque*, fuisse differentiam; & illam ob aequitatem summam non potuisse non ab omnibus probari. *Pacisci, promittere, recipere, constituere*, non sunt *συμβασις*, mirumque adeo est, elegantem Jctum ita pronuntiasse. Recte enim argentarius pro alio spondens *recipere* dicitur, quoniam in se recipit, solutum se, quod hic vel ille cavisset. Proprie quoque dicitur is *constituere*, qui pro se aliisque iterum promittit. Nimirum, ut *rem constituere*, est quasi fundare, & loco suo firmiter sistere, unde dejici non possit: ita & qui *constituit*, rem promissam firmat, ipsamque obligationem reddit meliorem. Ni *restitutiones*, & *exceptiones* dedissent Praetores, summum jus in summam evasisset injuriam. Quae res adeo nota est, ut nulla probatione egeat. Errat quoque Heineccius, cum *exceptionem lenocinii* apud Valerium Maximum; iniquissimam dicit; eam enim summa niti aequitate, oppositamque fuisse homini, quem rei-publicae pettem jure dixeris, patebit ipsa historici verba consulentibus. De *fictionibus* nihil addo: sufficit enim, eas civitatem Romanam, atque Prudentes, ratas & habuisse & fecisse. R.

§. LXX.

De Gottl.
Cortii
vindiciis
Praetoris
& juris
honora-
rii.

Enimvero adversus omnes, qui Praetori haec exprobrant, stilum vindicem, quod mireris, expedit V. C. GOTTL. CORTIUS, editis Lipsiae *vindiciis Praetoris ac juris honorarii*; ubi iis, qui talia scripserunt, tam grandem dicam scribit, ac tam vehementer indignatur, ut magis non potuisset, si conjurassent adversus rempublicam. Et tamen vir ille doctus, effusa omni bile, magno conatu maximas nugas egit.

* Primo

* Primo enim mutato ipso quaestionis statu §. IV. p. 3. se non perfidorum ac malitiosorum Praetorum, sed praeturae causam acturum, minatur. Quasi ipsam praeturam quisquam mortalium impugnasset, aut alii Praetores, quam perfidi ac malitiosi, istis artibus abusi sint. Cum larvis ergo pugnat vir doctus, neminem habiturus aduersarium. Deinde ostensurus, Praetores, ne si voluissent quidem, his artibus uti potuisse, a §. V. multa ex aduersariis suis corradit de insigni Romanorum cura in seruandis legibus, de edictis consentiente senatu scriptis, de intercessione tribunorum plebis, qua & aduersus iniqua edicta Praetorum uti potuerint, denique de iurejurando, quod in leges iurarint Praetores. Enimvero, qua fronte negatur fieri potuisse id, quod re ipsa factum est? Jus praetores edictis evertisse, & Dio testatur, & Cicero: qui ergo everti non potuit? Cur, quaeso, C. Verrem, talia ausum non cohibuit insignis ista Romanorum cura in seruandis legibus? cur hunc Senatus non in ordinem coegit auctoritas? cur Tribuni plebis non domuerunt? & cur hominem non saltim iurisjurandi religio in officio continuit? Praeterea, si quid aliud, falsum est, Praetores edicta sua, vel de senatus, vel de collegii tribunicii sententia composuisse, neque id probant adducta a viro docto testimonia. Praeterea ridiculum est, vindicem initio negare, Praetores his artibus uti potuisse, & postea tamen §. VIII. non modo fateri, eos iura mutasse, sed & iure id ab illis factum esse contendere: partim, quod *similis legislatoriae esse debeat Praetorum potestas*, quo nescio an quidquam scribi potuisset infusius) partim, *quod populo potius vitio vertendum sit, quod tamdiu veteribus obscurisque legibus inhaeserit*. Quid ergo sibi vult vindex? cur iis indignatur, qui Praetores iura mutasse censent? cur id fieri potuisse negat? Non minus absouum est, quod §. IX. illam veterum querelam, inprimis

mis locum Dionis Cassii non de ordinariis annuis, sed de subitaneis Praetorum edictis accipiendum esse ait, veluti de citatoriis, monitoriis, simili- busque. Quasi vero lex Cornelia, de qua ibi agit Dio Cassius, ad edicta subitanea pertinuerit, & quasi ulli magistratui lege praecipi possit, ut omnia edicta subitanea, citatoria, monitoria sub auspici- um honoris sui semel simulque proponat. Nugae! Denique ubi ad rem ipsam se accingit vindex, ar- tes istas Praetoribus injuria tribui ostensurus, mul- tum interfuisse monet inter bonorum possessionem & hereditatem, ubi pleraque, quae nemo dupon- ditorum ignorat, quaedam & falsissima adfert. Deinde exceptiones aequae, ac restitutiones in in- tegrum aequissimas esse contendit, quum nemo eas iniquitatis coarguerit, & verissimum tamen sit, Praetores, qui aequas vel exceptiones vel resti- tutiones invexerunt, potuisse etiam invehere ini- quissimas, easque aliquando re ipsa invexisse. Postremo, ne quid ineptiarum desit, fictiones fi- ctiones esse negat, easque nihil aliud, quam *veritates probabiles* & *interpretationes extensivas esse*, contendit. Nam veritas admodum probabilis est, eum, qui non usucepit, usucepisse, non usucepisse autem, qui usucepit. Hoc vero est, quod ignorabamus miseri. Quae sub finem Dif- fertationis adcumulantur de absentium praesentia, de servitute poenae, id est, Furiarum, & si- milibus juris, quod homo iste numquam intellexit, capitibus, tam frigida sunt, ut nolim eà recen- sendo anno tam insalubri febrim lectori excitare. Saltim si veterum Praetorum aliquis has Praeto- ris vindicias legisset, eum non dubito exclama- turum fuisse:

*Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Tempus eget. H.*

Migravit affectus in calamum Heineccianum, magnamque fecit *Cortio* injuriam, cum *vindicias Praetoris Romani*, & *juris honorarii*, non is, sed

Joan-

Joannes Richey, Hamburgensis, vir doctissimus, atque jurisprudentia elegantiori probe excultus, scripserit. Solebat Cortius frequenti auditorio in Academia Lipsiensi Heineccii Antiquitates Juris praelegere, & in eum, ob errores plures commissos, non raro nigrum effundere salem. Quae res eum, in Academia Halensi tum docentem, adeo commovit, ut, cum audisset, vitam cum morte commutasse Cortium, memoriae ejus hoc monumentum ponere, in animum induceret. Majorem vero apud homines eruditos iniisset gratiam, si eorum, quae hac nota proposuit, reddidisset rationem. Ego certe, eam quoque ob causam, quod Heineccius, effusa licet omni bile, has Praetoris vindicias, quæ Cortio Praefide *Lipsiae* 1730. lucem viderunt publicam, non confutare, sed convitiis tantum proscindere potuit, vehementer easdem laudo commendoque, & dignas judico, quae denuo prelo subjiciantur. Nonne Richejus mox in principio dissertationis professus est, perfidorum Praetorum causam se acturum non esse? Cur igitur Heineccius ad Dionem provocat, malitiosos tantum Praetores perstringentem? Cur Verrem producit, hominem maxime perfidum, superbum, crudelem, libidine infamem? Certe si toties, quoties is somniat, Jus Romanum nequitia perfidiaque sua Praetores evertissent, haberemus sane plura iniquissimorum Praetorum exempla apud eos, qui res Romanas memoriae summa cum fide tradiderunt. Ipse Cicero *in Verr. Lib. I. cap. 45.* scribit: *valde sit mirum, neminem fuisse, qui istius (Verris) se similem dici vellet.* Deinde, licet aliquando Praetores mali jus ex libidine sua dicerent, decreta variarent, nundinationes facerent; jus tamen civile ideo eversum esse, dici non potest: cum sciamus, gravissime eos, postquam magistratu abierant, & punitos, & quae immutata, atque per iniquitatem facta erant, abolita fuisse. Quae

cum ita sint, rectissime concludimus, Jus honorarium in civitatem, omnium consensu receptum, vituperari non posse, & injuriam esse in Praetores doctissimum Heineccium, quod exceptiones, restitutiones, nova vocabula, & alia, quasi ad everendum jus civile inventa, redarguat. Haec enim omnia, nisi Senatui populoque placuissent, suaeque se probassent aequitate, non potuissent non quam citissime ex urbe, tanquam utilitati, felicitati, & ipsi libertati insidiantia, exulare. Cum quaerit Heineccius, *cur Verrem insignis Romanorum cura in servandis legibus non cohiberit*, ignoravit forte, conspirasse nonnunquam splendidissimas familias, simul magistratus Romae gerentes, ut potentiores reliquis essent, & divitias conquirere facilius possent. Imo Peregrinus Praetor Verrem cohibuit, quod testatur Cicero *Lib. I. in Verr. cap. 46. Itaque L. Piso multos Codices implevit earum rerum, in quibus ita intercessit, quod iste (Verres) aliter, atque ut edixerat, decrevisset. Quod vos oblitos esse non arbitror, quae multitudo, qui ordo ad Pisonis sellam isto Praetore solitus sit convenire. Quem iste collegam ni habuisset, lapidibus coopertus esset in foro. Sed eo leviores istius injuriae videbantur, quod erat in aequitate, prudentiaque Pisonis paratissimum perfugium: quo sine labore, sine molestia, sine impensa, etiam sine patrono homines uterentur.* Et Verres ipse accusatus, nonne in exilium decessit, in eoque conuenit, odium timens Romani populi, gravissimamque poenam. Hanc autem quaestionem, *cur Verrem jurisjurandi religio in officio non continuerit*, plane ridiculam esse iudico, quoniam, ne ipsum quidem Verrem ad eam respondere potuisse, persuasum mihi est. Non est insulsum, quod Richejus statuit, *Praetorum potestatem similem fuisse legislatoriae*, nec nugae egit, cum de *subitaneis edictis* exponeret; quamvis haud negem, satis distincte ipsum de lege Cornelia ex Dione

non exposuisse. Quaedam *de bonorum possessione*, quae *falsissima* sint, attulisse vindicem, scripsit quidem Heineccius, at non probavit, nec in Antiquitatibus ejus legimus meliora. Non negavit vindex, *Praetores iniquas potuisse invenere exceptiones & restitutiones*: at enimvero eas a perfidis atque malitiosis Praetoribus datas esse accurate observat. Cur igitur vituperat Heineccius vindicias? Cur perfidos Praetores in medium quasi producit, a quibus, ut supra dictum est, jus civile immutari nullo modo potuit? Et enim tum demum triumphum potuisset canere, si demonstrasset, iniquissimas has exceptiones & restitutiones in civitatem esse introductas, & in ipso jure civili locum accepisse. Intellexit profecto vindex *servitutem poenae, jus postliminii*, aliaque juris capita, atque de iis majori cum accuratione exposuit, quam quidem Auctor in Antiquitatibus; nec adeo absurda sunt, ut fingit Heineccius, quae de *fictionibus* protulit. A *veritate* autem *probabili* si abstinuisset, forte nulla literatissimo auctori data esset ridendi materia. R.

§. LXXI.

Sed & id sibi adrogaverant Praetores, ut edicta per annum, quotiescumque collibitum esset, mutarent, idque plerumque facerent *πρὸς χάριν καὶ κατ' ἔχθραν τινῶν, in gratiam odiumque certorum hominum*: Dio Cass. *Lib. XXXVI. p. 19.* Ascon. Pedian. *in argum. orat. pro C. Cornelio majest. reo.* * adeo, ut ad coërcendam istam Praetorum licentiam opus esset edicto ipsorum Praetorum: **QVOD QVISQVE IVRIS IN ALTERVM STATVIT, VT IPSE EODEM IVRE VTATVR.** *l. i. D. quod quisque jur. in alt. stat.*

Praetore
edicta
sua per
annum
frequent
ter mu-
tabant.

* Fecisse id animadvertimus C. Verrem. Is L. Annio, heredi secundo P. Annii Afellii, edicto condonavit hereditatem, exclusa filia unica herede a patre instituta. Cic. *in Verr. I*, 41. De eo edicto Cicero *ibid. Cap. 42. Ac si hoc juris non unius causa hominis edixisses, cautius composuisses.* Idem *Cap. 45.* refert, ridiculum edictum proposuisse Verrem in gratiam heredis Minucii, cujus testamentum alioquin jure nullum erat. *Componit*, inquit, *edictum, iis verbis, ut quivis intelligere possit, unius hominis causa conscriptum esse, tantum quod hominem non nominat.* Talia per multa sunt in illis in Verrem orationibus. H.

§. LXXII.

Hinc
SCto jussi
sunt ex
edictis
perpetuis
jus dice-
re.

Id quum demum intolerabile videretur civitati liberae, & jus incertissimum redderet; anno ab V. C. DLXXXV. L. Aemilio Paulo & C. Licinio Crasso Coff. V. Kal. Apr. in curia Hostilia factum est SC. VTI PRAETORES EX SVIS PERPETVIS EDICTIS * IVS DICERENT. Cujus Senatusconfulti notitiam verbaque debemus *Actis diurnis*, quorum fragmenta quaedam insignia ediderunt Steph. Vin. Pighius *Annal. Rom. Tomo II. p. 378.* Reines. *Inscript. Class. IV, 1.* & omnium accuratissime Henr. Dodwell. *Adpend. praelect. Cambden. p. 665. sequ.* **

* Neque tamen PERPETVVM dicitur hoc edictum, quasi aeternum duraturum, quale esse debuit illud a Salvio Juliano compositum sub Hadriano: sed quod illud per totum annum nullam subituum esset mutationem. Nam *perpetuum* dicitur etiam, quod est continuum, vel non interruptum, quamvis non infinitum. Sic *palus* PERPETVA apud

apud Caesarem *de Bello Gall. VII, 57.* PERPETVA *amicitia* apud Q. Ciceron. *petit. consul. Cap. VII. biennium* PERPETVVM apud Terent. *Hecyrae I, 2. v. 12.* ubi Donatus: *Ut continuationem casus sui ostenderet, PERPETVVM dixit.* Hujus notionis quum non meminissent Menardus *in Cicer. in Verr. I. p. 103.* Guil. Grot. *de vit. jurisconf. II, 6.* non mirum est, eos maxime caecutiisse circa naturam edicti perpetui, quale ante Hadrianum Imp. invaluerat. H.

** Sed haec Acta diurna sublestae esse fidei, ostendit Vir egregie doctus, P. Wesselingius *Probabil. cap. ult. R. f. Bacl. p. 209. l. 5.*

§. LXXIII.

At ne id quidem SC. par fuit illi Praetorum licentiae. Nam multo post illa tempora C. Verres in urbe, & in Sicilia edicta sua in gratiam odiumque aliorum frequenter mutabat, & varie jus dicebat. Cicero *in Verr. I, 45. & 46.* Nec religiosius reliqui Praetores edicta sua servabant. Quo factum est, ut anno ab V. C. DCLXXXVI. C. CORNELIUS, Trib. pleb. magnam cum nobilium hominum offensione * legem ferret, VT. PRAETORES. EX. EDICTIS. SVIS. PERPETV. IS. IVS. DICERENT. *Quae LEX CORNELIA tum gratiam ambitiosis Praetoribus, qui VARIE jus dicere adsueverant, sustulit,* uti observat Aſcon. Pedian. *in argum. orat. pro C. Cornel.* Meminit ejusdem legis Dio Cass. *Lib. XXXVI. p. 19.* qui ejus sententiam ita exprimit: *κατ' ἀρχάς τε εὐθὺς στρατηγὸς τὰ δίκαια, οἷς χρῆσονται, ἀπολέγειν, καὶ μηδὲν ἀπ' αὐτῶν ὠφελεῖ-*

Postea etiam lege Cornelia.

æiv. *Ut & statim Praetores principio edicerent, quo jure essent usuri, & deinde nequaquam ab eo deflecterent.*

* Rem perspicue exposuit Afcon. Pedianus *in argumento orationis pro C. Cornelio, majestatis reo.* C. Cornelius, homo non improbus vita habitus, quaestor Cn. Pompeji, dein Tribunus plebis, C. Pifone consule, retulerat ad Senatum, *ne quis legatis exterarum nationum pecuniam expensam ferret.* Relationem repudiabat Senatus, quo ex ordine plerique hac credita pecunia permagnum & turpissimum lucrum faciebant. Offensus ea re Cornelius in concionibus Senatum turpis lucri accusat, simulque legem rogat, qua Senatus minueretur auctoritas: *ne quis, nisi per populum, legibus solveretur.* At Senatus facile movit P. Servilium Globulum, Tribunum pleb. ut Cornelio obfisteret. Et sane orto tumultu, in quo & C. Pifonis Cos. fasces fracti, lapidesque in consulem ex ultima concione jacti sunt, concilium tum dimittendum fuit. Postea sine tumultu pertulit legem paululum emendatam, *ne quis a senatu legibus solveretur, nisi dicenti adfuissent.* Audacior hoc successu factus, & alias leges, & hanc de Praetorum edictis promulgavit tulitque, per quas contentiones paene totus ejus tribunatus peractus est. Sequenti deinde anno reus majestatis factus est a Cominiis fratribus, defensusque a Cicerone, desistentibus accusatoribus, evasit, nomenque ejus de reis exemptum est. Plura sciremus, si orationes illae Ciceronis integrae ad nos pervenissent. Jam vix fragmenta quaedam nobis servavit laudatus Afconius. H.

§. LXXIV.

Hinc jus
praeto-

Hac ergo lege effectum est, ut non modo paullo minus necessarium esset edictum:

QVOD

QVOD QVISQVE IVRIS IN ALTERVM STATVIT, nisi quis repentino aliquo edicto damnum sensisset, sed & ipsum jus praetorium in posterum paullo videretur certius, quod pleraque tralatitia edicta in albo legentur, & Praetores, licet quotannis edicerent, pauca tamen nova capita veteribus adstruerent. Hinc jurisconsulti ex eo tempore edicta Praetoris colligere, suisque illustrare coeperunt animadversionibus, veluti SER. SVLPICIUS, l. 2. §. 44. *D. de orig. jur.* *. A. OFILIUS, d. l. 2. §. 44. *D. eod. l. i. §. 2. D. ne quis eum, qui in jus voc.* & ANTISTIVS LABEO, l. 1. §. 5. *D. de fugitiv.* Gell. *Noct. Attic. XIII, 10.*

rium
multo,
quam
ante,
certius
factum.

* Sunt hi ipsi libri, qui alias *ad Brutum* scripti dicuntur. Hinc Pomponius: *Idem Ofilius edictum Praetoris primus diligenter composuit, nam ante eum SERVIVS duos libros ad Brutum perquam brevissimos ad Edictum subscriptos reliquit.* Et l. 5. §. 1. *D. de instit. act.* laudatur SERVIVS liber primus *ad Brutum*: non quasi Bruti, Icti, libros commentario illustrarit, sed quod has meditationes edictales M. Bruto, Julii Caesaris interfectori, cui Cicero etiam libros de finibus & de natura Deorum, itemque Oratorem & paradoxa sua nuncupaverat, inscripisset. Ev. Otto *Ser. Sulpic. Cap. VII. §. 3. p. 1598. Tom. V. Thesaur. jur.* Ceterum quum vix minus necessariis scriptionibus operam dedisse virum negotiosissimum, probabile sit: recte ex ipsa brevitate, qua usus dicitur, colligere mihi videor, prima hunc libellum complexum esse jurisprudentiae elementa, eumque adeo in gratiam auditorum prodiisse. Studium sane juris tum ab edicto auspicatos esse pleros-

plerosque, testatur Cicero *de Legib. I, 5. A Praetoris edicto plerique nunc, non a XII. Tabulis, ut superiores, hauriendam juris disciplinam, putant.* Vid. Jac. Perizon. *de lege Vocon. p. 193.* & V. C. Ever. *Otto ibid. p. 1599.* H.

§. LXXV.

Edicta
Aedi-
lium cu-
rulum.

Eodem jure, quo Praetores, etiam AEDILES CURVLES de rebus ad curam suam pertinentibus, (§. LVI.) edicta proposuisse diximus, * (§. LXI.) quae & ipsa *juris honorarii portio* erant. §. 7. *Inst. de jur. nat. gent. & civ.* Nec tamen, sicuti Praetores, singuli videntur edixisse, sed communiter. Cujac. *Obs. XXV, 16.* Unde vix legas in *Digestis*: ait *Aedilis*: sed in numero plurativo: AIVNT, VOLVNT, NOLVNT, PRAECIPIVNT & DENVNCIANT, LOQVVNTVR, ORDINE FECERVNT AEDILES, cetera. *l. 1. §. 1. l. 17. §. 17. l. 25. pr. l. 44. pr. l. 37. l. 38. §. 1. l. 25. §. 10. D. de Aedil. edict.*

* Quod jus ab ipsa magistratus sui origine videntur usurpasse. Nam jam Plautus, qui centum circiter & septuaginta annis post primos Aediles curules scripsit, ad edictum eorum, tamquam rem notissimam, suo more adludit in *Captiv. Act. IV. scen. 2. v. 43.*

Eugepe, EDICTIONES AEDILICIAS hic habet quidem:

Mirumque adeo est, ni hunc fecere sibi Aetoli agoranomum.

Loquitur enim de Ergasilo parasito, qui adcurrrens in via invehitur in *pistores scrophipascos, qui alunt fursuri sues, quarum odore praeterire nemo pistrinum possit*: deinde in *piscatores, qui praebe-*

curt

ant populo pisces foetidos, qui advebantur quadrupedanti crucianti canterio, quorum odor sub-basilicanos omnes abigat in forum: tum in lanios, qui concinnet liberis orbis oves, qui locent caedundos agnos, & duplam agniam dent, qui petroni nomen indant verveci sectario. Haec omnia ad Aedilium curam pertinebant, adeoque eleganter a Plauto vocantur *edictiones aediliciae*. H. Locus Plautinus pertinet ad Aediles plebis, ut supra ad §. LIV. observatum est. Vulgo scribunt, potestatem Aedilium Curulium desuisse sub Claudio & Nerone; sed errant. Nam & Hadriani tempore viguit, quod ostendit Edictum perpetuum, & de Gordiano seniore refert Capitolinus *in vit. c. 3.* ipsum aedilitatis suae tempore XII. populo Rom. munera, id est, per singulos menses singula de suo exhibuisse. Imo constat, ad Constantinum M. usque, veteres magistratus in urbe mansisse, & fortasse diutius quoque, argumento *l. 19. Cod. Theodos. de accusat. & l. 1. Cod. eod. de matern. bon.* quae inscribuntur, *Coss. Praetorib. Tribunis Pl. Senatui.* Notandum & hoc est, non semper quotannis Aediles, Caesarum tempore, esse creatos, eamque ob causam eorum munera, & Praetores, & Tribunos Pl. obiisse. Vid. Dio *Lib. XLIX. pag. 459. Ed. Stephan. & Cujacius Observat. Lib. VIII. c. 38.* Sed de Aedilibus curulibus accurate egit, nec vulgo obvia protulit Spanhemius *de Us. & Praestant. Numism. Tom. II. p. 143. sequ.* cui addatur Georg. d'Arnaud *Var. Conjectur. Lib. I. c. 18. R.*

§. LXXVI.

Quamvis vero V. C. Ev. Otto *de tutel. vi-* Eorum
ar. III, 2. p. 428. contra Albericum, Ful- capita,
 gesium, Zoesium, Bäckelmannum, recte quae in
 observavit, non unum fuisse edictum Aedili- jure su-
 cium, persunt.

cium, sed plura, & ad varias causas, de quibus eorum erat jurisdictio, pertinentia, eaque demum in unum collecta corpus suis partibus & titulis distincta videri: in jure tamen nostro tria tantum supersunt capita, quae sola Salvius Julianus in Edictum perpetuum retulit, *l. 1. §. 1. sequ. D. de Aedil. edict.* Unum de mancipiorum *, *l. 1. §. 1. D. eod.* alterum de jumentorum venditionibus, *l. 38. pr. D. eod.* tertium de cane, verre, similibusque animalibus ibi, ubi vulgo iter fit, non habendis, *l. 40. sequ. D. eod.* Quod postremum erudite illustravit laudatus Otto *ibid.*

* At ne id quidem caput satis integrum in Pandecte reperitur. Quum enim in *l. 1. §. 1. de Aedil. edict.* venditores tantum jubeantur CERTIORES FACERE EMTORES, QUID MORBI VITI- QVE CVIQVE SIT, EAQVE OMNIA PALAM RECTE PRONUNCIENT: verba vetusta & τυπικὰ apud Gell. *Noct. Attic. IV, 2.* ita se habent: TITVLVS SERVORVM VTEI SCRIPTVS SIT COERATO, ITA VTEI INTELLIGI RECTE POSSIT, QUID MORBI. *cetera.* Tituli hujusmodi, quo vitia morbive mancipiorum exprimi solebant, meminerunt Seneca *Epist. XLVII.* & Philostrat. *in vit. Apollon. Tyan. Lib. III. Cap. 25. p. 115. edit. Olear. & pag. 131. Edit. Morell.* ubi ἐπαινοῦ τῶν ἀνδραπόδων ΤΟ ΜΗ ΚΛΕΙΠΤΕΙΝ ΑΥΤΑ. *titulus mancipiorum: NON FVRAN- TVR. H.*

§. LXXVII.

Caput de
funeri-

Passim tamen & aliorum hujus edicti capitum exstant vestigia. Quum enim & fune-
rum

rum cura penes Aediles effet: permulta edixisse videntur de sumtibus funerum, ritibus funebribus, & structura monumentorum sepulcralium. Ovid. *Fastor. VI. v. 663.*

bus &
eorum
sumtibus.

*Adde quod AEDILIS pompam qui juneris irent,
Artifices solos jusserat esse decem *.*

Et Reines. *Inscr. II, 73. p. 291.* elegans describit marmor, in quo C. Cestii heredes profitentur, se monumentum fecisse ex pecunia, quam pro suis partibus receperint ex venditione Attallicorum, QVAE EIS PER EDICTVM AEDILIS IN SEPVLCRVM C. CESTII INFERRE NON LICVERIT. Conf. Cicer. *ad Attic. Lib. XII. Epist. 35. 36.*

* Quum ex Cicerone *de Legib. II, 23.* constet, jam legibus XII. Tabularum cautum fuisse: TRIBVS RICINIIS ET DECEM TIBICINIBVS FORIS EFFERRE IVS ESTO: verba Ovidii sollicitare non dubitat Jac. Gothofredus *Not. in XII. Tabul. p. 233.* pro Aedilis rescribens EDICTIS, & per *edicta* intelligens XII. Tabulas, quae adpellatio sine exemplo esse videtur. Et cur non legem XII. Tabularum, luxu insequentium sacculorum, ut fieri solet, everfam, in usum revocare potuerint Aediles? Vid. V. C. Petr. Burmann. *ad Ovid. Tom. III. p. 424. sequ.* Hos sane de minuendis funerum impensis edixisse, extra omnem dubitationis aleam positum est ob lapidem Reinesianum. Ex quo simul patet, quomodo sint intelligenda verba Ciceronis *Philipp. IX. cap. ultim.* *Senatum censuisse, atque e republica existimare, Aediles curules EDICTVM quod de FVNERIBVS habeant, Ser. Sulpitii Q. F. Lemoenia Rasi funeri remittere.* Ea enim Paullus Manutius recte interpretatus est de sumtibus funerum,

rum, quum contra fatifacere vix videantur con-
 jecturae Jac. Gutherij *de jure Man. II, i. & V. C.*
 Jo. Guil. Hoffmanni *Hift. Triumvirat. §. X. p.*
 31. *sequ.* H. Aediles curules de fumptibus fu-
 nerum edixiffe, non fatif liquet, imo negat Ge-
 org. d'Arnaud *Var. Conjectur. Lib. II. cap. 23.*
 Et primo quidem monet vir ille doctiffimus, fi
 edictum Aedilitium *de funeribus* efflet propofi-
 tum, frustra Praetorem *de religiofis & fumptibus*
funerum edixiffe videri, cum omnes fuper ea re
 motas lites, & potuiffent, & debuiffent, fecun-
 dum jurisdictionem fuam, componere Aediles cu-
 rules. Deinde docet, Ovidii locum id minime
 probare, quod afferit Heincccius. Enarrat enim
 Poëta rem paullo uberius, quam Livius *Lib. IX.*
cap. 30. ut dictu parvam, paene praeteriffet, ni
 vifa efflet ad religionem pertinere. Nimirum an.
 V. C. 442. Tibicines, quod abs Cenforibus pro-
 hibiti fuerant in aede Jovis vefci, quodque Aedi-
 les jufferant, ne plures, quam decem, funus pro-
 fequerentur, indignati Tibur fecefferant. Nam,
 ut ait Ovidius, *temporibus veterum tibicinis ufus*
magnus, & in magno femper HONORE, dulcis-
que fuit MERCEDE labor. Quam ob cauffam,
 cum in aede Jovis vefci interdictum iis efflet, &
 ut decem tantum comitarentur funus, ex prae-
 fcripto XII. tabularum, aediles juffiffent, & de-
 bitum detractum fibi honorem, & mercedis ac-
 quirendae amplam ademptam occafionem effle,
 quefti, urbem relinquere maluerunt. Numerum
 autem fibicinum in funeribus, Aediles non pro-
 pterea definierunt, quod de fumptibus funerum
 coërcendis edicendi facultatem haberent, fed
 quia tibicines eorum jurisdictioni fpeciatiim fub-
 jacebant. Praeerant enim Aediles curules ludis
 fpectaculisque, eoque ipfo peculiare habebant in
 actores imperium, five illi viva voce, five tibiis,
 aliave ratione delectationi populi fervirent. Et
 acute conjicit laudatus d'Arnaud, minime pro-
 babile

babile esse, quod illa aetate, ab Xviris non adeo remota, severissimis adhuc populi Romani moribus, & ad parsimoniam comparatis, praeter XII. tabulas, Edicto Aedilium opus fuerit, ad funerum sumptus certis limitibus circumscribendos. Quod vero ad marmor Reinesianum attinet, ex eo quoque id non efficitur, quod volunt viri docti. Legitur enim ibi, *per Edictum Aedilis*, hocque satis arguit, Edictum Aedilium curulium intelligi non posse, cum ipse Heineccius §. LXXV. probaverit, Aediles non singulos, sicut Praetores, sed de utriusque sententia communiter, edixisse. Deinde illa prohibitio, cujus fit in lapide mentio, non ex ullo, nedum funerario, Aedilium Edicto, sed ex legibus XII. descendit, quibus vetitum est, ne aurum bustis sepulcrisve inferretur. Sed in hunc censum veniunt quoque Attalica vestimenta, operis Phrygii, auro intertexta. Porro in *l. 14. §. 5. D. de religiof. l. 113. §. 5. D. de legat. I. l. 40. §. 2. D. de aur. arg. leg. de sumptibus funerum* agitur: at nulla fit Aedilium, neque his locis, neque etiam alibi, mentio. Quam ob causam id Aedilis Edictum, quod marmor memorat, ad magistratum potius municipalem videtur esse referendum; ad quem etiam recte retulit Cl. d'Arnaud lapidem alium, cujus inscriptionem vulgavit Gruterus DCCCCXXXII. 8. Apud Ciceronem *ad Attic. Lib. XII. ep. 35. 36.* nil de Aedilibus legimus: verum is legis meminit, quae sumptus, in monumenta faciendos, definierit. Et est temeraria nonnullorum conjectura, legem ibidem Aedilium curulium Edictum esse, cum sciamus, monumenta, quae extra urbes erant, jurisdictioni Aedilium ideo subesse non potuisse, quia illa pomoeriis ipsius urbis terminabatur. Rectius suspicatus est Dion. Gothofredus, per legem eam apud Ciceronem intelligendam forte esse Caesaris Dictatoris sumptuariam, cujus meminit Dio *Lib. XLIII. pag. 256. Edit. Stephan.* Quae sententia

tia vel ideo probabilis est, quia oportet hanc legem non multum ante id tempus, quo monumentum sive fanum Cicero filiae mortuae extruere cogitabat, datam esse, cum eam, & maxime timeret, & ne fatis quidem haberet cognitam. Ita enim scribit ad *Att. Lib. XII. ep. 36. Si tibi res, si locus, si institutum placet, lege, quaeso, legem, mihi que eam mitte. Si quid in mentem veniet, quo modo eam effugere possimus, utemur.* Superest locus ejusdem Ciceronis ex *Orat. Philipp. IX.* ab auctore adductus, quem viri docti plurimum roboris receptae opinioni addere existimant. Sed ex eo quoque Aedilium edictum funerarium fatis perspicue deduci non potest. Differit ibi Cicero de funere & sepulcro Ser. Sulpicii Rufi, Jcti, de cujus vita, honoribusque infra §. CL. sequ. expositum est. *Cumque, inquit, antea Senatūs auctoritatem in virorum fortium funeribus, ornamentisque ostenderit; placere, eum quam amplissime supremo die suo efferrī. Et cum Ser. Sulpicius, Q. F. Lemonia, Rufus, ita de republica meritus sit, ut his ornamentis decorari debeat: Senatū censere, atque e republica existimare, aediles curules EDICTVM quod de FVNERIBVS habeant, Ser. Sulpicii, Q. F. Lemonia, Rufi, funeri mittere: utique locum Sepulcro in campo Esquilino C. Pansa Consul designet, quo Ser. Sulpicius inferatur.* At *Edictum funeri mittere*, quid sit, omnes ignorant, estque sine dubio locus corruptus. Cum vero ita habeant Codices, ex ingenio Manutius & alii emendant *remittere*, voluntque Senatū censuisse, ut Aediles, quo in Servii funus plus erogari posset, quam per Edictum liceret, ejus veniam facerent. Sed valde dubito, an Cicero dixerit, *Edictum remittere*, pro eo, quod est, veniam dare eorum, quae edicto statuta sunt. Concedamus tamen, hoc belle dici posse; nonne Edictum, si quod habuissent Aediles, ad funera tantum privata pertinuisset? Rufi
vero

vero funus est publicum, ad quod deducendum Senatus requirebatur auctoritas. Quapropter Senatus tum quoque censuit, *ut amplissime Supremo suo die Sulpicius efferretur, & Consul locum sepulcro designaret.* Si structura monumentorum ad curam Aedilium pertinuit, cur Consuli id negotium a Senatu datur? Aut sibine quis persuadere poterit, Senatum, qui legibus, quos vellet, solvebat, opus habuisse Aedilium permissione, ut majorem, quam hi edicto suo definierant, summam funeri impendere liceret. Certe si edictum funerarium extitisset, non potuisset id tacere ipse Cicero *de Leg. Lib. II. c. 25.* eo loco, quo de sumptibus funerum differit, atque conqueritur, rem istam ad sumptus maximos progressam esse. Igitur nova & ingeniosa locum Ciceronis tentavit emendatione, & rescribendum esse putavit Georg. d'Arnaud: *Aediles DEDUCTVM, quod de MVNERIBVS habeant, Servii Sulpicii funeri mittere.* Notum enim est, Aediles munera edidisse, inque iis commisisse gladiatores. Cumque Senatus Servii funus egregie cohonestare cuperet, & proinde plura populo gladiatorum paria exhibere: censuit, ut Aediles, quos in muneribus editis non commiserant, quive superstites remanserant gladiatores, funeri huic publico mitterent. Et quamquam praevideam, hanc conjecturam non omnibus satisfacturam esse, hoc tamen forte plerique sentient, in Ciceronis verbis parum praesidii esse opinioni, quam de Aedilium Edicto funerario viri docti conceperunt. R.

§. LXXVIII.

Aliud edicti Aedilicii caput de castratoribus puerorum quadruplo puniendis, memoratur *l. 27. §. 28. D ad leg. Aquill.* quod juvenili, sed docta commentatione illustravit V.C. Ever. Otto edita *Steinvord. 1710.* Apud

De castratione puerorum, & rebus in scenam

non pro-
jicien-
dis.

Macrobius porro *Saturn. 11, 6.* legimus, Aediles aliquando proposuisse edictum: **NE QVIS ALIQUID IN SCENAM PRAETER POMVM IACERE VELLE**: Cascellium vero jurisconsultum, interrogatum, num nux pinea pomum sit? facete respondisse: *Si in Vatinius missurus es, pomum est* *.

* Fuisse & alia Edicti Aedilicii capita, & inde colligi posse videtur, quod *l. 2. D. de divers. & temp. praescri.* Marcellus **PLERASQVE ACTIONES AEDILICIAS certo tempore finiri**, ait. Quum enim hodie nullam sciamus, quae non sit temporalis: consequi videtur, ut quarundem, quae perpetuae fuerunt, ipsa memoria interciderit. At nervos huic argumento incidit V. A. Corn. van Bynkershoek *Obj. IV, 8.* cujus conjectura, pro **PLERAEQVE**, extrita una littera, legentis **PERAEQVE** tam est elegans & verosimilis, ut omnibus adfensum extorquere videatur. H.

§. LXXIX.

Edicta
provin-
cialia.

Denique & magistratus provinciales, quales libera adhuc republica erant ~~COSS. PRAE-
TORES~~, PROCOS. PROPRAETORES, (Car. Sigon. *de jure provinc. 11, 1.*) edicta in provinciis suis proponebant. Habebant equidem singulae provinciae suas leges, quae victis gentibus ab Imperatore de decem legatorum * sententia dari solebant, sancte deinde servandae a praesidibus: Cicero *in Verr. 11, 13.* Liv. *Lib. XXXIII. Cap. 30. 31. & Lib. XLV. Cap. 27. 29.* erant etiam quaedam in provinciis civitates *αυτενόμοι*, quibus ob be-
ne

ne merita suae leges permissae **. Ez. Spanhem. *Orb. Rom. Exerc. II. Cap. 9.* denique & ipsae leges Romanae saepe ad univcrsum orbem Romanum singularibus functionibus porrigebantur: Ulpian. *Fragm. XI, 18. 20.* & *ibi* Schulting. *l. 5. pr. D. de manumiss.* attamen his omnibus veluti auctarium & supplementum accedebant EDICTA PROVINCIALIA.

* Non decem semper legati Senatores missi sunt, sed & aliquando *quinque*, ex quorum sententia, de hostibus, eorumque regione, Imperator statueret. Vid. Livius *Lib. XLV. cap. 17.* & Sigon. *de antiqu. jur. provinc. Lib. I. cap. 1. R.*

** Non univcrsa provincia easdem a victore leges accipiebat, sed prout se civitates adversus victorem populum gesserant, de eoque meriti fuerant, ita vel duriores vel mitiores leges accipiebant. Car. Sigon. *de jure provinc. I. 1.* Aliquando humanioris ingenii Imperatores totam provinciam suis uti legibus patiebantur: & tale exemplum L. Aemilii Paulli, Macedonibus *ἀυτονομία* concedentis est apud Livium *Lib. XLV, 29.* Si civitas *ἀυτονομία* (suis relictiis legibus), jus Romanum sua sponte adoptasset, populus ille FVNDVS FACTVS dicebatur. Cic. *pro Balbo Cap. VIII.* Gell. *Noct. Attic. XVI, 13.* Qua de re doctissimae exstant NIC. RIGALTI, ISM. BVLLIARDI & HENR. VALESII Diatribae *de populis fundis*, junctim editae *Divione MDCLVI. 8.* recusae in Graevii *Thesaur. Antiq. Rom. Tomo II. H.* Nec Ciceronem, nec Gellium cepit Heineccius. Differit eo loco Cicero, *de lege Julia*, L. Julii Caesaris, qui Cos. fuit cum P. Rutilio Lupo, bello sociali A. V. DCLXIII. *qua lege civitas est sociis & Latinis data, sed qui FVNDI populi facti non essent, civitatem non haberent*, hoc est, ut

ad eos tantum populos hoc beneficium pertineret, qui professi essent, se beneficio hujus legis uti velle. Uti enim donatio vim non habet, nisi is, cui fit, ei donationi *fundus* fiat, sive, ut Jcti loquuntur, donationem accipiat; ita quoque nulla Romana lex, qua beneficium populis sociisque tribuitur, rata esse prius potest, quam hi eam suo assensu probaverint, sive, quod idem est, *ei legi fundi facti sint*. Quid enim magis notum est, quam hoc, beneficia nemini obtrudi posse. Itaque multi etiam Heracliensium & Neapolitanorum beneficium hoc recusabant, sive *legi Juliae fundi fieri volebant*. Cicero *ibidem*: *In quo magna contentio Heracliensium & Neapolitanorum fuit, cum magna pars in iis civitatibus, foederis sui libertatem civitate anteferret*. Sed quid sit, *populum fundum fieri*, ipse Cicero eo loco plenissime explicavit. *Sed totum hoc, inquit, in ea fuit positum semper ratione, ut, cum jussisset populus Romanus aliquid: si id adscivissent socii populi, ac Latini, & si ea lex, quam nos haberemus, eadem in populo aliquo, tanquam in FVNDO, resedisset: ut tum lege eadem is populus teneretur; non ut de nostro jure aliquid minueretur: sed ut illi populi, aut jure eo, quod a nobis esset constitutum, aut aliquo commodo, aut beneficio uterentur*. Ad locum Gellii consule Gronovium. Plura dabunt Graevius *ad Cicer.* l. c. Spanhemius *Orb. Rom. Exercit. I. cap. 12. pag. 97. sequ.* Ed. Londin. & Ernesti *in Ind. LL. in L. Jul. R.*

§. LXXX.

Forum
varietas.

Qui nimirum mittebantur in provincias, exemplo Praetorum, ipsi quoque sub auspiciis magistratus sui, quomodo jus dicituri essent de quibuslibet causis, edictis denunciabant: Sigon. *de jur. prov. Lib. II. c. 5. id-*
que

que faciebant non modo Consules & Proconsules, sed & Praetores & Propraetores, uti patet exemplis L. Domitii & P. Licinii Nervae, Praetorum Siciliae, apud Valer. Max. *Lib. VI. Cap. 3. ex. 5. & in Excerpt. Peiresc. p. 633.* Totidem ergo erant edicta PROVINCIALIA, quot provinciae, celebranturque passim edictum SICILIENSE, Cicero in *Verr. I, 43. ASIATICVM, & SYRIACVM, Idem Lib. VI. Epist. ad Att. 1. nec non CILICIVM* *. Id. *Lib. III. Epist. ad Famil. 8.*

* Ex his locis adparet, diversa quidem fuisse haec edicta: at saepe praesides prudentiores, optima quaeque ac saluberrima, non modo ex urbano, sed & ex aliarum provinciarum edictis in sua transtulisse. Fecit id sane Cicero, qui *Lib. VI. Epist. ad Attic. 1.* de se ipso refert, quaedam se de Bibuli, Syriae Proconsulis nonnulla ex Q. Mucii edicto Asiatico in suum Cilicicum transtulisse: pleraque de jure dicundo, praeter ea, quae sine edicto factis commode explicari non posse visa sint, *ἀνεξήφα* reliquisse, & praemonuisse tantum provinciales, se de eo genere sua decreta ad edicta urbana adcommodaturum. H. *Edictum urbanum* semper fuit fundamentum *Edicti provincialis*, sive animo concipiamus provincias servitute affectas, quae legibus suis, ac magistratibus jus dicentibus, spoliatae sunt; sive libertate donatas, quas suis legibus magistratibusque usas esse, novimus. Ad priores enim quod attinet, magistratus Romanus quotannis ab urbe missus, conventus agebat, atque jus dicebat. Cum vero hae provinciae leges non haberent, Praetorem in jure dicundo ea observare oportuit, quae edicto urbano constituta erant, omissis tamen, vel additis quoque iis, de quibus in provincia, secundum reipublicae for-

mam, regionis situm & qualitatem, mores & consuetudines hominum, aliter edicendum fuit. Huc pertinent illa Ciceronis *Lib. I. in Verr. c. 46. Cur ea capita* (edicti urbani) *in edictum provinciale transferre nolueris? Utrum digniores homines existimasti eos, qui habitabant in provincia, quam nos, qui aequo jure uteremur? An aliud Romae aequum est, aliud in Sicilia? Non enim hoc potest in loco dici, multa esse in provinciis aliter edicenda.* Et paullo post: *video non modo ceteros, sed te ipsum totidem verbis edixisse, quot verbis edici Romae solet.* Patet inde, Hadriani tempore, quo Julianus Edictum perpetuum ordinavit, nullo opus fuisse Edicto provinciali, quoniam ea, quae in urbe valebant, vim quoque in provinciis obtinuerunt. Et licet provinciae civitatesque liberae suis uterentur legibus, magistratusque sibi suos crearent, facile tamen ad intelligendum est, legibus his, nec omnia definiri potuisse, nec ea, quae exigebat ipsa sequentium temporum necessitas. Quoniam vero provinciales nullam habebant condendarum novarum legum potestatem, magistratus Romani in has provincias missi, controversias de rebus, quae legibus definitae non erant, dirimebant, jusque secundum Edictum urbanum, atque si hoc forte ea, de quibus quaerebatur, non contineret, secundum aequitatem, dicebant. Quae de *novis & tralaticiiis edictis* dixit Heineccius, ea accurate exposuit quoque Spanhemius *Orb. Rom. exercit. II. cap. 7. pag. 256. Edit. Londin.* qui Vir illustris *Dissert. IX. de Us. & Praestant. numism. Tom. II. p. 685.* confutavit Harduinum, in *Chronolog. Vet. Test. pag. 617. oper. selector.* statuentem, Rectoribus provinciarum nullum jus fuisse in civitates liberas, seu *αὐτονομὰς*, sed eos ludis tantum, pro Augustis editis, interdum etiam cum conjugibus, interfuisse. At enimvero, licet verum sit, immunes fuisse has civitates ab ordina-

ria magistratus Romani jurisdictione, habuisseque magistratus proprios, qui juxta leges patrias jus dicerent; nisi extraordinario subinde Senatus Romani decreto aliter statueretur, ut est apud Ciceron. *pro Flacco cap. 32.* inde tamen non sequitur, Romanis Praetoribus, sive Praefidibus, omnem in civitates *αυτονομος*, earumque cives, potestatem, vel imperium ademptum esse. Imperium certe ad eos solos pertinuit, quod declarant illa Paulli *l. 26. D. ad municipal. Ea, quae magis imperii sunt, quam jurisdictionis, magistratus municipalis facere non potest.* Et Cicero ad Quintum fratrem, Asiae tum Rectorem, in qua provincia plures fuerunt liberae civitates, *Lib. I. ep. 1. cap. 10.* scribit: *quoniam in istis urbibus cum summo imperio & potestate versaris.* Nempe Praetorum sive Praefidum id genus, officium erat, non ludis solum, ut Harduinus somniat, praesse publicis, verum civitates eas, in officio fideque, Romano imperio debita, continere, compefcere seditiones, foedera ac societates cum Romanorum hostibus amoliri, rem bellicam administrare, Senatus Decreta, & Edicta de iis rebus, quae provinciae legibus non erant definitae, proponere, idque efficere, ut, quae ad totius provinciae, aut singularum in ea urbium, aut societatum, aut corporum salutem, securitatem, commoda, privilegia, vel ornamentum etiam, spectarent, quam optime implerentur: denique procurare vectigalia populi Romani, nisi civitates ab iis speciali privilegio immunes essent. R.

§. LXXXI.

Ceterum & haec provincialia edicta vel TRALATICIA erant, vel NOVA. Pleraque enim ex decessorum suorum edictis retinebant: at nihilominus tamen iisdem & nova quaedam adsuebant*. Cicero *Lib. III. ad Fa-*

Erant illa
vel tralaticia vel
nova.

miliar. Epist. 8. Quin ea in re vel maxime e-
 lucebat magistratum provincialium pru-
 dentia, si quid novi, quod provinciis suis
 salutare esset, constituissent. Quo nomine
 L. Lucullum laudat Cic. *Acad. Quaest. IV, 1.*
 quod in eo tanta fuerit prudentia in constituendis
 temperandisque civitatibus, tanta aequitas, ut
 multo post steterit Asia, Luculli institutis servandis,
 & quasi vestigiis persequendis. Similes sunt lau-
 des, quibus Quintum fratrem profequitur
Lib. I. Epist. ad Q. frat. 1. Cap. 9.

* Ita ipse Cicero *ad Famil. Lib. III. Epist. 8.* testa-
 tur, se pleraque ex Appii Pulcri edicto iisdem
 verbis transcripsisse in suum, & nova quaedam
 addidisse de minuendis civitatum sumptibus, qui-
 bus ipse magnopere delectetur. Fuere ergo in
 illo Ciceronis edicto Cilicico quaedam TRALA-
 TICA, alia a Cicerone de NOVO addita: idque
 & reliqui, qui in provincias ibant, magistratus
 accurate observabant. H.

§. LXXXII.

Quae in
 edictis
 suis cave-
 rint boni
 Praefides.

Recte porro observatum est a Carolo Si-
 gon. *de jure prov. II, 5.* tria potissimum in
 edictis suis componendis exercendisque ca-
 vere solitos esse bonos Praefides, qui famae
 fervirent: *primum*, ne quid edicerent contra
 legem vel formulam provinciae, (§. LXXIX.)
 quo nomine male audiebat C. Verres, quod
 in Sicilia pleraque edixisset contra legem Ru-
 piliam. Cicero *in Verr. II, 13.* *Alterum*, ne
 quod in urbe antehac sanxerant, edictis ever-
 terent provincialibus, quod eidem C. Verri
 expro-

exprobrat Cicero in *Verr. I*, 46. *Postremum*, ne quid ipsi unquam decernerent adversus edictum suum. Cicero *ad Attic. Lib. VI. Epist. I.* *

* De Jurisdictione Praetorum sive Praesidum; de loco statuendi, tribunali, basilica, praetorio; de ministris, scribis, praeconibus, lictoribus: decreto, judicii datione, videndus Sigonius *de antiqu. jur. provinc. Lib. II. c. 5.* De Jure Latii, & Italico, quod ignorare non debent juris cultores, idem exposuit, *de antiquo jur. Ital. Lib. I. c. 4. sequ.* Jacob. Gothofr. *ad tit. Cod. Th. de jur. Ital. Urb. Constant. & Spanhemius Orb. Rom. exercit. I. c. 8. 9. Exercit. II. c. 19.* R.

§. LXXXIII.

Quandoquidem vero vix dubitandum est, quin idem sibi aliquando adrogarint magistratus provinciales, quod sibi Praetores urbanos sumfisse vidimus, puta ut edicta sua, quoties collibitum esset, mutarent: (§. LXXI.) nihil etiam videtur certius, quam LEGEM CORNELIAM de edictis perpetuis, supra descriptam, (§. LXXIII.) provinciales etiam magistratus obstrinxisse. Quin, si dicendum, quod res est, Praetorum provincialium iniquitas occasionem primum dedisse videtur Senatui, de edictis magistratuum perpetuis cogitandi.

An lex Cornelia provinciales etiam magistratus obstrinxerit?

* Diximus supra (§. LXXII.) L. Aemilium Paulum Conf. anno ab V. C. DLXXXV. auctorem fuisse Senatui condendi SC. ut Praetores ex edictis suis perpetuis jus dicerent. Jam verò ex *Epit. Liv. Lib. XLIII.* patet, circa ea tempora Praetores nonnullos eo, quod avare & crudeliter

ter administrassent provincias, damnatos esse, quae fufius narrat ipse Livius *Lib. XLIII. cap. 2. § 8.* De remedio ergo cogitandum fuit, quo nimia coërceretur Praetorum licentia, maxime in provinciis, ubi Senatus populique absentia magistratibus iniquis spem impunitatis multo maximam injiciebat. H.

§. LXXXIV.

Leges intra haec tempora post XII. tabulas conditae.

Quamvis ergo jam essent in urbe leges XII. Tabularum, plebiscita, legis actiones, jus civile, ex interpretatione prudentum & fori disputatione ortum, ac denique edicta magistratuum quam plurima: non tamen quotannis deerat occasio novas rogandi ferendique LEGES, novaque PLEBISCITA, quibus permulta, antea vel plane non, vel aliter, quam e republica videretur, definita sancirentur. Eas cum cura jam collegerunt alii. * Licebit tamen & hic earum texere catalogum; & quaedam ab aliis non observata, passim adspargere.

* Huc pertinet ANT. AVGVSTINI liber *de legibus* & alter *de SCtis Romanorum*, cum Fulvii Ursini fragmentis editus *Romae 1583. 4.* & postea aliquoties in Gallia. PAVLLI MANVTII *de legibus*, & separatim aliquoties, & cum priore insertus *Tomo II. Thesauri Graeviani.* Ediderunt & VDALR. ZASIVS & POMP. LAETVS & FRANC. HOTOMANVS *legum Romanarum catalogos*, sed in quibus praeter earum nomina & objectum vix quidquam notabile invenias, quamvis ZASII catalogum passim illustrarit LVD. CHARONDAS, (& cum aliis ejusdem argumenti scriptis inferi meruerit locupletissimo *Antiquit. Rom. Thesauro.*)
Addi

Addi debent PAVLLI MERVLAE *de legibus Romanorum* libri diligentissime scripti, & cum aliis ejusdem lucubrationibus, ad antiquitates Romanas pertinentibus, editi *Lugd. Bat.* 1686. 4. & collegae olim conjunctissimi, nunc amici desideratissimi, CHRIST. GOTTFR. HOFFMANNI *Historia juris Rom. Justin. p. 42. H.* Excitavit Cl. Otto *Praefat. Tom. I. Thesaur. Jur. p. 30.* nomina doctorum virorum, qui leges singulares Commentariis illustrarunt. R.

§. LXXXV.

Nos omiffis iis, quae ad jus Romanorum publicum pertinent, eas tantum, quae de jure privato publicisque judiciis agunt, observata litterarum serie*, paucis recensebimus, ita tamen, ut in earum aetatem, ubicumque id fieri poterit, simul inquiramus, & quid illis sancitum sit, paucis indicemus. Quod studiosis eo gratius futurum speramus, quominus in omnium manibus versantur, quae paullo ante laudavimus, doctissimorum virorum opera.

Earum
recensus.

* Quum plerarumque legum aetas incerta sit; res ardua est, earum chronotaxin accuratam dare. Ausus hic quaedam est STEPH. VIN. PIGHIVS *in Annal. Rom.* sed in eo opere permulta hario-
latur auctor, paucissima certis ac exploratis veterum testimoniis probat. Nos temporis characteres ubique, quoad ejus fieri potest, notabimus. H.

§. LXXXVI.

Agmen ducit LEX ACILIA CALPVRNIA *de ambitu*, lata anno ab V. C. DCLXXXVII. M. Acilio Glabrione & C. Calpur-

Leges
Acilia
Calpur-
nia de

ambitu,
Aemilia
cibaria,
& Apu-
leja maje-
statis.

Calpurnio Pifone Coss. qua cautum, *ut id crimen & multa coërceretur, & damnati nullum amplius magistratum capere nec senatui interesse possent, & accusatoribus certa praemia constituerentur* *. Dio Cass. Lib. XXXVI. p. 20. Edit. Steph. Sigon. de Judic. II, 30. p. 435. Nec praetermittenda LEX AEMILIA cibaria lata a M. Aemilio Lepido & Q. Luctatio Coss. anno ab V. C. DCLXXV. qua non sumtus coenarum, sed ciborum genus & modus praefinitus est. Gell. Noct. Attic. II, 24. Macrobian. Saturn. II, 13. Cui jungimus LEGEM APVLEIAM *majestatis* conditam anno ab V. C. DCLII. C. Mario V. & M. Aquillio Coss. qua vis praecipue in urbe ac feditio videtur vindicata. Cic. de Orat. II, 25. 49.

* Est haec lex inter eas, quam inviti tulerunt Coss. Auctor enim est Dio Cassius, adeo ab ambitu non alienos fuisse Coss. ut ipsi alieno studio & magna contentione eum magistratum sint adepti. Pisonem certe ambitus accusatum vix evasisse. A Senatu ergo coacti hanc legem rogarunt, quod C. Cornelius tribunus pl. acerbissimas poenas ambitus reis constituere cogitaret, atque id maxime populo adprobante. Et sane in fragmentis Ciceronianae orat. pro C. Cornelio *majest. reo* legimus, *populum eam legem flagitasse*. Senatum autem existimasse immodicarum poenarum denunciati-
one terrorem injici hominibus, modicis autem poenis propositis nec accusatores, nec judices defuturos. Hinc auctorem ferendae legis Consulibus fuisse. H. De lege *Calpurnia* loca sunt apud Ciceron. pro Mur. c. 23. & 32. ubi haec legimus: *Senatusconsultum esse factum, si mercede corrupti obviam candidatis issent, si conducti secta-*

sectarentur, si gladiatoribus vulgo locus tributim, & item prandia si vulgo essent data, contra legem Calpurniam factum videri. Post biennium vero SC. factum, quo lex Calpurnia abrogaretur, ut discimus ex eodem Ciceron. *in fragm. Orat. pro C. Cornel. p. 430. Edit. Gronov. & Afcon. ibid.* An lex *Apuleja* auctorem habeat *L. Apulejum Saturninum Trib. Pl. qui, agrariam, frumentariam, & de coloniis,* leges rogavit, non satis constat, cum nemo historicorum id memoriae prodiderit. Vid. Hoffmannus *in Indice LL. qui auctoritate Ciceronis de LL. Lib. II. c. 6. existimat,* hujus turbulenti Tribuni Pl. rogationes statim cum ipso ex SC. interiisse, ideoque *Legem Apulejam majestatis* alii auctori tribuendam esse, quoniam in republica valuit, & ex ea C. Norbanus accusatus est; docente Cicerone *de Orat. l.c.* ex quo id quoque discimus, formulam hujus legis fuisse; *ne quis populi Romani majestatem minueret.* Pighius putat perlatam esse occasione motuum, qui Romae exorti sunt, cum Cimbri superatis Alpibus, Q. Catuli exercitum invasisent, & equites Romani relictis praefidiis Romam fugissent, qua re imminuta populi Rom. majestas videbatur. Vid. etiam Ernesti *in Ind. LL. R.*

§. LXXXVII.

LEX AQUILLIA *de damno injuria dato* est Lex plebiscitum perantiquum, at incertae aetatis *. Ejus capita primum & tertium supersunt in *l. 2. pr. & l. 27. §. 5. D. ad L. Aquill.* Caput secundum in usu esse negavit Justinianus §. 12. *Inst. de leg. Aquill.* Hinc plures inanem operam impenderunt quaestioni, quid illo capite cautum fuerit? Vid. Jac. Cujac. *in Paratitl. D. & C. ad h. t. cui nonnulla obver-*

obvertunt V. A. Corn. van Bynkersh. *Observ. 1, 13.* & Ger. Noodt. *de lege Aquill. Cap. 1. p. 176.* & qui rem singulari scriptione dignam credidit, Claud. Chiffletius *de secundo capite leg. Aquill. Tomo V. Thesaur. Jur. p. 873. sq.* Immo plura fuisse hujus legis capita, quae deinde perierunt, quod ea Praetor mutasset, admodum est verosimile. Ger. Noodt *de lege Aquill. Cap. 1.* Bynkersh. *Obs. 1, 13.* Ceterum praeter laudatum NOODTIVM hanc legem illustravit FRANC. BALDVINVS.

* Certum est, hanc legem existisse ante Ciceronem, qui *in Bruto Cap. XXXIV.* meminit *legis Aquilliae de injuriis* : immo & ante Brutum & Scaevolam, qui primi jus civile fundasse dicuntur. Nam hos legem etiam Aquilliam exposuisse, constat *l. 27. §. 22. l. 39. pr. D. ad leg. Aquill.* Uterque quum circa annum ab V. C. DC. floruerit: probabile est, auctorem hujus plebisciti fuisse L. Aquillium P. F. L. N. Gallum, quem anno ab V. C. DLXXII. Tribunum plebis fuisse, tradit Stephan. Vin. Pigh. *Annal. Rom. Tom. II. p. 330.* quamvis, quem ille auctorem habeat, fatear me scire juxta cum ignarissimis. Praeturam tamen eum gessisse anno ab V. C. DLXXVII. testis est Liv. *Lib. XLI. Cap. 14. H.*

§. LXXXVIII.

Lex Ati-
lia.

Lege porro ATILIA cautum est, ut pupillis & mulieribus Praetor cum majore parte Tribunorum plebis tutorem daret*. *pr. Inst. de Atilian. tut.* Addidimus mulieres, quia & Hispala Fecennia, libertina, tuto-
rem

rem a Praetore & Tribunis accepit, teste Livio *Lib. XXXIX. Cap. 9.* Quod quum factum sit anno ab V. C. DLXVII. oportet hanc legem jam ante id tempus extitisse, adeoque probabile est, conditam illam esse a L. Atilio Regulo, Tribuno plebis anno ab V. C. CCCCXLII. Liv. *Lib. IX. Cap. 30.*

* Em. Merill. *Observ. I, 37. p. 63.* ex eadem lege esse putat obligationem matris, intra annum a morte patris tutorem liberis impuberibus petendi. §. *penult. Inst. de SC. Tertull.* Petendus enim est *secundum leges*, ut est in *Novella Theodosii de tutorib. vel secundum leges, l. 10. C. de legit. heredib.* per quas probabiliter intelligi putat leges Atiliam & Juliam & Titiam. Sed quum mater tempore conditarum harum legum nondum esset heres liberorum, (quod jus per SC. Tertullianum demum accepit) adeoque & hereditate mulctari non potuerit ob petitionem tutoris omiffam, & praeterea id jus diserte ex constitutione esse dicatur: *l. 2. §. 2. l. 4. princ. §. 1. §. 4. D. qui pet. tut. vel curat.* parum verosimilis videtur haec Merillii sententia, malimque ego per *leges* intelligere constitutiones principum, quae saepe LEGVM nomine in jure nostro veniunt. uti *l. 22. C. de admin. tut. vel curat. l. 21. D. de legat. praest. H.*

§. LXXXIX.

LEX ATINIA, ipsa quoque incertae aetatis*, rerum furtivarum usucapionem, antequam ad dominum reversae sint, inhibuit, quamvis & legibus XII. Tabularum idem cautum fuisse constat, §. 2. *Inst. de usucap. l. 4. §. 6. D. de usucap. l. 215. D. de verb. signif.*

Lex Atinia de usucapione rerum furtivarum.

L

Eam

Eam legem singulari libello illustravit Hadr. Pulvaeus, nuper a Cl. Conradi cum Rævardi Triboniano, nec non *Tomo IV. Theſaur. jur. p. 327.* edito, qui tamen magis in Cujacium injuriis, quam bonae frugis plenus est.

* Immo & ipſum nomen legis non fatis certum eſt. Theophilus enim §. 2. *Inſt. de uſucap.* vocat Ἀτίνιον νόμον, quo nomine etiam reliquis Graecis venit, habeturque id vocabulum etiam in quibusdam *Inſtitutionum* editionibus. At plus tribuendum Pandectis Florentinis, Ciceron. *in Verr. I, c. 42.* & Gell. *Noct. Attic. XVII, 7.* quibus conſtanter dicitur ATINIA. Quare verofimile eſt, legem hanc latam a C. Atinio Labeone Tribuno plebis anno ab V. C. DLVI. Steph. Vin. Pigh. *Annal. Rom. Tomo II. p. 255.* H. Notat Gellius *l. c.* quaestionem fuiſſe inter Jctos, auctore Q. Scaevola, utrum ea lex in praeteritum etiam, an in futurum tantum valeret. Cicero *l. c.* obſervante Cl. Erneſti *in Indic. LL.* diſerte eam his legibus annumerat, quae in poſterum ſtatuant, ex iisque docere ſuſcipit, non poſſe a Praetore edici in praeteritum. R.

§. XC.

Lex Aufidia & Cornelia Baebia de ambitu.

Nec praetermittenda LEX AVFIDIA *de ambitu*, anno ab V. C. DCLXXXII. Meſſalla & Piſone Coſſ. ab Aufidio Lurcone Trib. pl. lata, in qua id de novo fancitum erat, *ut qui numos in tribu pronunciarit, ſi non dederit, impune eſſet; ſi dederit, ut quoad vivat, ſingulis tribubus ſeſtertium clo clo clo deberet.* Cic. *ad Attic. Lib. I. Epist. 16.** Ejuſdem generis, at paullo antiquior, eſt LEX BAEBIA AEMILIA, uti Sigon. *de Judic.*

Judic. 11, 30. vocat, vel potius BAEBIA CORNELIA, *de ambitu*, qua anno ab V. C. DLXXII. cautum, *ne suffragationes & coitiones fierent* **. Plura de hac lege ignoramus.

* Sed haec *lex Aufidia* non videtur esse perlata. Etenim Cicero *ad Attic. Lib. I. Ep. 18.* scribit, *facto Senatusconsulto, de ambitu, de judiciis, nulla lex perlata.* R.

** Legis ipsius meminit Liv. *Lib. XL. Cap. 19.* sed verbis his paucissimis: *Et leges de ambitu consules ex auctoritate senatus ad populum tulerunt.* Sed supersunt quaedam fragmenta ex oratione Catonis pro hac lege adlata a Nonio, quae omnia ad largitiones pertinent: ex quibus adeo non inepte colligit Sigonius, legem hanc potissimum largitionibus corruptionibusque tribuum ac centuriarum fuisse oppositam. Rogarunt legem ejus anni Consules, P. Cornelius Cethegus & M. Baebius Tamphilus, ut adeo nescire me fatear, cur Sigonius hanc legem tribuerit Aemilio Paulo, tum non Consuli, sed longe ab urbe adversus Macedonas bellum gerenti. H.

§. XCI.

Nec minus nota est CALPVRNIA *repetundarum*, lata anno ab V. C. DCIV. a L. Calpurnio Pisone Tribuno plebis, qua cautum, ut provinciales pecuniam, quam magistratus contra leges acceperint, constituto Romae judicio repetere possent. Cic. *in Verr. IV, 25. in Bruto c. 27. de offic. Lib. II. cap. 21.**

Leges Calpurnia repetundarum & Cincia de donis & muneribus.

In primis vero celebris LEX CIN CIA *de donis & muneribus*, qua vetitum, ne quis ob causam orandam donum munusve caperet. Liv. *Lib. XXXIV, 4. Tacit. Annal.*

XI, 5. Latam eam novimus a M. Cincio Alimento, Tribuno pleb. anno ab V. C. DXLIX. Cornelio & Sempronio Coss. nec quisquam ignorat eruditissimum de ea *Commentarium* scripsisse FRIDR. BRUMMERVM, editum *Lutet. Paris.* 1668. 4. recufumque Lipf. 1712. 8. **.

* Fuit haec lex prima de pecuniis repetundis. Cicero de *Off. l. c.* *Nondum centum & decem anni sunt, cum de pecuniis repetundis a L. Pisone lata est lex, nulla antea cum fuisset.* Sed & poenam in damnatos repetundarum statutam, & ipsam legis formulam hodie ignoramus. Quam enim apud Hotomannum, Pighium, aliosque legimus, eam hi viri docti ex ingenio finxerunt. Bene tamen monuit Cl. Ernesti in *Ind. LL.* hac lege primam quaestionem perpetuam constitutam esse. R.

** Eo commentario Brummerus, quidquid de hac lege dici poterat, tam luculenter exposuit, ut nemo Iliada post hunc Homerum scribere velit. Nam *Cap. I.* statim de auctore & nomine legis egit, eaque occasione de ipsa gente Cincia quaedam non vulgaria differit. Deinde non modo capita hujus legis expendit, quorum primum, de quo *Cap. II.* fuit, NE QVIS OB CAVSSAM ORANDAM DONVM MVNVSVE CAFIAT; alterum, de quo *Cap. XII.* VT NE PLVS . . . HS. DONARE LICERET, EXTRA QVAM SI CONIVNCTIS PERSONIS DONARETVR, QVOD EO AMPLIVS DONATVM ESSET, RATVM NE ESSET: tertium, de quo *Cap. XIII.* VT IN DONATIONE QVIBVSCVMQVE PERSONIS FACTA MANCIPATIO TRADITIOVE INTERVENIRET: Sed & ubique occasiones hujus legis, relationes ejusdem, temperamenta, observationem, fraudes ei factas, & totam donorum & munerum, quae vel advocatis vel aliis data

data sunt, historiam accurate exponit, ut quidem nihil, quod ad illustrandam hanc legem facere videatur, omiserit. Sententiam tamen ejus, quod Caput II. per *l. ult. C. Theod. de sponsal.* sublatum fit, recte refellit Ant. Schulting. *ad Ulpian. Fragm. p. 561.* H.

§. XCII.

Sequuntur variae leges CORNELIAE, nec aetatis unius, nec ejusdem omnes auctoris. Ut enim jam non repetam, quae paullo ante de variis legibus a C. CORNELIO Tribuno plebis anno ab V.C. DCLXXXVI. latis, diximus: (§. LXXIII. *) lex CORNELIA FVLVIA *de ambitu*, qua capitale esse coepit, suffragia donis & pecuniis emere, rogata est anno ab V.C. DXCIV. Cn. Cornelio Dolabella & M. Fulvio Nobiliore Coss. *Epit. Liv. Lib. XLVII.* * Incertae aetatis est LEX CORNELIA *de lusu & sponsonibus*, cujus fit mentio *l. 3. D. de aleator.* LEGES vero CORNELIAE *majestatis; de sicariis, veneficis, incendiariis, parricidiis; falsis, injuriis, limitibus & testamentis* ** omnes nomina obtinuerunt a L. Cornelio Sulla Dictatore, adeoque perlatae videntur anno ab V. C. DCLXXII. vel insequente.

Plures leges Corneliae.

* De hac lege omnia incerta sunt. Et cum Livius *in Epit.* haec tantum habeat; *lex de ambitu lata*, Paull. Manutius recte monet, ne conijcere quidem nos ex iis posse, utrum consularis, an tribunitia, haec lex fuerit. Quae Sigonius *de jud. Lib. II. c. 30.* affert, crimen ambitus hac lege exilii poena vindicatum esse, conjecturis nituntur. R. L 3 ** Lege

** *Lege majestatis*, quae ante Juliam ejusdem argumenti apud Romanos obtinebat, cautum fuerat, ut rei majestatis essent, qui intercessionem sustulerint, aut magistratui; quo minus munere suo fungeretur, impedimento fuerint, qui exercitum e provincia eduxerint, aut sua sponte bellum gesserint, legiones sollicitaverint, ducibus hostium captis ignoverint, potestatem suam in administrando non defenderint, qui, quum cives Rom. sint, apud Reges externos versati sint. Ut porro & mulieris testimonium de hoc crimine acciperetur, nec ulla poena sit calumniatoribus. Denique ut damnatis aqua & igni interdiceretur. Cicero in *Pison. Cap. XXI. pro Cluent. Cap. XXXV.* Ascon. Peditian. *argum. leg. pro Cornel. majest. reo. Cic. in Verr. I, 5. & ibi Ascon. Peditianus in Schol. Lib. III. ad famil. Ep. 11.* Legis CORNELIAE de ficiariis capita varia fuerunt, veluti de iis, qui hominem occiderint, quorum dolo malo incendium factum fuerit, qui hominis occidendi furtive faciendi causa cum telo ambularint, qui quum magistratus essent, publicisve judiciis praessent, dedissent operam, quo quis falsum indicium profiteretur, ut quis innocens conveniretur, condemnaretur, qui hominis necandi causa venenum confecerint, dederint, quive falsum testimonium dolo malo dixerint, quo quis judicio publico rei capitalis condemnaretur: quive quum magistratus iudicesve quaestionis sub capitalem causam pecuniam acceperint, ut publica lege quis reus fieret. l. 1. pr. & §. 1. D. ad leg. Cornel. de ficiar. Paull. *Recept. Sent. V, 23. 1.* Poena erat aquae & ignis interdictio; bonorumque ademptio, sine discrimine, cujus esset conditionis, l. 3. §. 5. postea in honestioribus deportatio, in vilioribus ultimum supplicium l. 3. §. 5. l. 16. D. eod. Paull. *ibid.* Quin & occisi cognatis aliquid esse adjudicatum pro satisfactione, patet ex *Collat. leg. Mos. & Rom. I, 11.* Cujac. *Obs. XIV, 4.* LEX CORNELIA

NELIA de parricidiis passim memoratur *l. ult. C. Theodos. ad leg. Corn. de fals. l. 2. §. 32. D. de orig. jur. immo & l. 1. pr. D. ad leg. Pomp. de parricid.* Nam ibi aut legendum: *quae est legis Corneliae de parricidiis*, aut eandem fuisse oportet legem CORNELIAM de sicariis & de parricidiis. Vid. Schulting. *Jurispr. vet. antejustin. p. 513.* De lege CORNELIA de falsis, quae & testamentaria, omnia nota sunt ex Paulli *Recept. Sentent. V, 25, 1. sequ.* Et ex hac lege etiam esse videtur *fictio legis CORNELIAE*, qua is, qui apud hostes decessit, in civitate decessisse, fingitur. *l. 18. D. de captiv. § postl. l. 12. D. qui test. fac. poss. Paull. Rec. Sent. III, 4, 8.* De lege quoque CORNELIA de injuriis omnia pervulgata sunt. Addi tamen potest Schulting. *ibid. p. 440.* Legis CORNELIAE de limitibus meminit Hyginus *de limit. p. 152. inter rei agrar. auct. Goesii*, eaque cautum fuerat, *ut per actuarios limites populo, sicut per viam publicam iter faciendi jus esset.* Quamvis ab hoc, an alio Cornelio lata sit, nondum constat. Quin quum jungantur *leges Sempronia & Cornelia & Julia*: fieri potest, ut lex dicta sit *Cornelia Julia*. Collegas autem P. Cornelium Cossium & C. Julium Tullum Tribunos milit. Cos. pot. reperias anno ab V. C. CCCXLV. *Liv. Lib. IV, 56. H.* Ex lege *Cornelia de Sicariis*, occisi cognatis aliquid esse adjudicatum pro satisfactione, quod putat Heineccius, non patet *ex Collat. leg. Mos. § Rom. l. c.* Clodius enim, dum sago jactatur, culpa Euaristi tam male acceptus fuerat, ut post diem quintum moreretur. Proconsul Baeticae, ut ceteros ejusdem aetatis juvenes emendaret, Euaristo provincia Baeticae in quinquennium interdixit, *decrevitque, ut impendii causa duo milia Clodii patri persolveret, quod manifesta ejus fuerat paupertas.* Qui locus docet, Euaristum sicarium non fuisse, cum homicidium, non con-

fulto, nec inimicitia iraque concitatus, sed casu, atque inter ludendum fecerit. Deinde observamus, decreta patri Clodii duo millia, *impendii causa*, id est, ob impensam, in curationem & funus, faciendam. Et tandem patet, id unice factum propter summam patris paupertatem. Recte igitur scribit Schultingius *ad h. l.* hinc non sequi, Romanis probatum fuisse pecuniariam poenam aliam, cognatis occisi dandam; quamvis illis, quorum interest hoc damnum farciri, etsi tantum intervenerit culpa, naturalis succurrat aequitas, de qua Grotius *Lib. II. c. 17. de jur. bell. ac pac.* videndus, quamque postea placuisse, Cujacius docuit *Observat. XIV. 4.* Quae *ad legem Cornel. de sicar. & de parricidiis* pertinent, summo studio collegit Jo. Francisc. Ramos *in Tribon. Lib. IV. p. 107. sequ. R.*

§. XCIII.

Leges Di-
dia sum-
tuaria &
Duillia
Maenia
de foeno-
ribus. Fa-
bia de
plagia-
riis.

Nec minus celebris est lex DIDIA *sumtuaria*, lata anno ab V. C. DCX. Appio Claudio & Q. Metello Coss. qua cautum, *ut universa Italia lege Fannia teneretur, utque non modo qui sumtuosius epularentur, sed & convivae in poenas legis inciderent.* Macrob. *Saturnal. II. 13.* Cui subjungimus legem DVILLIAM MAENIAM, a M. Duillio & L. Maenio, Trib. pl. anno ab V. C. CCCXCVI. Marcio & Manlio Coss. perlatam, *ne quis foenus unciaria majus exerceret.* Liv. *Lib. VII. Cap. 16.* Noodt. *de foenor. & usur. II, 4.* FABIAM *de plagiaris* latam esse volunt anno ab V. C. DLXX. Ex ea capitale crimen nascebatur adversus eum, qui liberum hominem sciens emit, suppressit, vendidit, donavit, in dotem dedit, permuta-

mutavit, fugitivum alienum suscepit, celavit, invinctum habuit, fervo alieno fugam persuasit. *l. 1. l. 4. l. 5. l. 6. §. 2. D. ad leg. Fab. de plagiar.* Poenaque ex ea lege numaria fuisse dicitur *. *l. ult. D. eod. Paull. Recept. Sent. Lib. V. tit. 6. §. 14.*

Eam poenam numariam vel pecuniariam in publicatione dimidiaie partis bonorum constituisse, suspicatur Rittershusius *ad Paullum ibid.* Et sane ipse Paullus apud *Pariat. legum Mos. & Rom. tit. XIV. §. 2.* ait, honestiores adempta dimidia parte bonorum in perpetuum relegatos, humiliores aut in metallum damnatos, aut in crucem sublatos. At id ex ipsa lege Fabia esse, ex Paulli loco non liquet. Immo vero Ulpianus *ibid. §. III.* mentionem facit poenae festertiorum quinquaginta millium: quamvis & haec summa fatis grandis, & vix probabilis videatur. *Schulting. jurispr. vet. antejustin. p. 783.* Immo ne ratio quidem excogitari posse videtur, cur *capitale crimen* vocetur *l. 1. D. ad leg. Fab. de plagiar.* si mere pecuniaria illa poena fuerit. H.

§. XCIV.

Sunt & aliae leges FABIAE, veluti illa *de ambitu vel numero sectatorum* *. Sed eam perlatam non esse comperio, quippe *cui tenuiores restiterunt*, teste Cicerone *pro Muraena Cap. XXXIV.* Certior est lex FABIA, quamvis & ipsa incertae originis, *de re agraria & limitibus*, cujus capita quaedam exstant inter Guil. Goesii *rei agrariae scriptores p. 339.* Addimus legem FANNIAM *sumtuariam*, latam anno ab *V. C. DXCII. C. Fannio & M. Messalla Coss.*

Fabiae de ambitu & re agraria. Fannia sumtuaria & Furia de modo legatorum.

cujus sanctiones ** fufius describunt Plin. *Hift. Nat. X, 50.* Gell. *Noct. Attic. II, 24.* Athenaeus *Deipnof. VI. extr. p. 274.* Macrobi. *Saturn. II, 13.* ac postremo legem FVRIAM incertae aetatis *de modo legatorum*, de qua *pr. Inst. de lege Falc* Cujac. *Obf. XIX, 31.* ***

* *Señtatores*, five *affeñtatores*; qui sint, vide apud Quint. Fratr. *de petit. Consulat. cap. 9.* ubi ab *salutatoribus* & *deductoribus*, eos distinguit, duoque *señtatorum* genera constituit, quorum alterum est *señtatorum voluntariorum*, alterum vero eorum, qui *señtari debent*, & de quibus ita Quintus scribit; *Qui autem tibi debent, ab iis plane minus exige: qui per aetatem ac negotium poterunt, ipsi tecum ut assidui sint. Qui ipsi señtari non poterunt, necessarios suos in hoc munere constituent. Magnam affert laudem, & summam dignitatem, si ii tecum erunt, qui a te defensi, & qui per te servati, ac judiciis liberati sunt. R.*

** Inter alia cautum ea lege fuerat, *ut ludis Romanis, plebejis Saturnalibus & aliis quibusdam diebus centenos aeris in singulos dies impendere liceret: decemque aliis diebus singulis mensibus tricenos; ceteris autem omnibus diebus denos. Ne quid volucrum poneretur, praeter unam gallinam, quae non esset altilis.* Ita legem describunt Plinius, Gellius, & Macrobius. Athenaeus vero addit, vetuisse legem, *ne praeter domesticos convivae plures tribus exciperentur, aut ad summum* (immo potius *κατ' ἀγοράν*, die nundinarum, ceu docet Casaub. *Animadv. ad Athen. VI, 21. p. 295.*) *quinque & id singulis mensibus ter tantummodo fieret: neve pluris, quam duabus drachmis & dimidia obsonarent e foro.* Porro eandem legem carnis in fumum inveteratae in annum talenta quindecim absumere permisisse ait, & leguminum & olerum, quaecumque terra gignat, decocta.

Talia

Talia erant fungi, helvellae, beta, malva, & similes cibi parabiles. Casaubon. *ibid.* p. 296. H. *** Haec lex & *Fusia* dicitur; nam idem nomen est, & *Furii* iidem & *Fusii* sunt appellati, ut observat Cl. Ernesti in *Ind. LL. ex Quintiliano Lib. X.* Male igitur habent optimae quoque Ciceronis editiones in *Verr. I. c. 42. Furias, Fufus*, cum altera vox ex glossa in textum irreperit, ideoque tollenda sit. Mentio quoque legis fit apud Ciceron. *pro Balbo c. 8. & Ulpianum tit. 1. §. 2.* ubi haec legimus: *Furia testamentaria, plus quam mille assium legatum, mortisve causa, prohibet capere, praeter exceptas personas: & adversus eum, qui plus ceperit, quadrupli poenam constituit.* Vid. Schultingius *ad h. l. R.*

§. XCV.

Porro hac temporis periodo perlatae LEX GENVCIA *de foenore*, anno ab V.C. CCCCXI. C. Martio IV. & Q. Servilio Coff. a L. Genucio Trib. pl. qua prohibitum, ne cui foenerare liceret. Liv. *Lib. VII. Cap. 42.* Ger. Noodt. *de foenor. & usur. Lib. II. Cap. 4.* LEX HOSTILIA *de furtis*, puta *ut furti agere liceret eorum nomine, qui apud hostes vel reip. causa abessent. pr. Inst. de iis, per quos ag. poss.* lata, ut videtur, ab A. Hostilio Mancino & A. Atilio Serrano Coff. anno ab V.C. DLXXXIII.*

Leges Genucia de foenore & Hostilia de furtis.

* Legis hujus nusquam alias fit mentio, quam *d. pr. Inst. per quos ag. poss.* nec aliud superest ejus caput, quam quod pro iis, qui apud hostes aut reip. causa abessent, furti agere permisit, quum adhuc nulli procuratores in foro admitterentur. Quum vero vix probabile sit de eo solo legem latam: verosimile est, quaedam alia hac lege de furtis constituta esse. Ceterum sententia Josephi Nerii

Nerii *Analect.* I, 26. hanc legem ab *hostibus* nomen accepisse existimantis, non minus absona est, quam derivatio legis Fufiae Caninae a *canis*, Falcidiae a *falce*, quam vix in Glossatoribus toleramus. H.

§. XCVI.

Lex Julia
Caesaris
de vi.

Sequuntur leges IVLIAE, quarum tam multae sunt, ut vel solae longum tractatum poscerent, si de iis agendum esset accuratius. Sed quum pleraeque ab Augusto demum latae sint: ad hanc periodum pertinet tantum lex IVLIA, *de rebus vi possessis non usucapiendis*, quae Plautia * recentior, lata est a C. Julio Caesare, Dictatore, eaque cautum, *ut nec rerum vi possessorum ulla esset usucapio*, §. 2. *Inst. de usucap. l. 33. §. 2. D. eod. & iis, qui vim fecerint publicam, aqua & igni interdiceretur.* Cic. *Philipp. 1, 9.*

* PLAVTIA multo antiquior est IVLIA, lata quippe Catulo & Lepido Coss. anno ab V.C. DCLXIII. auctore praecipue Q. Catulo consule, at rogante C. Plautio, Tribuno plebis, a quo & nomen tulit. At quia & hac lege usucapio rerum vi possessorum fuit inhibita: junguntur a Justiniano §. 2. *Inst. de usucap.* leges Julia & Plautia, quum potius inverso ordine dicendum fuisset Plautia & Julia, ut in *l. 33. §. 2. D. de usurp. & usucap.* H.

§. XCVII.

Leges Juliae
maiestatis &
repetundarum.

Inter leges IVLIAS, a Julio Caesare latas, est etiam IVLIA *majestatis*, cujus itidem meminit Cicero *Philipp. 1, 9.* Ea tamen, quae in Pandecte explicatur, non Julii Caesaris, sed Augusti, esse videtur, Sigon. *de Judic.*

11, 29. Quod nos quidem non satis expeditum esse, arbitramur, quum contra certissimum sit, legem hanc saepe sub malis potissimum Principibus, auctam & acrioribus poenis firmatam esse. Tacit. *Annal.* 1, 72. Freher. *Parerg.* 11, 9. De ejus legis capitibus videndi Sigon. *ibid.* p. 429. &, qui *singularia ejus legis* expendit, Nic. Hier. Gundlingius. Addimus legem IVLIAM *de repetundis*, ab eodem Julio Caesare in primo consulatu latam anno ab V. C. DCXCIV. Cic. *in Vatin.* Cap. XII, *pro Rabir.* Postum. Cap. IV. *pro Sext.* Cap. LXIV. *in Pison.* Cap. 21. 37. *ad Attic.* V, 10. 16. Sueton. *Jul.* Cap. XLIII. Legis quaedam capita supersunt in ipso titulo *D. ad leg. Jul. repetund.* Alia ex Cicerone * collegit Car. Sigon. *de Judic.* 11, 27. p. 425. *sequ.*

* Fuit haec ex legibus amplissimis, quippe cujus plura, quam centum, capita fuisse docet Coelii epistola ad Ciceronem, *inter familiar.* Lib. VIII. *Epist.* 8. Quum enim πολύμορφον sit hoc crimen, & quod se facile in omnes formas ac species commutat: non mirum profecto est, oppositam illi legem capitibus compluribus constitisse. De poena criminis, hac lege proposita, omnia satis incerta sunt. Quae tamen de ea dici possunt, omnia occupavit Ant. Schulting. *Jurispr. vet. antejustin.* p. 525. H.

§. XCVIII.

Nec omittenda LEX IVLIA Caesaris *de foenore.* Quum enim populus novas tabulas frequentissime postularet: improbam illam spem disjecit Caesar, lata lege, *ut debitores*
Lex Julia de novarum tabularum expecta- credito-

tione dis-
jicienda.

*creditoribus satisfacerent per aestimationem possessionum, quanti quasque ante civile bellum comparassent, deducto summae aeris alieni, si quid usurae nomine numeratum aut perscriptum * fuisset.* Qua conditione quarta fere pars crediti deperibat. Sueton. *Jul. Cap. XLII.* Jul. Caes. *de Bello Civil. III, 1.* Ex quo loco simul colligitur, legem hanc perlatam esse Caesare & Servilio Coff. anno ab V. C. DCCV. quum victo Pompejo in urbem victor revertisset.

* *Numeratum* dicitur, quod de domo solutum; *perscriptum*, quod per argentarios. Eo sensu accipiendae *perscriptiones* apud Ciceron. *de Orat. I, 58.* ubi vulgo legitur, *praescriptiones.* C. Celeb. Burmann. ad Sueton. *Caes. Cap. XLII.* ubi & ostendit, Henr. Valesium ad *Excerpta Peiresc. p. 27.* *pecuniam perscriptam* male accipere, pro in tabulas rationum relata, vel nondum soluta. Ceterum eam legem nova alia adjuvit Caesar. Quum enim multi plurimum pecuniae clam habere dicerentur: ἀπηγόρευσε, μηδένα πλείον πεντακιχλίων ἢ μυρίων δραχμῶν ἐν ἀργυρίῳ ἢ ἐν χρυσίῳ κεκτῆσθαι* *ne quis in auro vel argento plus quam LX. sestertium possideret, vetuit.* Dio Cass. *Hist. Lib. XLI. p. 171.* & pag. 192. Edit. Stephan. H.

§. XCIX.

Leges
Laetoria,
& Licinia
de foeno-
re.

Celeberrima porro est LEX LAETORIA, quam Plautus *Pseudol. Act. I. Scen. 3. v. 69.* *quinamvicennariam*, alii male *Plaetoriam* vel *Plectoriam* vocant. Quum ergo Plauto fuerit antiquior, eam M. Laetorium Plancianum, Tribunum plebis circa annum ab V. C. CCCCXC. auctorem habuisse probabile est*.

Hac

Hac quoque multo antiquior est LICINIA de foenore de capite deducendo, lata anno ab V. C. CCCLXXVI. a C. Licinio Stolone, Tribuno pleb. Liv. *Lib. VI. Cap. 35.*

* Multis capitibus constitit LEX LAETORIA, quae tamquam sparsa Hippolyti membra hic juvat colligere. Primum enim haec lex annos minorennitatis definivit, *l. 2. C. Theod. de donat.* dicta ob hanc ipsam causam *quinavicennaria*. Plaut. *Pseud. I, 3. v. 69.* Deinde ex hoc ipso Plauti loco patet, creditoribus negatam esse actionem adversus adolescentes, quibus crediderant pecuniam. Tertio eadem lex minoribus petentibus causa cognita curatores dari jussit. Jul. Capitolin. *in Marco Cap. X.* Quarto adolescentes instipulari vetuit, eorumque promissis vim omnem obligandi detraxit. Plaut. *Rudent. V, 3. v. 25.* Sueton. apud *Priscian. Lib. VIII. pag. 794. & Lib. XVIII. pag. 1164. inter Putsch. Grammat.* Denique quinto minores in quocumque contractu dolo malo laesos restitui in integrum jussit. Cic. *de Offic. III, 15. H.* Sparsa haec legis Laetoriae capita dudum ante Heineccium collecta sunt a Jacob. Gothofredo *ad d. l. 2. Cod. Theodos.* De tertio vero capite quaedam monenda. Ait Capitolinus *in Marco c. 10. De curatoribus vero, cum ante nonnisi ex lege Laetoria, vel propter lasciviam, vel propter dementiam, darentur, ita statuit, ut omnes adulti curatores acciperent, non redditis causis.* Quae verba Heineccius *in Instit. tit. de curatorib. & infra not. ad §. 302.* ita accipit, ut triplicem ante Marcum curationem fuisse docere videantur, unam *minorum* ex hac lege, alteram *prodigorum*, quos Capitolinus *lascivos* vocet, tertiam *furiosorum*, qui historico sint *dementes*. Hos vero, ut & *lascivos*, accepisse curatores ex jure vetustissimo XII. Tabularum, *minoribus petentibus subvenisse legem*

legem Laetoriam, existimat. Sed non attendit, *L. XII.* non aliis prodigis prospexisse, quam iis, qui jure civili ab intestato parentibus erant heredes, ut optime observat Schultingius *ad Ulpian. tit. 12.* His enim, qui ex testamento, patris heredes facti erant, bonaque sua deinde dissipabant, ex lege XII. curator dari non poterat. Audi Ulpianum *tit. 12. §. 3. A Praetore constituitur curator, LIBERTINIS PRODIGIS, itemque INGENVIS, qui ex testamento parentis heredes facti, male dissipant bona: his enim ex LEGE curator dari non poterat: cum INGENVVS quidem non AB INTESTATO, sed ex TESTAMENTO heres factus sit patri: libertinus autem nullo modo patri heres fieri possit, qui nec patrem habuisse videtur, cum servilis cognatio nulla sit.* Qui locus nos dubitare non finit, hoc innuisse Capitolinum, quod curatores ex lege Laetoria, ante Marcum, propter lasciviam, & dementiam dati sint; Imperator vero ille deinde statuerit, ut omnibus adultis darentur causis non redditis. Neque statuendum est, minoribus petentibus, causa cognita, ex hac lege curatores tantum datos esse. Dementes enim, & parum de eo laborabunt, & forte vix laborare poterunt. Et quod ad lascivientes attinet, ii non tantum non petent, sed & curatores sibi datos omni studio evitabunt, ut suo more, remotis arbitris, possint vivere. Imo hoc hominum genus tantum sibi sua stultitia placet, ut credat neminem melius rebus suis superesse posse. Quis igitur putet, hujus generis hominem adiiisse Praetorem, hisque verbis, (quod fieri certe oportebat) eum implorasse: *Peto curatorem, lasciviens enim sum?* Adibant igitur Praetorem hi, quorum intererat, id est, agnati proximi, causamque reddebant, quae curatorem postulare videbatur, ne forte lasciviens demensque homo, familiae probrum facere posset. Consul. Schulting. *ad Cajum Lib. I. tit. 8.* Spanhemius

hemius de *Uf. & Praestant. numism. Dissert. X. Tom. II. pag. 116.* de fascibus sex, iisque sine junctis securibus, qui Praetoribus Romae a totidem *παβδοφόροις* lictoribus, praelati, auctorum veterum testimoniis, & numerorum auctoritate, disputans, Manutium, Sigonium, Pighium, Vailantium, confutavit, qui *ex lege Laetoria*, quam Cenforinus *de die nat. c. ult.* memorasse dicitur, probare voluerunt, Praetorem, duos tantum in urbe fasces habuisse. Sed cum omnes libri Cenforini habeant: *M. Plaetorius Tribunus Pl. scitum tulit*, notique sint *Plaetorii* ex Cicerone, (vid. Ernest. *Ind. histor.*) verba hujus plebisciti ad legem nostram pertinere non videntur. R.

§. C.

Exstitit etiam LEX LICINIA CORNELIA *sumtuaria*, lata anno ab V. C. DCLVI. a P. Licinio Crasso & Cn. Lentulo Coff. cujus functiones recensent Cicero *Lib. VII. ad familiar. Epist. 26.* Gell. *Noct. Attic. II, 24.* Macrob. *Saturnal. II, 13.* * Addimus LEGEM LVCTATIAM *de vi*, latam Q. Lucretio & C. Mario IV. Coff. anno ab V. C. DCLI, qua in primis cautum novimus, ut de vi diebus etiam festis ludisque publicis quaereretur. Cicero *pro Coel. Cap. I. & XXIX.*

Leges LiciniaCornelia sumtuaria & Lucretia de vi.

* Videtur hac lege, antiquior FANNIA, quam supra descripsimus, in usum revocata, quum gliscente luxu, mox, ut fit, exolevisset. Macrob. *Saturn. II, 13.* Saltim ipsa legis Licinae functio alteri est simillima, nisi quod paullo plus, quam Fannia, in singulas coenas expensum tulit. Nam & illa cavetur, ut *Kalendis, Nonis, nundinis Romanis cuique in dies singulos centenos duntaxat asses edundi causa consumere liseret: nu-*

ptiis duceos; ceteris vero diebus, qui excepti non essent, carnis aridae pondo tria & fassamentarium pondo: quod autem e terra, vite, arboreve natum esset, impune consumere liceret. Hinc centenaria coena Festo est, in quam per legem Liciniam non plus centussibus, praeter terra nata, impendere licebat. Gell. Noct. Attic. II, 24. Ceterum Macrobius memoriae prodidit, legis istius ferundae probandaeque tantum studium ab optimatibus impensum esse, ut consulto Senatu juberetur, ut ea tantummodo promulgata, priusquam trinundino confirmaretur, ita ut omnibus observaretur, quasi jam populi sententia confirmata. H.

§. CI.

Leges
Mamilia
de finibus,
Mamilia de
vicesima
manu-
missi. &
Maria de
ambitu.

Proxima est LEX MAMILIA *de finibus agrorum*, frequentissime laudata a scriptoribus rei agrariae, in primis a Siculo Flacco *de condit. agr. p. 8. Edit. Goes.* lataque anno ab V.C. DCXXXII.* Ei addimus LEGEM MANLIAM *de vicesima a manumissis acrio inferenda*, latam a Cn. Manlio & C. Martio Coff. anno ab V.C. CCCXCVI. *Liv. Lib. VII. Cap. 16.* nec non LEGEM MARIAM *de ambitu*, rogatam a C. Mario, Tribuno plebis, anno ab V.C. DCXXXIV. & *ut pontes angustiores fierent*, praecipientem. *Cic. de legib. III, 17. ***

* Quum hujus legis MAMILIAE sanctiones, fragmentaque a Guil. Goesio *Rei agrar. auct. p. 339. sequ.* exhibita paucissimi intelligant: eam legem paullo accuratius expendere, operae pretium fuerit. Leges XII. Tabularum quinque pedum semitam inter fundos relinqui jusserant, quae *limitare iter* & Graecis *μετρίγια* dicebatur. Idem & lex MAMILIA sanxerat, teste Flacco Siculo *de condit.*

condit. agr. p. 8. cujus en ipsa verba : *Signantur arbores finales utrimque, id est, ex utraque possessione, intra pedes quinos, ut legis Mamiliae commemoratae rationem habeant.* Et planius Aggenus Urbic. *Comment. in Frontin. p. 53. De fine, inquit, LEX MAMILIA quinque aut sex pedum latitudinem praescribit, quoniam hanc latitudinem vel iter ad culturas accedentium occupat, vel circumactus aratri, quod usucapi non potest.* Similia sunt apud Frontinum p. 40. & Simplicium p. 83. quae hic non adscribimus. Erat ergo hoc spatium inter fundos, & in ipsis finibus: non quaquaversum circa fines, uti contra Homanum ostendit Guil. Goef. *Not. ad Sicul. Flacc. p. 129.* Ejus porro limitaris itineris nulla erat usucapio. Aggen. Urbic. p. 53. Alciat. *de quinque ped. praescript. Tomo III. Op. p. 345.* Goef. *ibid. p. 191.* Ergo si quando de hoc quinque pedum limitari itinere nascebatur controversia, quod imminutum esse ab alterutro vicino diceretur, ea vocabatur *controversia finalis, vel de finibus, seu iudicium finium regundorum*, in eoque nulla habebatur praescriptionis ratio. Sin de ipso agro lis intercederet: erat haec *controversia de loco*, quae non ad agrimenforem, sed ad Praetorem, pertinebat. Postea mos invaluit, ut spatium quinque pedum, non usucapi quidem, at actioni de eo longissimo tempore praescribi posset. Sed id quoque mutarunt Valentinianus, Theodosius & Arcadius Augg. *l. 4. C. Theod. fin. regund* quam accurate exposuit, & a Jac. Gothofredi *ψυδρ. ο. η. ο. α* vindicavit Guil. Goef. *in Not. p. 192.* Denique quum Justinianus praescriptionem tricennem limitaris itineris in usum revocasset: *l. 6. C. fin. reg.* factum est, ut spatium quinque pedum sensim plane aboleretur, & fines fierent lineares, quorum de confusione quotidianas nasci querelas oportuisse, facile unusquisque intelligit. Fuerunt vero & alia hujus legis capita:

veluti , *ut curaret ille , qui coloniam deduxerit , limites ut fiant , terminique ut constituentur , neve quis ejiciat locove moveat , qui ita constituti fuerint : Ne limites , qui constituti fuerint , serendo occuparentur , aliaque ratione reddantur inutiles usibus publicis : Ut terminum , qui amotus fuerit , is , cujus ager esset , restitueret.* Quorum capitum verba legitima supersunt apud Guil. Goef. p. 329. *sequ.* H. Meminit legis Mamiliae Cicerone de LL. Lib. I. cap. 21. docetque , ea singulos arbitros finibus regundis datos esse , cum e LL. XII. tres essent , si de finibus controversia esset orta. De auctore legis videndus etiam Cl. Otto Praefat. Tom. I. Thes. Jur. pag. 24. R.

** Jussit *lex Maria* , ut pontes angustiores fierent , eam ob causam , ne quis inspicere tabellam , ne rogare de suffragio , aut appellare ferentem posset. Observat Cl. Ernesti in Ind. LL. ex Plutarchi *Mario* pag. 407. eam , quia potentiae procerum erat opposita , Cottam & Metellum Coss. impugnasse Scto , sed frustra. Magnam ei affert lucem numus cujusdam P. NERVAE , cum septis , seu cancellis , pontibus , cista , diribitore , populo tabellas distribuyente , apud Spanhem. *dissert.* X. Tom. II. p. 193. R.

§. CII.

Leges
Oppia &
Orchia.

Aequae pulchra fuit *LEX OPPIA de cultu mulierum* , lata anno ab V. C. DXL. Q. Fabio & T. Sempronio , Coss. a C. Oppio , Tribuno plebis. Ea vetitum , *ne qua mulier plus semiuncia auri haberet : neu vestimento versicolori uteretur : neu juncto vehiculo in urbe oppidove , aut propius inde mille passus , nisi sacrorum causa , veheretur.* Liv. Lib. XXXIV. Cap. 1. & Tacit. *Annal.* III , 33. *seq.* Sed de hac lege nihil est ,

est, quod addamus post eruditissimam Jo. Guill. Hoffmanni *de lege Oppia* Dissertationem, quae prodiit *Francof. juxta Viadr. anno MDCCXXXVI. LEX ORCHIA de numero conviviarum* nomen tulit a C. ORCHIO, Tribuno plebis, qui anno ab V. C. DLXX. Q. Fabio & M. Claudio Coss. hanc legem sumtuariam rogavit. Festus in *Objonitavere*. Macrobr. *Saturnal. II. 13.*

§. CIII.

LEX PINARIA *de ambitu* fatis antiqua est, rogata quippe anno ab V. C. CCCXXI. a L. Pinario, Tribuno mil. consul. potest. ejusque collegis. Placuerat enim senatui tollendae ambitionis causa tribunos legem promulgare, *ne cui album in vestimentum addere petitionis causa liceret**. Liv. *Lib. IV. Cap. 25.* De PLAVTIA vel PLOTIA, quae vim, & rerum vi extortarum usucapionem cohibuit, jam supra (§. XCVI.) diximus. Ea cautum fuerat, *ut aqua & igni interdiceretur iis, qui adversus remp. conjurassent, insidias senatui fecissent, magistratibus vim attulissent, qui cum telo fuissent in publico, aut seditionis causa loca superiora occupassent: qui possessorem e fundo hominibus armatis dejecissent dolo malo, aut armatis objectis, ut inde profugeret, causam attulissent: denique ne praedium, unde vi dejectus sit possessor, usucaperetur.* Quae legis capita ex Cicerone, Suetonio, Dione Cassio, miro ingenii acumine eruit Carol. Sigon. *de Judic. II, 33.***

Leges Pinaria de ambitu, & Plautia de vi.

* Mos erat petitoribus honorum, togam candidam sumere, eamque creta ita imbuerere, ut plane splenderet. Unde & λαμπρὰν vocat Polyb. *Lib. X. Cap. 4.* quemadmodum & ipsi petitores ab hac toga candida *candidati* dicebantur. Lips. *Elect. I, 13.* Bernegg. *ad Suet. Caes. Cap. XIX. & XXIV.* Hinc & togam candidam abjiciebant, qui abjecerant spem potiundi honoribus: quale exemplum Cicereji est apud Valer. Max. *Lib. IV. Cap. 5. ex. 3.* Cur vero illum morem hac lege abolitum voluerit Senatus, vix conjectura adsequimur, nisi huc trahere velis locum Plutarchi ex *Quaest. Rom. p. 276. Edit. Xylindr.* qui petitores, quando in campum descenderint, togas posuisse, refert, ejusque rei cum alias, tum hanc potissimum rationem reddit: *οὐ μὴ ἀργύρων, ἀργύρεον ἐν τῷ κολλῶν κομιζόντες: ne argentum in sinu gestantes, suffragia redimerent.* H. Non capio hanc conjecturam. Ego certe ita concludere nollem: quia petitores in campum descendentes togam posuerunt, ideo Tribuni Pl. legem promulgarunt, ne cui album in vestimentum petitionis causa addere liceret. Alia excogitanda est ratio, quam ipse Livius suppeditat *l. c.* e quo discimus, patricios, sumpto elegantiore habitu, omnium in se oculos convertisse, & ostentatis quasi divitiis, plurimum e plebe, qui opis indigebant, ita commovisse animos, ut in clientum numero esse velent. Addatur Meursius *de luxu Rom. cap. 4.* quo loco, de vestibus pressis, ut niterent, exponit, & Gronovius *ad Liv. l. c.* Praeterea bene monuit Hoffmannus, hanc legem male *Pinariam* dici. Hoc quidem scimus, latam eam esse *A. V. 321.* quo *L. Pinarius Mamercinus, L. Furius Medullinus, Sp. Posthumius Albus*, Tribuni militares fuerunt; sed cum legamus apud Livium, *placet tribunos legem promulgare*, patet plebiscitum esse, & invitis etiam patribus fuisse promulgatum. Est igitur error ridiculus, quem commise-

miserunt tamen omnes, qui de legibus scripserunt, doctissimi viri, quod *Pinarium* legis auctorem fecerint, sine dubio receptum a patribus morem acriter defendentem. Ita enim Livius *ibid.* *Res haec tunc ingenti certamine Patres ac plebem accendit.* Possset quis eodem jure, sed & errore eodem, hanc legem *Furiam*, vel *Postburniam* appellare, quoniam tribunorum Plebis nomina ignoramus. R.

** Observat tamen Cl. Ernesti *in Ind. LL.* Sigonium, cum legem Plautiam *Catuli* auctoritate latam esse scribat, graviter errare, & legem *Lutatiam Catuli*, cum *Plotia* confundere. Lex *Lutatia*, auctoritate *Q. Lutatii Catuli* lata, fuit *Plotia* severior, & sanxit praeterea, ut diebus etiam festis de vi quaeri possset. Adeoque de *Lutatia* capiendus Cicero *pro Coelio l. c.* non vero de *Plotia*, quod vult Sigonius. R.

§. CIV.

Nec minus memorabilis est lex POETELIA *de ambitu*, lata a C. Poetelio Trib. pl. anno ab V. C. CCCXCV. C. Fabio & C. Plautio Coss. Liv. *Lib. VII. Cap. 15.* qua cautum fuerat, *ne, qui honores peterent, nundinas & conciliabula obirent* *. Ab ea lege diversa est POETELIA PAPIRIA, qua, rogantibus C. Poetelio & L. Papirio Coss. anno ab V. C. CCCXXVII. cautum est, *ne quis, nisi noxam meritus, in compedibus haberetur, utque pecuniae creditae causa bona debitoris, non corpora, obnoxia essent.* Liv. *Lib. VIII. Cap. 28.*

Leges
Poetelia
de ambi-
tu & Poe-
telia Pa-
piria de
obaeratis
in com-
pedibus
non ha-
bendis.

* Inter artes eorum, qui honores petebant, & illa erat, quod candidati nundinas, conciliabula, immo & municipia & colonias obirent, omniumque sibi gratiam prestando conciliare adniterentur.

Quod & post latam hanc legem tam impudenter factum, ut seditiones & tumultus inde metuerentur, ac proinde C. Maenius, Dictator, anno ab V. C. CCCCXXXIX. quaestiones exerce- ret adversus eos, qui magistratum petendorum causa coitiones fecissent: quod adversus rempu- blicam essent. Liv. *Lib. IX. Cap. 26. H.*

§. CV.

Leges
Pompe-
jae de vi
& ambi-
tu.

Sed & Cn. Pompejus, quamvis sago, quam toga, illustrior, leges tamen quasdam reipu- blicae salutares tulit, quae ab illo POMPE- IARVM nomen tulerunt, quia pleraeque anno ab V. C. DCCCL. quo ipse inusitato exemplo fasces solus tenuit, ab eo rogatae sunt. Eo pertinent LEGES POMPEIAE *de vi & de ambitu*, uno eodemque die ex SC. promulgatae, quibus tam poenam exaspe- ravit, quam formam judiciorum brevioram reddere statuit. Utraque enim sanxit, *ut, priusquam causa ageretur, testes audirentur per triduum, eorumque dicta consignarentur, quarta die omnes in diem posterum adesse juberentur, & fieret iudicium sortitio: tum porro accusatori duae, reo tres horae ad dicendum concederentur: deni- que, ubi causa perorata esset & accusatori & reo lice- ret quinos ex singulis ordinibus rejicere, utque adeo ex LXXXI. iudicibus sorte datis quinquaginta & unus, sententias laturo, superessent* *. Ascon. Pedian. in Arg. Orat. pro Milone. Cicero *Lib. X. ad Attic. Epist. 4.* Dio Cass. *Lib. XL. p. 145. & p. 162.* Edit. Stephan. Caes. *de bello civ. Lib. III. Cap. I.*

* Fuisse

* Fuisse & alia ista lege comprehensa, jam Dio observavit, veluti *ut certus patronorum numerus esset, ut ne laudatores (ἐπαινέται) admitterentur*, de quo reorum praesidio videndus Car. Sigon. *de Judic. II*, 19. *ut & ii accusatores admitterentur, qui olim simili de causa postulati essent; eique, qui duos reos fecisset, atque unum damnasset, impunitas pro praemio daretur*. Ut adeo facile adpareat, tam intolerabilem reip. ambitum tum factum esse, ut res ipsa legem severissimam postulare videretur. H.

§. CVI.

Ejusdem auctoris aetatisque est LEX POMPEIA *de pecuniis repetundis*, de qua Appianus *de bell. civ. Lib. II. p. 441. Edit. Stephan.* Νόμῳ τε ὠρίζεν, ἀπὸ τῆς ἑαυτῆ τὸ πρῶτον ὑπατέιας ἐς τὸ παρὸν, ἐυθύνει τὸν ἐθέλοντα. *Legem tulit, ut ex eo tempore, quo ipse primum consul fuisset, usque in alterum consulatum liceret a magistratibus rationes actorum expetere, & quidem, ut idem paullo ante monuerat, ob δωροδοκίαν ἢ δεκασμὸν, id est, munerum corruptelas & largitiones: quod ipsum repetundarum crimen esse, nemo non videt. At celeberrima omnium LEX POMPEIA de parricidiis, quam anxia paene industria illustravit Jo. Franc. Ramos in Triboniano sive de errorib. Triboniani de poena parricidii **. L. B. MDCCXXVIII. 4.

Leges Pompejæ repetundarū & de parricidiis.

* Errores illi Triboniani varii, veluti quod dicat, Pompejum asperrimum crimen parricidii nova poena persequutum, quum poena cullei sit antiquissima, sed ex lege Cornelia non nisi in parricidio proprio, locum habuerit: quod non indicavit, qua in re a lege Cornelia discreparit Pompeja.

peja. Discrimen autem in eo statuit Ramos, quod quum ex lege Cornelia ii tantum infuerentur culleo, qui parricidium proprie sic dictum admisissent: Pompejus hanc poenam & ad reliquas personas cognatas & adfines, quarum mentio fit *l. 1. D. ad Leg. Pomp. de parricid.* produxerit. Praeterea & alias parricidii poenas, quas Tribonianus omiserit, recenset, & ubique hominem tantum non parricidii postulat, ut jureconsultus ille Salamanticensis inter Tribonianomastigas jure possit referri. Ceterum poenae cullei meminerunt post legem Pompejam Seneca *de Clement. Lib. I. Cap. 15. § 23.* Juvenal. *Sat. VIII. v. 214. Satyr. XIII. v. 155.* Suet. *August. Cap. XXXIII.* ex quo loco etiam patet, poenam illam non nisi confessis reis infligi potuisse. Quamobrem non videtur admittenda Cujacii divinatio, cullei poenam tantum ante leges Cornelianam & Pompejam, moribus obtinuisse, at per legem Pompejam in poenam legis Corneliae de sicariis mutatam, denique a Constantino *M. l. 1. C. de his qui par. vel lib. occid.* in usum revocatam esse suspicantis. Vid. Cujac. & Schulting. *ad Paull. Rec. Sent. Lib. V. tit. XXIV. p. 512. § sequ.* H. Adde Jacob. Gothofred. *in Commentar. ad leg. un. Cod. Th. de parricidio*, & quos ibidem laudavi, Viros doctos. R.

§. CVII.

Leges Pu-
blicia, Pu-
blilia,
Remmia.

PUBLICIA LEX *de lusu & sponfionibus*, cujus mentio fit *l. 3. D. de aleat.* non modo incertae aetatis, verum etiam in se obscura est, nisi quod ea sponfiones de rebus honestis fieri permiserit. De lege PUBLILIA *de plebiscitis* jam supra, quantum satis est, diximus. (§. XL.) Hic vero praeternittenda non est LEX REMMIA, quam alii RHEM-

MIAM,

MIAM, alii REMNIAM, REMIAM, alii MEMMIAM adpellitant, cujusque de origine nihil constat, nisi quod fuerit antiquissima, ipsisque decemviralibus legibus non multo recentior, ex mente V. C. Henr. Brenemannii *de lege Remm. Cap. III.** Ceterum ea cautum fuisse, *ut qui per calumniam innocentem accusasset, ejus fronti littera K. inureretur**, patet ex Cic. *pro Sex. Rosc. Cap. XX.* Julian. *Μισοπωγ. p. 357. Edit. Spanhem.*

* Sunt, qui litteram C. tamquam initialem vocabuli CALVMNIA praeferunt, alii litteram D. tamquam primam vocis DELATOR: Turneb. *advers. VIII, 22.* Immo quidam hic ad litteram Θ confugiunt, tamquam vocis Graecae *Θύνατ* indicem. Sed quemadmodum veteres Romani, consentientibus omnibus, pro CALUMNIA scribebant KALVMNIA, quemadmodum pro caput *Καпут*, pro calendae *Kalendae*; ita rem omnem conficit Juliani locus ex *Μισοπωγόν.* ubi Antiochenis, K. id est Konstantium desiderantibus, optat duplex *ΚΑΠΠΑ*, tamquam calumniae poenam justissimam. Brenemann. *Cap. V. p. 1587.* Scire autem Julianum rem potuisse, nemo negaverit, quum & sub Imperatoribus adhuc extitisse lex Remmia videatur. *l. 13. D. de testib. H.*

§. CVIII.

Non minus dubiae aetatis sunt LEGES SCANTINIA *de nefanda Venere*, cui facem accenderunt V. C. Jo. Fridr. Christius *diff. de lege Scantinia*, & Jo. Guil. Hoffmannus *in Comment. ad legem Juliam de adulter. Cap. I. §. 26. p. 52.* & SCRIBONIA *de asucapione*, quam

Leges
Scantinia
& Scribo-
nia.

quam fingulari commentatione illustravit Jac. Raevardus*. Ea lege *usucapionem servitutium sublatam esse*, quam Jcti disputatione fori invexerant, satis patet ex *l. 4. §. ult. D. de usurp. & usucap.*

* Ant. Augustin. *de legib. p. 130.* hanc legem tribuit auctori L. Scribonio Liboni, cujus meminit Cic. *in Bruto Cap. XXIII. & de Orat. I, 53.* Sed eam sententiam solidis argumentis profligavit Galyan. *de usufructu Diff. Cap. XII. §. 4. p. 113.* Sane Ciceronis aetate adhuc servitutium usucapionem processisse, discimus ex *Orat. pro A. Caec. Cap. XXVI.* Quare probabilius est, legem Scriboniam sub Augusto latam esse a L. Scribonio Libone Cos. collega M. Antonii II. Cos. anno DCCXX, seu visum est Galvano *ibid.* & Herm. Noordkerkió *Disquisit. de lege Petron. III, 6. pag. 90.* Saltim tardius latam esse, (quod putavit Jac. Raevardus *de lege Scribon. p. 497.*) & quidem anno ab V. C. DCCLXVIII. L. Scribonio Libone & Sifenna Statilio Tauro Coss. eo minus crediderim, quo rarius tum leges rogari solebant a Consulibus. H. Ad hanc legem quaedam observavit B. Branchu *Decad. II. Observat. 17.* qui non tantum Cujacii opinionem de Lege Scribonia tuetur, sed & contendit, ex Cicerone *pro Caecin. cap. cit.* probari minime posse, ejus aetate servitutes fuisse usucaptas. Confule etiam Jo. van de Water *Observ. Jur. Lib. II. c. 18.* & Cl. Ottonem *Dissert. de usucap. servit. R.*

§. CIX.

Leges
Serviliae
de adul-
teriis &
stupris,

Exstitisse porro legem quamdam SERVI-
LIAM *de adulteriis & stupris*, circa annum ab
V. C. DCCV. a P. Servilio Vatia Cos. roga-
tam, fretus loco Valerii Maximi *Lib. VIII.*

Cap. I.

Cap. I. ex. 8. acute conjicit V. C. Jo. Guil. nec non Hoffmann. *de lege Jul. de adult. l. 21. p. 33.* de repe-
 Certius est, LEGEM SERVILIAM *repetun-* tundis.
darum, cujus fragmenta ex monumento ve-
 tuftissimo extulit Sigon. *de Judic. II, 27.* an-
 no ab V. C. DCLIII. rogatam esse. Eam
 vero ita illustravit laudatus Sigonius, ut
 ocium nobis feciffe videatur.*

* Referenda haec lex ad *an. V. C. 653.* quo a C.
 Servilio Glaucia, Praetore lata est, quem eodem
 anno C. Marius VI. Cos. interfecit. Cicer. *Cati-*
lin. III. cap. 6. Epit. Liv. *Lib. LXIX. & Cl.*
 Ernesti *Ind. Histor. voc. Glauc. R.*

§. CX.

DE LEGE TITIA *de lusibus & sponfionibus*, Leges Ti-
 cujus mentio fit *l. 3. D. de aleat.* nihil me, tia de
 quod dicam, compertum habere, fateor. At sponfio-
 TVELIA *de ambitu* auctorem habet M. Tul- nibus,
 lium Ciceronem, Cos. cum C. Antonio, Tullia de
 anno ab V. C. DCXC.* Denique celeberrima ambitu,
 olim fuit LEX VOCONIA *de mulierum he-* & Voco-
reditatibus & de legatis, lata a Q. Voconio-
 Saxa, Trib. pl. anno ab V. C. DLXXXIV. nia.
 Caepione & Philippo Coff. sed de ea singu-
 laribus commentationibus tam accurate
 egerunt FRANC. BALDUINVS & JAC.
 PERIZONIVS, ut plura addere nihil atti-
 neat.

* Hanc legem jam superiore anno L. Julio Caesare
 & C. Marcio Figulo Coff. rogari jufferat Senatus:
 sed intercefferat Q. Mucius Orestinus, Trib. ple-
 bis, teste Acon. *Ped. in Orat. in toga cand. Ci-*

cero *pro Muraena Cap. XXXIV.* Postea legem de novo ex SC. tulit Cicero, eaque cautum, ne mercede conducti obviam candidatis irent, nec conducti eos sectarentur; ne gladiatoribus locus tribueretur, ne prandia vulgo darentur. Cic. *pro Muraena Cap. XXXII. in Vatini. Cap. XV.* Ex quibus locis etiam patet, praeter alias poenas & decennale exilium irrogatum esse iis, qui contra hanc legem fecissent. Sigon. *de Judic. II, 29. p. 436.* H.

§. CXI.

SCa hoc tempore non erant species juris scripti.

Nihil adhuc diximus de SENATVSCONSULTIS, quorum tamen innumera hoc temporis intervallo facta esse, nemo ignorat. Enimvero, quod de sua aetate scribit Ulpianus *l. 9. D. de legib. Non ambigi, Senatuum jus facere posse*: id ad liberae reip. tempora plane non pertinet. Erat tum Senatui jus, deliberandi de republica, administrandi aerarium, curandi opera publica, delicta extra Romam in Italia admissa persequendi, gliscientes in Italia controversias componendi, legationes decernendi audiendique, indicendi ferias & supplicationes, de provinciis disponendi: Polyb. *Hist. VI, 1.* & de his rebus etiam SCa fiebant, vel, si quis majorum magistratuum Tribunorumve plebis intercessisset, AVCTORITATES scribebantur: Cic. *Lib. VIII. Epist. ad famil. 8.* Dio. Cass. *Lib. LV. p. 550. & pag. 629. sequ. Edit. Stephan.* At nova jura SCis inuenta esse ante Caesarum tempora, nusquam legeris. *

* Verum tamen est, populum nec jure rogari, nec jure sciscere potuisse, nisi Senatus fieret auctor,

eamque in rem scriptum esset Sctum. Liv. *Lib. I. cap. 17. Lib. VIII. cap. 12.* Plutarch. *in Coriolano p. 227.* Cic. *in Bruto Cap. XIV.* Appian. *de bello civ. Lib. I. p. 650.* Ex quo Ciceronis loco discimus, existisse ea de re legem veterem MAENIAM, quam Festus *in voc. Prorsus* MINIAM; Nonius vero Marcell. *cap. 2. n. 289. § 785.* MANIAM vocat, eaque cautum fuisse, *ut patres in comitiorum eventum auctores fierent.* At plerumque hanc legem neglexerunt turbulenti ingenii Tribuni plebis, qui seditiosissimas rogationes inconsulto fere ac refragante Senatu rogarunt, patribusque nec quidquam dissuadentibus, per-tulerunt. H. De Jure Senatus vid. Cl. Dukerus *ad Liv. Lib. XXXIX. c. 14.* De *lege Maenia*, quam latam *an. V. C. 467.* plerique putant, fere omnia sunt incerta. Festus *voc. prorsus*, ejus non meminit, sed ibi habent libri impressi, *Ju-nia.* Apud Nonium autem legitur *Maenia*, non *Mania.* Et errat graviter Heineccius *ad leg. Jul. § Pap. Lib. II. c. 3. §. 4.* cum compertum sibi esse scribit, rogationi isti nomen esse inditum a *C. Maenio Nepote*, qui una cum *L. Furio Canillo Cos.* fuit *an. V. C. 415.* Cum enim *anno antecedente 414. lex Publilia*, auctore *Q. Publilio Philone*, Dictatore, lata, eaque secundum Livium *Lib. VIII. c. 12.* cautum sit, *ut legum, quae comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium patres auctores fierent*, consulem ex plebe designatum *C. Maenium*, paullo post, hanc legem plebi gratissimam tulisse, existimat. Sed Ciceronem non legit, qui in *Bruto c. 14.* haec habet: *M. Curium, quod is Tribunus Plebis, interrege Appio Caeco, diserto homine, comitia contra leges habente, cum de plebe consules non accipiebat, patres ante auctores fieri coegerit; quod fuerit permagnum, nondum lege Maenia lata.* Facti docent, *Appium Claudium Caecum an. V. C. 446.* Consulem prodixisse. Ponas vero, ipsum

tum annum ingressum esse quadragesimum secundum, qui propter annariam legem requirebatur: necesse est, ut fuerit *C. Maenio Nepote Cos.* sive *an. 415.* undecim annorum puer. Quomodo igitur Interrex *Claudius* ante legem Maeniam esse potuit? Finge, plures eo tempore annos habuisse, quo primum Consul factus est, parum tamen efficies, cum ex Dionysio sciamus, Interreges electos fuisse, gravissimos natuque maximos, ordinis Senatorii viros. At prolixa disputatione non opus est, cum Livius *Lib. X. cap. 11.* memoriae tradiderit, Appium *an. V. C. 454.* fuisse Interregem, Consulesque creasse *L. Cornel. Scipionem,* & *Cn. Fulvium.* Igitur inanis est illa Heineccii conjectura, & amplectenda potius elegantis ingenii viri, J. F. Gronovii opinio, qui *Observat. I. 25.* Maeniam legem, Maenio Tribuno Pl. tribuit, annoque demum 467. supra memorato, statuit latam esse, & Ciceronis de ea locum egregie illustrat. De *auctoritate Senatus* etiam minus accurate exposuit Heineccius: sed meliora dedit Cl. Ernesti *Clav. Cicer. voc. auctoritas.* R.

§. CXII.

Jurisconsultorum
hujus aetatis
re-sensus.

Contra ea quum PRUDENTVM, seu IURISCONSULTORVM permagnam hoc tempore auctoritatem fuisse dixerimus: (§. LII. sequ.) operae pretium fuerit, instituere hic illorum recensum, & quae de iis notatu digna videbuntur, veluti per lancem faturam memorare, eademque opera, quae BERN. RUTILIVS, IO. BERTRANDVS, GVIL. GROTIVS, VAL. FORSTERVS, GVIDO PANCIROLLVS, IAN. VINC. GRAVINA, similesque scriptores, vel praeter-

terviderunt, vel perperam tradiderunt, *
supplere atque emendare.

* Nulla historiae litterariae pars adhuc minus ex-
culta est, quam haec de vitis & scriptis veterum
jurisconsultorum. Nec omnes hi auctores ita ea
in re versati sunt, ut ocium fecerint posteris.
Bern. Rutilius vulgaria & incomperta saepe pro
veris attulit. Doctior Bertrandus, at in divinan-
do paullo audacior, nec ab erroribus immunis.
Minime omnium operae pretium fecit Val. For-
sterus, qui homo ad quasvis potius operas fordi-
das, quam ad scribendam juris historiam erat
condemnandus. Guido Pancirolus & Jan. Vinc.
Gravina breviter hanc rem exsequuntur: hic prae-
terea pleraque sublegit aliis, quae deinde miro
orationis flore solet vestire, aliquando etiam cor-
rumpere. Vere ergo reliquorum omnium industri-
am vicit magni Grotii frater Guil. Grotius, quam-
vis ne is quidem, quae est hominum infelicitas,
omnia viderit. H. Vitas Jctorum, quorum in
Ciceronis scriptis facta est mentio, breviter, sed ac-
curate, delineavit Cl. Ernesti in *Clav. Ciceron.* R.

§. CXIII.

Apud Pomponium jureconsultorum a-
gmien ducit PAPIRIVS, Pontifex Max. quem
Caji praenomen tulisse, & jus Papirianum,
paullo post exactos reges, compilasse, jam
supra notavimus. (§. XVI.) Excipit eum AP-
PIVS CLAVDIVS, *unus ex Decemviris, cujus*
maximum consilium in XII. Tabulis scribendis
fuit. l. 2. §. 36. D de orig. jur. Sed de eo quo-
que jam supra pleraque occupavimus *,
(§. XXV. sequ.) quibus jam id addimus,
quod Appius ille impotente libidine sua non

Inter hos
primi C.
Papirius
& App.
Claudius
Decem-
vir.

N

modo

modo sibi, sed & reipublicae maximum intulerit detrimentum, ac proinde coniectus in carcerem, dignum flagitiis suis supplicium morte voluntaria anteverterit, anno ab V. C. CCCVI. Liv. *Lib. III. Cap. 58.*

- * CLAVDII e Regillorum oppido oriundi, gente Sabini erant. Sueton. *Tiber. Cap. I.* Unde & Decemviro nostro nomen fuit APPII CLAVDII SABINI REGILLENSIS. Primus ex ea gente, quae Herculem, seu Deum Sancum Fidium auctorem generis ciebat, anno ab V. C. CCXLIX. Romam e Sabinis migraverat ATTIVS CLAVSVS, de quo Virgil. *Aeneid. VII. v. 706.*

*Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum
Agmen agens Clausus, magnique ipse agminis
instar,*

*Claudia nunc a quo diffunditur & tribus &
gens*

*Per Latium, postquam in partem data Roma
Sabinis.*

Agminis meminit Virgilius, quia ATTIVS ille vel ATTA domi impar adversae factioni, magna clientium comitatus manu, ab Regillo Romam transfugerat. Potentem adeo fuisse oportet hominem, quem advenientem Romani non modo civitate & agro donarunt, sed & inter patres adlegerunt, non multo post in principum dignatione futurum, Liv. *Lib. II. Cap. 16.* immo & Consullem anno ab V. C. CCLVIII. collega P. Servilio. Idem *Lib. II. cap. 21.* Fuit huic filius APP. CLAVDIVS SABINVS REGILLENSIS, Consul cum T. Quinctio anno ab V. C. CCLXXXII. plebi exercituique invisus, qui quum a suis desertus a Volscis vinceretur, suppliciis in centuriones, signiferos, gregariorumque decimum quemque saeviit, accusatusque ideo, antequam damnaretur, morbo decessit. Liv. *Lib. II. cap. 58. sequi.*

Huic

CAP. III. DE ST. IVR. A XII. TAB. AD AVG. 195

Huic filius fuit Decemvir, praecipuus juris, quod ex XII. Tabulis proficiscitur, auctor. H.

§. CXIV.

Subjungit his Pomponius alterum APPIVM CLAVDIVM *ejusdem generis*, quippe Decemviri abnepos, * quem CENTVMANI cognomen tulisse, maximamque scientiam habuisse ait. At quum alii eum CAECVM cognominent, mirum est, quantopere Criticis vapulet bonus Pomponius: quum tamen nihil impediatur, quo minus, qui Senex ob casum CAECVS dictus est, idem antea CENTVMANI cognomen habuerit. Bynkersh. *Praetermiss. ad Pompon. p. 85.* Centumanorum saltim, vel Centumalorum cognomen non ignotum fuisse in gente Claudia intelligimus ex Cic. *de Offic. III, 16.* & Val. Max. *Lib. VIII. Cap. 2. ex. 1.*

App.
Claudius
Caecus.
Ejus co-
gnomina.

* Ne decipiatur lector ab iis, qui hic miscent quadrata rotundis: dabimus operam, ut plures Appios distinguamus. En ergo schema genealogicum:

ATTA vel ATTIVS CLAVSVS, qui Regillo profugus, Romam cum magna clientium manu migravit, inter patricos adlectus, dictusque APP. CLAVDIVS. Consul anno V. C. CCLVIII. Plutarch. *in Poplic.* p. 108. Suet. *Tiber. Cap. I.* Tacit. *Annal. IV, 9. XII, 25.*

APP.-CLAVDIVS REGILLEN- C. CLAVDIVS, qui pertaefus
SIS Cof. anno ab V. C. flagitiorum Appii fratris filii,
CCLXXXII. Liv. *Lib. II.* Decemviri, Regillum remigra-
vit. Liv. III, 58.
Cap. 56.

APP. CLAVDIVS CRASSIVS, Decemvir, manus sibi ipse in-
tulit, anno ab V. C. CCCVI. Liv. III, 58.

APP. CLAVDIVS CRASSVS, Tribun. mil. Cof. pot. anno ab
V. C. CCCXXIX. Liv. *Lib. IV.* Cap. 35.

APP. CLAVDIVS CRASSVS, de cujus contentione cum Tri-
bunis pl. anno CCCLXXXV. Liv. *Lib. VI.* Cap. 40.

C. CLAVDIVS CRASSVS REGILLEN- SIVS, Cof. anno V. C.
CCCCIV. in magistratu deceffit. Liv. *Lib. VII,* 25.

APP. CLAVDIVS CAECVS, Pomponio CENTVMANVS, ICTus,
de quo hic agimus. *

* De gente *Claudia* consule Spanhemium de *Uf. &*
Praestant. numism. Dissert. X. Tom. II. p. 48. R.

§. CXV.

Ejus ho-
nores, res
gestae &
inventū.

Honores inverso fere ordine gessit, pri-
mum censor anno ab V. C. CCCCXLII.
quo tempore viam Appiam stravit; & aquam
Claudiam in urbem induxit: *l. 2. §. 36. D.*
de orig. jur. Liv. *Lib. IX; 29.* Ald. Manut.
Quaest. per Epist. I, 2. p. 181. Deinde anno
CCCCXLVI. & CCCCLVI. Consul; Liv.
Lib. IX. Cap. 42. & Lib. X. Cap. 18. insequente
Prae-

Praetor creatus est: Liv. *Lib. X. Cap. 22.* Senex luminibus orbis viribusque defectus, tamen & clientibus se dedit, & lectica delatus in Senatum sua potissimum oratione effecit, ut Pyrrhus Rex in urbem non admitteretur. *Epit. Liv. Lib. XIII. Plutarch. in Pyrrho p. 394.* Postremo Pomponius observat, eum litteram caninam in quibusdam vocabulis reperisse *, ut quum Romani testibus Varrone *de lingu. Lat. VI. c. 3. init.* & Quintiliano *Inst. Orat. I, 4.* antea pronunciarent *dolosem, eso, misesia, mesidie, melios, vapos,* postea *dolorem, ero, miseria, meridie, melior, vapor,* pronunciare mallent.

* Pomponius hac de re tam obscure loquitur, ut nescias, nofterne Appius, an alius, qui ab eo processit, litteram istam R. invenerit. Sed quum Cicero *Lib. IX. Epist. ad famil. 21.* disertè scribat, L. Papirium Crassum circa annum V. C. CCCCXV. primum deliisse vocari *Papifium*: non alii ejus inventi laus debere videtur, quam Appio Caeco, siquidem ejus pater jam anno CCCCVI. decesserat, filius vero tum nondum ejus fuit aetatis, ut ab eo tale quid proficisci potuisse videatur. Ceterum non credibile est, Appium ipsam litteram R. invenisse, quam ipsa *Romuli, Remi, Romae* vocabula praeferunt, quaeque in ipsis carminibus Saliaribus frequenter occurrit. Itaque in quibusdam tantum vocabulis, in quibus ipsa euphonia R. pro S. exigere videbatur, litteram caninam invexisse videtur Appius. In ipsis sane carminibus Saliaribus, in quibus mentio fit *Marmurii, Veturii*, similibusque, occurrunt etiam *musēs*, i. e. mures, *ruse*, i. e. rure, *plufima*, i. e. plurima, *melios*, i. e. melior. Add. Jo. Nic. Func. *de puerit. Lat. lingu. Cap. I. p. 193. & Cap. III. p. 243. H.*

§. CXVI.

Sempronii σοφῶν honores.

Fuit post eos, teste eodem Pomponio, maximae scientiae SEMPRONIVS, quem populus Romanus σοφὸν, id est, SAPIENTEM adpellavit, nec quisquam ante hunc aut post hunc hoc nomine cognominatus est, l. 2. §. 37. D. de orig. jur. At non fuit post Appium Sempronius, sed iisdem paene temporibus floruit, quippe consul creatus anno ab V. C. CCCCLXIX. cum P. Sulpicio, Liv. Lib. IX. Cap. 45. quocum etiam de Aequis eo anno triumphavit. Fast. Capitol. ad hunc ann. Anno porro ab V. C. CCCCLIII. Pontifex primus e plebe, & Censor, Liv. Lib. X. c. 9. & jam anno antecedente, M. Valerio Corvo, Dictatore, Magister Equitum factus est, ut conjicit Sigonius in Comment. Fast. ad an. 452. Et tamen vir consularis, censorius ac triumphalis praetura anno ab V. C. CCCCLVII. fuscipere non est dedignatus. Liv. Lib. X. Cap. 21.*

* Arguantur hic novi scriptores, observantes, (1) id nomen & posteris ejus haesisse: (2) non defuisse alias gentes, quibus insignis sapientiae gloria nobile ac perpetuum cognomen pepererit. Habere enim historiam *Atilium & Laelium SAPIENTES, Scipionem CORCVLVM: Sex. & P. Aelios CATOS*, denique *M. Porcium CATONEM* dictos, quae cognomina ab illo σοφῶν elogio non nisi sono differant; adeoque fallere Pomponium, dum *nec quemquam ante hunc, aut post hunc, hoc nomine cognominatum esse*, contendat. Sed ad prius respondetur, posteris id nomen haesisse tamquam hereditarium, at neminem eorum sibi id nomen virtute peperisse. Ad posterius, Pomponium

ponium id observasse de Graeco σοφῆ cognomine, quod in Graecia septem tantum viris, Romae soli post hominum memoriam P. Sempronio datum fit. Unde & SAPIENTIAE simulacrum in gentis Semproniae numis reperiri observat Rupertus *ad Enchirid. Pompon. p. 318*. Quae quum ita sint, adsentiri non possumus Reinesio, qui *ad Inscript. p. 36*. ipsum *Semproniorum* nomen a sapientia derivat, eosque *Sempronios* dictos putat, quasi σοφῶνας, atque inde & originem cognominis σοφῆ argute arcessit, quum tamen noster prius dictus sit Sempronius, quam σοφῆ cognomen ob ingenii praestantiam accepit, & jam pater P. SEMPRONIVS LONGVS; avus C. SEMPRONIVS LONGVS dicti sint. Rupert. *ibid.* H.

§. CXVII.

Vulgo eum uxori misisse repudium, perhibent, ob eam solam causam, quod ludos inconsulto se spectarit. Sed Plutarchus, qui *in Quaest. Rom. pag. 267. Tom. II. Edit. Francof.* id memoriae prodidit, diserte ait, id divortium fuisse tertium ab eo, quod fecerit Sp. Carvilius. Quum vero hic anno demum DXXI. * primus uxorem res suas sibi habere jufferit, noster autem eam aetatem non attigisse videatur: consequens profecto est, ut alius fuerit ille Sempronius σοφῆς, qui tam severa animadversione uxoris curiositatem ultus est. Jo. Guil. Hoffm. *de lege Jul. de adult. Cap. I. p. 22. sequ.* Certius est, filium habuisse nostrum ejusdem nominis, qui anno ab V. C. CCCCLXXXV. Consul de Picentibus triumphavit, *Fasti Capitol. ad hunc ann. & anno ab V. C. D. Censor lustrum condidit. Epit. Liv. Lib. XVIII.* N 4 * Ve-

An uxo-
rem lu-
dos spe-
ctantem
repudia-
rit.

* Veteres auctores, Dionysium, Valerium Maximum, & Gellium, inter quos de anno, quo Carvilius divortium ab uxore fecit, non convenit, optime conciliavit Dodwellus in *Chronolog. Graeco Rom. pro hypothef. Dionysii ad an. 521. aerae Caton. R.*

§. CXVIII.

Tiberius
Coruncan-
nius.

Proximus aetate fuit TIBERIVS CORVNCANIVS, quem primum omnium jurisprudentiam publice professum esse, diximus. (§. LIII.) Eum nihil scripsisse, ait Pomponius: addens tamen, diligenter eum de jure consulentibus respondisse: *l. 2. §. 38. D. de orig. jur.* ob quam juris scientiam dexteritatemque in respondendo eundem laudat etiam Cicero *de Orat. III, 15. & 33.* Consul fuit anno ab V. C. CCCCLXXIII. collega P. Valerio Laevino: postea creatus primus ex plebe Pontifex maximus* anno ab V. C. D. *Epit. Liv. Lib. XVIII.* obiit in extrema senectute (nam senibus, qui reipublicae pro fuerint, eum accenset Cic. *de Senect. Cap. VI.*) anno ab V. C. DIX. quippe quo ei in pontificatu surrogatum esse L. Caecilium Metellum, patet ex *Epitomatore Livii Lib. XIX.*

* Equidem primus ex plebe pontifex anno ab V. C. CCCCLIII. creatus est cum P. Decio Mure, C. Marcio Rutilio & M. Livio P. Sempronius Sophus: *Liv. Lib. X. Cap. 9.* at pontificatum maximum ad annum usque D. tamquam propriam sibi possessionem, retinuerant, eoque honore primus ornatus est Tib. Coruncanus, juris scientia non minus quam aliis virtutibus eam dignitatem meritus.

meritus. Nusquam sane sine laude ejus meminit Cicero. Nam de *Nat. Deor.* II, 66. eum adnumerat *singularibus viris*, quorum neminem, nisi juvante Deo, talem fuisse credendum sit. Libro de *Senectute* Cap. IX. ab eo jura civibus praescripta, ejusque usque ad extremum spiritum provectam esse prudentiam ait. In *Laelio* Cap. XI. laudat M. Curium & Ti. Coruncanium, & sanctissimos viros dicit. Alibi de *Orat.* III, 33. eum jungit P. Crasso illi veteri, & Scipionibus, quos vocat *prudentissimos homines*, qui omnes Pontifices maximi fuerint, ut ad eos de omnibus divinis atque humanis rebus referretur, quique iidem & in *Senatu*, & apud populum, & in causis amicorum, & domi, & militiae consilium fideque suam praestiterint. In *Bruto* porro Cap. XIV. observat, Coruncanium ex Pontificum commentariis longe plurimum ingenio valuisse videri. Denique in *Orat. pro domo sua* Cap. LIV. eum vocat *peritissimum pontificem*: ut alia ejus loca hic praetermittam. H.

§. CXIX.

In eundem censum Guil. Grotius de *Ju- reconf. Lib. I. Cap. 2.* refert L. CINCIVM ALIMENTVM *, qui quaesturam gessit anno DXXXIV. Praetoram Siciliae anno DXLIII. & bello in primis Punico secundo inclaruit, quo anno DXLIV. Cannensis exercitus reliquias duxit, Liv. *Lib. XXVII. Cap. 7.* captusque ab Hannibale, quantum is exercitum adduxerit in Italiam, ex ejus ore audivit. Liv. *Lib. XXI. Cap. 38.* Scripsit librum de OFFICIO IVRIS-CONSULTI, laudatum a Festo in voce *Subjici*, & praeter illum *Annales*, *Fastos*, de *comitiis*, de

L. Cincius Alimentus.

Coff. potestate, mystagogica, de verbis prifeis & de re militari, ex quibus reliquias haud contemnendas collegit, suaeque Sallustii editioni subjecit Cl. Waffius, cujus exemplum & Cortius postea est sequutus. Add. Voff. *de Hist. Gr. IV.* 13. & *Lat. I.* 4.

- * Celeberrima iis temporibus fuit gens Cincia, ex qua eodem fere tempore claruit L. Cincius Alimentus, Tribun. pl. anno ab V. C. DXXXIX. & L. Cincius Alimentus Aedilis plebis anno ab V. C. DXLI. nisi forte posterior idem cum nostro fuerit. Ast celeberrimus omnium M. Cincius M. F. Alimentus, cujus tribunatus nobilis fuit rogata LEGE CINCIA, (§. XCI.) de quo totaque gente Cincia plura Fridr. Brummer. *ad leg. Cinc. Cap. I. sequ. p. 2. sequ. edit. Paris. H.*

§. CXX.

P. Scipio
Nasica vir
optimus
a senatu
dictus.

Paullo minor natus, at eorumdem tamen temporum fuit PVBLIVS (non CAIVS, ut Pomponius vocat,) CORNELIVS SCIPIO NASICA*, qui anno ab V. C. DXLVIII. adolescens nondum Quaestorius VIR OPTIMVS a Senatu adpellatus est, dignusque habitus, qui matrem Deum Ostiam advectam exciperet. *l. 2. §. 37. D. de orig. jur. Liv. Lib. XXIX. Cap. 14. Valer. Max. Lib. VIII. Cap. 15. ex. 3. Excerpt. Peiresc. p. 381. & 606.*

- * Quum facillima sit in tot Scipionum rebus gestis errandi occasio: praeclare sane de republica literaria meriti sunt viri docti, & in his Christoph. Ad. Rupert. *ad Pomp. Enchirid. p. 323.* dum accuratum Scipionum stemma confecerunt, ex quo nos brevem hanc tabulam excerptimus:

L. COR-

L. CORNELIVS L. F. CN. N. SCIPIO Cof. anno ab V. C. CCCCLXXXIV. de Poenis, Sardis & Corfis triumphavit.

P. CORNEELIVS L. F. L. N. SCIPIO Cof. anno DXXXV. qui primus cum Hannibale minus prospere sub Alpihus confligit. Flor. II, 6.

P. CORNELIVS P. F. L. N. SCIPIO AFRICANVS, victor Hannibalis.

CN. CORNELIVS L. F. L. N. SCIPIO CALVVS, Cof. anno ab V. C. DXXXI. cum fratre in Hispania occubuit.

P. CORNELIVS CN. F. L. N. SCIPIO NASICA, jurisconsultus, *vir optimus* a Senatu cognominatus.

P. CORNELIVS P. F. CN. N. SCIPIO NASICA, CORCVLVM dictus Cof. anno DXCI. & DXCVIII. H.

§. CXXI.

Praetor anno DLX. rem bene ac prospere gessit in Hispania, & insequente anno pro Praetore Lusitanos paene perdomuit. Liv. *Lib. XXXV. Cap. I.* Creatus deinde consul, anno DLXII. Bojos ad interneccionem cecidit, de iisque triumphum egit pulcherimum. Liv. *Lib. XXXVI. Cap. 37. sequ.* Petenti anno ab V. C. DLXVIII. censuram Cato praelatus est. Liv. *Lib. XXXIX. Cap. 40.* Sed tanto honorificentius de eo fuit iudicium populi, quando ei publice domus in sacra via data est, quo facilius consuli posset. *l. 2. §. 37. D. de orig. jur.* Filius ipsi fuit, cum aliarum virtutum, tum jurisprudentiae laude patris simillimus, & sive ob sapientiam, sive ob

Ejus honores, res gestae, filius.

ob communem civium amorem CORCV-
LVM adpellatus, qui anno V. C. DXCI. &
DXCVIII. consul fuit, & gravem de Car-
thagine non delenda sententiam in Senatu
dixit*.

* Equidem patri P. Scipioni Naficae, quem *virum
optimum* adpellatum diximus, hanc orationem
tribuunt Diodor. Sic. in *Excerpt. Péiresc.* p. 382.
& *Epitomator Livii Lib. XLIX.* Sed quum haec
contigerint anno ab V. C. DCII. ad id vero tem-
pus vix adyixisse videatur P. Scipio Nafica, qui
jam anno ab V. C. DLX. praeturam gesserat, fili-
us contra hoc ipso tempore aetate non minus,
quam auctoritate, rerumque gestarum gloria flo-
reret: adfentiri non dubitaverim Ruperto, exi-
stimanti, filium, P. Scipionem Corculum gravem
illam sententiam in Senatu dixisse. Vid. Rupert.
ad Pompon. Enchirid. p. 325. H. Scipio *Cor-
culum*, hoc est, *Sapiens*, Censuram gessit anno
595. ut docet Plin. *Hist. Nat. Lib. XXXIV. c. 6.*
& in magistratu, statuas circa forum omnes eo-
rum, qui magistratum gesserant, sustulit, exce-
ptis his, quae populi, aut senatus sententia essent
statutae. Idem *Lib. VII. c. 60.* Scipio Nafica,
(Censor) inquit: *primus aqua divisit horas aequae
noctium ac dierum. Idque horologium sub tecto
dicavit, anno urbis DXCV. Tandiu populi Ro-
mani indiscreta lux fuit.* Haec ideo adscripsi, ut
& de urbis magnificentia, & horarum observa-
tione, his temporibus iudicium fieri possit. R.

§. CXXII.

An & Q.
Mucius
eorum
temporū
Ictus.

Dubiae sanitatis est locus Pomponii l. 2.
§. 37. *D. de orig. jur.* ubi horum temporum
jurisconsultis accenset Q. MVCIVM quem-
dam, quem legatum ad Carthaginenses mis-
sum,

sum, ex duabus tesseriis positis, una pacis, altera belli, dato arbitrio, utram vellet, Romanam referret, utramque ait fustulisse, addita causa, Carthaginienfes petere debere, utram accipere mallent. Ut enim jam non dicam, rem ab aliis multo aliter narrari: Liv. *Lib. XXI*, 18. Florus *Lib. II. Cap. 6*. Gell. *Lib. X. Cap. 27*. Sil. Ital. *Lib. II. v. 382. sequ.* nemo veterum in ea legatione Q. Mucium fuisse refert, sed id uno ore tribuunt Q. FABIO MAXIMO, qui deinde *Cunctatoris* nomen meruit. Eum vero Fabium jurisprudentiam reliquis laudibus suis adjunxisse, ego quidem nusquam reperio. *

* Probabile tamen est, Pomponium scripsisse Q. Maximum, idque postea librariorum perperam mutasse in Q. Mucium. Rupertus *ibid.* Q. vero Fabium juris peritum fuisse idem Rupertus probat loco Ciceronis *de Senectute Cap. IV.* ubi Cato de Fabio: *Nec vero ille, inquit, in luce modo, atque in oculis civium magnus, sed intus domique praestantior. Qui sermo? quae praecepta? quanta notitia antiquitatis? quae SCIENTIA IVRIS? augurii?* At male interpungere videtur Rupertus. Cato enim non laudat Fabii scientiam juris, sed scientiam juris augurii, vel auguralis, quae & in juris imperitum cadebat. H.

§. CXXIII.

Iisdem paene temporibus jurisprudentiae laude floruerunt duo fratres celeberrimi, P. AELII PAETI CATI, quorum alterum juris Aeliani auctorem fuisse, supra vidimus. (§. XLIX.) PVBLIVS anno V. C. DXLIX.

P. Aelius
Paetus.

DXLIX. Aedilis plebis, ac insequente anno Praetor, Liv. *Lib. XXIX. Cap. 38.* anno DLI. Magister Equitum C. Servilii Gemini Dictatoris, Id. *Lib. XXX. Cap. 39.* sequente Consul, Liv. *Lib. XXX. Cap. 40.* biennio post Censor creatus, Idem *Lib. XXXII. Cap. 7.* pestilentia periit anno ab V. C. DLXXIX. Liv. *Lib. XLI. Cap. 21.*

§. CXXIV.

Sex. Aelivus Catus.

SEX. AELIVS PAETVS CATVS per eosdem fere honorum gradus decurrens itidem ad consulatum & censuram pervenit, quorum illum anno DLV. Liv. *Lib. XXXII. Cap. 8.* hanc anno DLIX. ab V. C. gessit cum collega C. Cornelio Cethego*. Liv. *Lib. XXXIV. Cap. 43.* & *Lib. XXXV. Cap. 3.* De ejus *Tripartitis* supra diximus. (§. XLIX.) Addit Pomponius *l. 2. §. 38. D. de orig. jur.* ei & alios libros, sed dubiae auctoritatis, tribui. Eruditorum manibus vel maxime trita videntur *Tripartita*, tamquam insigne juris universi systema, quo & Cicero usus videtur, dum *Lib. VII. ad famil. Epist. 22.* tractat quaestionem juris, *possetne heres, quod furtum antea factum esset, recte furti agere?*

* Refert Plin. *Hist. Nat. Lib. XXXIII. cap. 11.* Aelium Catum L. Aemilii Paulli, qui Perseum, Macedoniae regem vicerit, generum fuisse, eumque quum legati Aetolorum, in consulatu praeudentem in fictilibus adiissent, oblata ab his vasa argentea non accepisse, neque aliud habuisse argenti ad supremum vitae diem, quam duo pocula,

cula, quae L. Paullus, focer, ei ob virtutem donasset. Sed L. Paulli gener *Q. Aelius Tubero* fuit, non *Sex. Aelius Catus*. Illum ob virtutem navatamque in bello Macedonico operam generum sibi delegerat Aemilius. Plutarch. *in-Paull.* p. 257. *Edit. Francof.* At Aelius iste, Paulli gener, nec Cati cognomen tulit, nec umquam Consul fuit, sed vir optimus ac continentissimus, *ὁ μεγαλύτεροπρεπέστατος Ῥωμαίων πένια χρησάμενος*. *ἔ* qui omnium Romanorum magnificentissime paupertatem tulit, ceu loquitur Plutarchus. Recte id monuit Rupertus, quum Corasius, Hotomanus, & Jo. Bertrandus, Plinii sequuti auctoritatem, perperam haec omnia ad *Sex. Aelium Catum* referant. H.

§. CXXV.

Jungit Pomponius Aeliis fratribus **P. ATILIVM**, quem primum **SAPIENTEM** a populo cognominatum scribit *d. l. 2. §. 38. D. de Orig. jur.* Quamvis vero celeberrima Romae fuerit *Atiliorum* familia, multisque imaginibus illustis, de qua praeclare meritus est *V. C. Jac. Perizonius Animadv. Hist. Cap. I. p. 26.* ubi & stemma Atiliorum dedit: Ruperto tamen hic parum accuratus videtur Pomponius, quippe qui *P. Atilium* nobis obtrudat pro **L. ACILIO**. De hoc sane Cicero *de Amicit. Cap. II. Scimus L. Acilium*, (ita enim habent libri optimi,) *apud patres nostros adpellatum SAPIENTEM, quia prudens esse in jure civili putabatur.* Et *Lib. II. de Legib. Cap. 23.* iterum vocat *L. Acilium*, eumque jungit *Sex. Aelio*. Attamen res & etiamnunc incerta est, & jam olim inter has gentes de hoc juris-

consul-

L. Acilius
an P. Atilius,
Sapiens.

consulto certamen fuisse videtur *. Quaedam ad XII. Tabulas scripsisse hunc five Atilium, five Acilium, jam supra observavimus. (§. XXXI.)

* In *Aciliae* gentis denariis Janus bifrons, prudentia sapientiaeque signum, conspicitur apud Patin. *de famil. Rom.* p. 3. At idem *χάραγμα* & in *Atiliae* gentis numis p. 42. reperimus. Si ergo verum est, hoc esse signum sapientiae vel prudentiae, a quo majorum quis cognomen tulerit, facile est ad existimandum, de eo gentium suarum decore inter utramque certatum esse. H. Bene monet Auctor, rem de *Atilio* & *Acilio* incertam esse. Optimi enim libri, & manu exarati, & impressi Ciceronis, de *Amicit.* c. 2. habent, *Atilius*: quam lectionem cur amplecti nolint viri docti, mirari satis non possum. De *Sapientis* cognomine videndus Gellius *Lib. IV. c. 1.* qui docet, veteres, juris magistros, appellasse sapientes. R.

§. CXXVI.

Ser. Fabius Pictor & Q. Fabius Labeo. Eorumdem temporum jurisconsultis Grotius *de Jurisconsf. Lib. I. Cap. 4.* adnumerat SER. FABIVM PICTOREM, quem *juris, & litterarum, & antiquitatis peritissimum* fuisse testatur Cicero in *Bruto Cap. XXI.* Unde existimari posset, Ciceronem haec scribentem in animo habuisse Q. Fabium Pictorem, Annalium scriptorem, cujus fragmenta in Cl. Waffii *Sylloge* primum statim locum obtinent. Enimvero, quum non Quintum illum vocet, sed Servium, & hunc M. Porcio Catone natu paullo minorem fuisse, observet:

vet: magis est, ut ex filiis ejus aliquem intelligamus, de quo tamen altum alioquin in historia Romana silentium est. Celebrior Q. FABIVS LABEO, Quaestor anno ab V. C. DLVII. Liv. *Lib. XXXIII. Cap. 28.* septimo post anno Praetor, Liv. *Lib. XXXVII. Cap. 47. & 50.* anno porro DLXX. Consul, Liv. *Lib. XXXIX. Cap. 45.* demum triennio post Pontifex. Id. *Lib. XL. Cap. 42.* Eum iisdem paene laudibus, ac Ser. Fabium Pictorem, exornat Cicero *in Bruto Cap. XXI.*

§. CXXVII.

T. MANLIVM, A. F. T. N. TORQVATVM *juris civilis & sacrorum pontificalium*, teste Valerio Maximo *V, 8, 3. peritissimum*, consulem cum Cn. Octavio anno ab V. C. DLXXXVIII. fuisse, observat Cicero *de Finib. 1, 7.* * simulque refert, eum filium compertum repetundarum judicio domestico damnasse, & in conspectum suum venire vetuisse. Addit Valerius, quum filius tam tristi perculsus sententia suspendio vitam finiisset, eum ne exsequiis quidem adolescentis interfuisse, sed tum maxime, quum funus efferretur, consulentibus vacuas aures commodasse. *Epit. Liv. Lib. LIV.*

T. Manlius Torquatus.

* Gentilitium id fuit genti Manliae, saevire in suos, iisque nullius delicti gratiam facere. Hinc *Manliana imperia* illo etiam tempore horrenda, exempli semper tristic in posterum fuerunt. Liv. *Lib. VIII. cap. 7. & IV, 29.* De acerbitate L. Manlii in filium, nullius probri compertum, un-

de Imperiosi nomen tulit, idem videndus Liv. *Lib. VII. cap. 4.* Noster ergo Titus tertium dedit tam inusitatae severitatis exemplum. *Titus*, inquam, nam mendum in praenomine est apud Ciceronem. Quem enim exemplaria Ciceronis omnia *Lucium* vocant, ei *Fasti Capitolini*, his in rebus accuratissimi aequae, ac Valer. Maximus & Livii Epitoma, *Titi* praenomen tribuunt. Graviore multo errore Colerus *in Notis ad Valer. Max. Manilium* hunc confundit cum *Manilio*, jurisconsulto, de quo paullo post. Quem errorem errat etiam Bernard. Rutil. *in vit. Jct. XV, 21.* ideo jure notatus a Guil. Grotio *de vit. Jct. I, 4. H.*

§. CXXVIII.

M. Marcii-
Figvli-
tus.

Eidem Valerio Maximo debemus notitiam C. MARCII FIGVLI, qui circa annum DCXX. *juris civilis studio celeberrimus fuit.* At istius professionis, tamquam infructuosae eum pertaesum est, quum petens consulatum repulsam tulisset. Nam istius ignominiae dolorem non ferens, quum ad eum postero comitiorum die multi consulendi causa confluxissent, omnes rerum suarum incertos dimisit, praefatus: *At vos consulere scitis, consullem facere nescitis.* Valer. Max. *Lib. IX. Cap. 3. ex. 2.* qui auctor hoc subjungit iudicium: *Dictum graviter & merito: sed tamen aliquanto melius non dictum.*

§. CXXIX.

M. Porci-
us Cato,
Censori-
us, pater.

Qui iisdem temporibus floruit, totumque paene saeculum doctrina prudentiaque illustravit M. PORCIUS CATO Quaesturam gessit

CAP. III. DE ST. IVR. A XII. TAB. AD AVG. 211
 gessit anno ab V. C. DXLIX. Liv. Lib. XXIX.
 Cap. 25. Praeturam anno V. C. DLV. Liv. Lib.
 XXXII. Cap. 7. Consulatum triennio post,
 Liv. Lib. XXXIII, 28. a quo tempore bel-
 lum in Hispania prosperrime gessit, censu-
 raque anno DLXIX. severissime acta, Liv.
 Lib. XXXIX, 41. sequ. anno demum ab V. C.
 DCIV. L. Marcio & M. Manilio Coss. octu-
 agenario major decessit. Cic. in Bruto Cap.
 XV. *Et tam versatile ingenium pariter ad omnia
 fuit, ut natum ad id unum dixisses, quodcumque
 ageret. In bello enim manu fortissimus, multisque
 insignibus clarus pugnans, idem, postquam ad ma-
 gnos honores pervenit, summus imperator, idem in
 pace, si quis jus consuleret, peritissimus, si causa
 agenda esset, eloquentissimus fuit.* Quales lau-
 des in eum tanquam ex compacto conge-
 runt Liv. Lib. XXXIX. Cap. 40. Cic. de Orat.
 I, 37. III, 33. Cornel. Nep. Caton. Cap. III.
 Quinctilian. Inst. Orat. XII, 3. Valer. Max.
 VIII, 7. ex. I. *

* Raro fane inter mortales exemplo M. ille Porci-
 us Cato in omni artium scientiarumque genere
 eminuit, bonus Imperator, bonus Censor, Con-
 sul, Praetor, optimus ac fere eximius Jurecon-
 sultus, Orator facundissimus, historiae omnisque
 antiquitatis, si quis alius, peritissimus, agricola
 insignis. Senex & Graecas litteras didicit, tanto
 ardore animi, ut diuturnam sitim explere velle
 videretur. Cic. de Senectute Cap. I. Lib. IV. Acad.
 Quaest. Cap. 2. Idque eo magis mirandum, quod
 nullo subsidio adspiravit ad rempublicam, sola-
 que virtute ad summa enixus est. Unde Plutarch.
 in Cat. Maj. p. 353. Ed. Francof. *Ὁ δὲ Κάλων οὐκ
 πολὺν χρόνον τὴν μικρὰν καὶ διαίτην ἀγροικίαν δοκῶντος φέροντος*

ἀφῆκεν ἑαυτὸν ὡσπερ εἰς πέλαγον ἀχανὲς. τὴν δὲ ἐν Ῥώμῃ πολιτείαν. *Cato vero ex oppidulo exiguo ἐστὶν vitae genere, quod rusticanum videbatur, in rempublicam Romanam sese, tanquam in vastum pelagus, praecipitavit.* Addit, non tum fuisse eam tempora, quae Curios, Fabricios, Hostilios, aliosque ab aratro pauperes, ad magistratus & rostra admiserit, sed Romam jam claritati familiarum, divitiis, largitionibus & prensationibus adfuefactam, honores petentibus novis hominibus insultasse. Denique & id miratur Plutarchus, quod Cato, quum omnes paene civitatis potentissimos & primos haberet adversarios, & ad senectutem usque instar athletae decertarit, conservaverit se incolumem, non alio tutus praesidio, quam τῷ λόγῳ, id est, eloquentia, ἢ δικαιότερον ἢ τις, ἢ τύχη ἢ δαίμονι ἢ ἀνδρὸς, τὸ μὴδὲν παθεῖν παρ' ἀξίαν, ἀνατιθείη. *Cui verius, quam casui vel fortunae ejus, quod illaesa semper permanserit dignitate, acceptum referas.* Meretur tota Catonis vita a Plutarcho scripta, ejusque in primis & Aristidis comparatio legi, quippe qua Catonem omnes magni viri partes implevisse, & Aristidem longo post se intervallo reliquisse, luculentissimis argumentis demonstratur. H. M. Catoni, ob eloquentiam, Demosthenis cognomen impositum fuisse, tradit Diodorus in *Excerpt. Peiresc. pag. 383. R.*

§. CXXX.

Ejus opera.

Opera varii argumenti, ab eo scripta, veteres laudant quam plurima*, ex quibus & hodie integrum extare creditur illud *de re rustica*. Ex ejus vero *Originibus*, librisque *de re militari*, *de liberis educandis*, *de moribus*, *praeceptis ad filium*, *epistolis*, *orationibus*, fragmenta, quae supersunt, cum cura collegit Waffius. Laudantur & ejus **COMMEN-**
TARII

TARII IVRIS CIVILIS a Festo ; oratio de DOTE a Gellio *Noct. Attic. X, 23*. Denique eum & RESPONSA novo more, expressis personarum nominibus, edidisse, observat Cicero de *Orat. II, 33*.

* De operibus vero juridicis Catonis, ut & aliis, quae Catoni tribuuntur, veluti regula Catoniana, non satis exploratum est, patri, an filio, sint attribuenda. Nec mirum, quum eadem utriusque sint nomina, & eadem uterque jurisprudentiae laude floruerit. Quamvis etiam veteres omnes, & in his Plutarchus *in Catone Maj. pag. 351*. eum de *re rustica*, scripsisse, testentur; de eo tamen, quod hodie exstat sub Catonis nomine, opusculo, sitne vere M. Porcii Catonis, an alterius, non sine ratione ambigitur. Vid. V. C. Joan. Matth. Gesneri *praesat. scriptoribus rei rust. praemiss. pag. I. sequ. H.*

§. CXXXI.

Filium Cato sustulerat sibi *ὄμνηνον*, M. M. Porcius
 PORCIUM CATONEM, iisdemque virtutibus in toga sagoque insignem*. Rei militaris specimina bello Macedonico tam praeclara dederat, ut L. Aemilius Paullus eum sibi generum ultro deligeret. Juris vero civilis scientia omnes ejus aetatis viros doctissimos superavit, egregiosque de juris disciplina liberos reliquit. Gell. *Noct. Attic. XIII, 18. l. 2. §. 38. D. de orig. jur.* Exstinctus est vi-
 vo patre, & Praetor jam designatus anno ab V. C. DC. Et is unus casus concussisse dicitur intrepidum animum Catonis patris, Cic. *de Senect. Cap. XXIII.* quem ideo hujus

M. Porcius
 us Cato
 filius.

filiū sui saepe in scriptis suis cum laude meminisse refert Plutarch. in *Cat. maj.* p. 351. *Edit. Francof.*

- * Quum plures Catones in historia Romana occurrant, quorum facilis est confusio: non ingratum lectori fuerit, totam illam gentem in schemate contemplari. Et quamvis illud concinnare jam coeperit Gell. *Noct. Attic. XIII*, 18. & inde sua sumferit Guido Pancirol. *de clar. Leg. interp. I*, 8. p. 27. licebit tamen illud hoc modo supplere. (‡) H.

§. CXXXII.

Ejus scripta.

Quamvis vero patris filiique scripta saepe confundi videantur: filio tamen, quae Catoni in jure nostro tribuuntur *, pleraque deberi existimamus, veluti REGVLAM CATONIANAM, l. 1. D. de reg. Cat. & quae ex Catonis libris proferuntur de adoptione servorum, §. 12. *Inst. de adopt.* de servo mutilo morbofo, l. 10. §. 1. D. de Aedil. Edict. de focero a genero instituto herede, l. 44. pr. D. *solut. matrim.* de poena certae pecuniae promissa, si quid aliter factum sit, l. 4. §. 1. D. de verb. obl. de mense intercalari, l. 98. §. 1. D. de verb. signif.

- * Laudatur Cato saepius, sed ita, ut ejus libri Ulpiani & Paulli temporibus non amplius videantur existisse. Hinc formulae: *Apud Catonem bene scriptum*, REFERT ANTIQVITAS: §. 12. *Inst. de adopt.* *Catonem scribere* LEGO. l. 10. §. 1. D. de Aedil. Edict. *Nerva & Cato responderunt, ut est* RELATIVUM *apud Sextum ab Aristote.* Sic aliena fide citant Catonem. Semel Paullus l. 4. §. 1. D. de verb.

M. PORCIUS CATO CENSORIVS natus
 anno 519. Quaestor anno 549. Praetor 555.
 Consul 558. Censor anno 569. obiit anno V.
 C. 605. sexto & octuagesimo aetatis anno.

M. PORCIUS M. F. CATO
 jureconsultus, Praetor jam de-
 signatus deceffit vivo patre, an-
 no ab V. C. 600. matrem habuit
Liciniam.

M. PORCIUS M. F. M. N.
 CATO, insignis orator, Cof.
 anno 635. cum Q. Marcio, A-
 fricam fortitus, in magistratu
 ibi deceffit.

M. PORCIUS M. F. M. N.
 CATO, Aedilis, ipse quoque
 in Africa deceffit.

M. PORCIUS, M. F. CA-
 TO SALONIANVS, id
 cognomen adeptus a Salonio,
 patris scriba, cujus ille filiam
 fecundis nuptiis domum du-
 xerat. Plutarch. *in Cat. Maj.*
p. 351.

L. Cato M. Cato, — Livia, M.
 Tribu- Livii
 nus pl. Drusi fi-
 Praetu- lia, nupta
 ram pe- postea.
 tens de-
 cessit.

Q. Servilio
 Quaestori,
 occiso bel-
 lo Sociali
 663.

L. Lucullus — Porcia fo-
 ror ger-
 mana
 Catonis
 Uticen-
 sis.

L. Lucullus.

M. PORCIUS M. F.
 M. N. CATO Uticen-
 sis, maritus (1) Lepidae:
 (2) Atiliae: (3) Horten-
 siae.

Q. Ser- Servilia
 villius foror
 Caepio Catonis
 Catonis uterina,
 frater u- impudi-
 terinus. ca a
 Plut. Caesare
 Filia. amata.

M. Bru-
 tus a
 Pompejo
 interfe-
 ctus.
 Plutarch.

M. Porcius Cato
 in acie ad Philippos
 occubuit. Plutarch.

Filius
 alter.
 Plutarch.

Filia,
 cujus
 mem.
 Plut.

Porcia, quae se
 crudeliter in-
 teremit occi-
 so marito
 Bruto.

Bibulus.
 Plut. quo
 mortuo nupit.

Bibulus.

Bruto
 Caesaris
 interfectori.

verb. oblig. citat Catonis librum XV. sua, an aliena fide, non facile dixerim. H.

§. CXXXIII.

C. LIVIVS C. F. MAMILIANVS DRV-
SVS Consul anno ab V. C. DCVI. collega
P. Cornelio Scipione eo potissimum nomine
laudatur, quod senex, oculis captus, viri-
busque defectus, consulentibus non minus
de jure responderit, quum, quorum res ef-
set, sua ipsi non videntes, coecum adhibere
ducem non dubitarent. Cic. *Tusc. Quaest. V, 38.*
Valer. Max. *VIII, 7.* Addit Valerius, eum
utilissima monimenta, oculorum licet acie
destitutum, composuisse, quae saltim in P.
Juventii Celsi manus videntur incidisse. Nam
Drusum hic laudat *l. 38. §. 1. D. de act. emt. vend.*

C. Livius
Mamilia-
nus Dru-
sus.

§. CXXXIV.

Venio nunc ad triumviros, qui *jus civile*
fundasse dicuntur a Pomponio *l. 2. §. 39. D.*
de orig. jur. Horum Princeps P. MUCIVS
P. F. Q. N. SCAEVOLA ex ea gente ortus
est, quae jurisprudentiam pro gentilitio bo-
no habuit, pluresque patriae dedit juriscon-
sultos eximios*. Noster anno ab V. C. DCXX.
Consul fuit, collega L. Calpurnio Pisone Fru-
gi, Vell. Paterc. *Hist. II, 2.* Gruter. *Inscript.*
p. 202. & sequ. biennioque post, quum Crassus
occubuisset, pontificatum maximum est ade-
ptus. Cic. *Lib. XII. ad Attic. Epist. 5. de Orat. II,*
12. de Nat. Deor. III, 2. pro domo Cap. LIII. De-
nique eum phthiriasi extinctum esse, tradit
Plutarch. *in Sulla p. 475. Ed. Francof.*

P. Muci-
us Scae-
vola.

* Magnam ergo gratiam ab historiae studiosis iniiit Rupert. *ad Enchir.* p. 389. *sequ.* quod plures Mucios, quos juris scientia nobilitavit, accurate distinxit. Nos ex ejus schemate pauca haec decerpimus:

P. MUCIVS SCAEVOLA.

Q. MUCIVS P. F. SCAEVOLA praetor anno 538. Sardiniam fortitus est. Liv. XXIII, 24. 30.

Q. MUCIVS Q. F. P. N. SCAEVOLA praetor anno V. C. 574. Liv. XL, 44. *Cof.* anno 579. cum S. Postumio.

Q. MUCIVS. Q. F. Q. N. SCAEVOLA, Augur, *Cof.* anno ab V. C. 936. cum L. Metello. *Grut. Inscr. p. CCIV.* Vixit adhuc L. Luculli temporibus. Val. Max. III, 8. *ex. 5.* Jctus egregius, quem Cicero audivit.

Mucia uxor L. Licinii Crassi, oratoris. Mucia, de qua Cicero *in Bruto Cap. LVIII.*

Licinia nupta P. Cornelio Scipioni Nasicae. Cic. *in Bruto Cap. LVIII.*

P. MUCIVS Q. F. P. N. SCAEVOLA praetor 574. Liv. XL, 44. *Cof.* 578. cum M. Aemilio Lepido. Liv. XLI, 19. eodem anno triumphavit de Liguribus.

P. MUCIVS. P. F. Q. N. SCAEVOLA Pontifex Max. Jct. de quo Pomponius. *l. 2. §. 39. D. de Orig. jur.*

Q. MUCIVS. P. F. P. N. SCAEVOLA Consul anno 658. Asiae proconsulatu gesto celeberrimus, ob quem Mucia festum diem instituerunt Asiatici. Cic. *Verr. II,* 21. Jctus celeberrimus, de quo *l. 2. §. 41. D. de orig. jur. Verr.*

P. LICINIVS P. F. P. N. adoptatus a P. Licinio Crasso, ac proinde dictus MUCIANVS ab origine, LICINIVS CRASSVS a patre adoptivo. Consul anno 622. Pontifex Max. & Jctus celeberrimus, de quo *l. 2. §. 40. D. de orig. jur.*

§. CXXXV.

Reliquisse a Pomponio dicitur DECEM LIBELLOS, l. 2. §. 39. *D. de orig. jur.* ex quibus dubio procul decerpta sunt, quae ex hujus Scaevolae monumentis adferunt non modo Cicero *Topic. Cap. IV. & Lib. VII. ad familiar. Epist. 21.* sed & juriscontulti nostri l. 66. pr. *D. solut. matr. l. 17. D. de legation. l. 4. D. de capt. & postlim. **

Ejus scripta.

De senectute de fort. l. 2. de capt. l. 4. de legation. l. 4. de postlim. l. 17.

* Neque tamen crediderim, P. Scaevolae opera adhuc exstitisse tempore Jurtorum, qui illa laudant. Nam Javolenus l. 66. pr. *D. sol. matr.* quae de P. Scaevolae sententia memorat, vel ex Labeone, vel ex Servio, quem ibi testem citat, videtur exscripsisse. Pomponius l. 17. *D. de legation. Q. Mucium* sequutus est. Modestinus denique l. 4. *D. de capt. & postlim.* quae ibi de P. Scaevola habet, ex Pomponio haurire potuit. H.

§. CXXXVI.

Alter ex hac triga M. IVNIVS BRVTVS, vir praetorius, l. 2. §. 39. *D. de orig. jur.* quem Cicero in *Bruto Cap. XLVII. in jure ante alios summum evasisse* ait, *ibidemque Cap. XXXIV. vocat virum optimum & jurisperitissimum*, in eo tamen paullo infeliciorem, quod filium reliquerit gentis suae dedecus, vulturem togatum, accusatorem vehementem & molestum, & qui opes paternas turpiter disperdiderat. Cic. *ibid. & de Orat. II, 55.* Reliqua fere ignoramus, nisi quod eum temporibus Gracchanis floruisse constat.

M. Junius Brutus.

§. CXXXVII.

Ejus li-
bri.

Librorum de jure civili a Bruto scriptorum septem numerat POMPONIVS, *d. l. 2. §. 39. D. de orig. jur.* quamvis Ciceronis aeo tres tantum DE IVRE CIVILI libri pro genuinis habiti videantur*. *Cic. de Orat. II, 55.* Ex iis quaedam, quae ad edictum potissimum pertinuerunt, notis vel stricturis suis illustrasse videtur SER. SVLPICIUS: *l. 2. §. 44. D. de orig. jur. l. 5. §. 1. D. de instit. actione*, nisi forte, quod alii suspicantur, eos libros Bruto potius cuidam nuncuparit. (§. LXXIV. *) Bruto vero nostro, tamquam eximio juris auctori, testimonium frequenter denunciant Cicero *de Finib. l. 4. Lib. VII. ad famil. Epist. 22. Gell. Noct. Attic. VII, 15.* & jurisconsulti nostri, *l. 68. pr. D. de usufr. l. 27. §. 22. D. ad leg. Aquill. l. 13. pr. D. de in diem addict. l. 3. §. 3. D. de adqu. vel amitt. possess. l. 4. D. de capt. & postl.*

* Verosimile est, mendum irrepisse in Pomponii *Enchiridion*, & acute suspicatur V. A. Corn. van Bynkersh. *in Praeterniss. p. 67.* transpositis vocabulis legendum esse: *Brutus tres: Manilius septem*: quale quid in mentem venit etiam Joanni Bertrando *de Jurisperit. II, 6.* Ceterum Brutum quoque his libris suis intexere solitum esse responsa, & quidem expressis personarum nominibus, (§. CXXX.) observat Cicero *de Orat. II, 33.* Quod institutum probandum, an reprehendendum sit, disquirat Guil. Grot. *de Vit. Jurisc. I, 5. H.*

§. CXXXVIII.

M. Mani-
lius.

Tertius M. MANILIVS P. F. P. N. (ita enim scribendum id nomen, non littera duodecima

decima MAMILIVS, uti hoc nomen ubique emendari jubet Petr. Victor, *ad Varron. de re rustic. II, 3. 5.* *) ~~P. F. P. N.~~ vir consularis, quippe qui fasces anno ab V. C. DCIV. collega L. Marcio Censorino tenuit. *Fast. Consul. adh. ann.* quum antea Praetor cum Lusitanis bellum parum prospere gessisset. Appian. *Iberic. p. 286. Edit. Stephan.* ac ne Consul quidem Carthaginem feliciter oppugnasset. *Epit. Liv. Lib. XLIX.* At tanto illustrior toga, non modo consulentibus totum se dedit, eorumque commodo transverso foro quotidie obambulavit, ut sui consulendi copia esset omnibus: verum etiam domi suae, quam mediocrem in Carinis habebat, omnes & de jure civili, & de filiabus elocandis, fundis emendis, agro colendo, deque omni officio negotioque consulturos admisit: Cic. *de Orat. III, 33.* pauperem tamen fuisse, testatur Cicero *Paradox. VI, 3.*

* Hoc audacior Val. Forsterus in *Hist. Jur. II, 21.* eum vocat *M. Manlium*, quum Marci praenomen in gente *Manlia*, ob M. Manlii Capitolini supplicium, lege familiae quasi proscriptum esset, *Liv. Lib. VI. cap. 20.* immo sub finem istius capituli illum confundit cum *T. Manlio Torquato*, de quo supra differuimus: (§. CXXVII.) accurate refutatus a Ruperto *ad Pompon. Enchirid. III, 5. H.*

§. CXXXIX.

Reliquit DE IVRE CIVILI libros, si Ejus
vulgarem scripturam in Pomponio servan- opera.
dam

dam credimus, tres, fin Ampliffimi Bynkershoekii conjecturam (§. CXXXVII.) fequimur, *feptem*, ac praeterea *volumina inſcripta MANILII MONIMENTA*, l. 2. §. 39. *D. de orig. jur.* quae, qualia fuerint, nos hodie ſcimus juxta cum ignariſſimis. Praeterea *MANILIANARVM VENALIVM VENDVDORVM LEGVM* * mentionem faciunt Cicero *de Orat.* 1, § 8. & Varro *de re ruſtica* II, §. quas a monumentis illis diverſas non eſſe, exiſtimat Ant. Auguſtin. *de nomin. propr. Pandect.* p. 211. *Theſ. jur. Tom. 1.* Et ea quidem Manilii opera paſſim laudari animadvertimus a Varrone *de Lingu. Lat. Lib. IV.* p. 13. & *Lib. VI.* p. 68. *de re ruſt.* II, §. Cicerone *Lib. VII. ad familiar. Epift.* 22. Gell. *Noct. Attic. Lib. XVII. Cap. 7.* denique a Paulo jurisconſulto l. 3. §. 3. *D. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.*

* Pertinuerunt *Manilianae* iſtae *venalium vendundorum leges* ad jurisprudentiam formulariam. Auctor enim eſt Plin. *Hiſt. Nat. XVIII,* 3. obſervationem earum tam ſcrupuloſam fuiſſe, ut ne carnes quidem & fueſ, niſi conceptis verbis, a laniis emerentur, neque mulctae dictio aliter juſta eſſet, niſi in qua *OVIS* maſculino genere efferretur, & niſi bubus ovibusque ſimul expreſſis, oves prius, quam boves nominarentur. Ev. Otto *Juriſpr. Symbol. Exerc. I,* 15. p. 92. Exiſtant tales *venalium vendundorum formulae* apud Varron. *de re ruſt. II,* 3. H.

Locus Plinii pertinet ad leg. Ateriam Tarpejam, nec id probat, quod vult Heineccius. Vid. *ſupr. not. ad §. 21.* Sed alia loca ſuppeditavit Cl. Otto l. c. R.

§. CXL.

Subjungimus illustri illi jurisconsultorum trigae Q. MUCIVM, Q. F. Q. N. SCAEVOLAM, vulgo *Augurem*, Cos. anno ab V. C. DCXXXVI. collega L. Caecilio Metello, qui senex admodum decessit, neque se adduci passus est a L. Sulla, ut C. Marium hostem reip. judicaret. Val. Max. *III*, 8. ex. 5. Quantum in respondendo fuerit, vel ex eo patet, quod Cicero in *Bruto Cap. XXXIX. sequ.* & de *Orat. I*, 45. eum juris civilis intelligentia atque omnis prudentiae genere praestitisse, ejusque januam & vestibulum in infirmissima valetudine adfectaque jam aetate maxima quotidie frequentia civium ac summorum hominum splendore *celebratam esse*, testatur. Auditores habuit illustres quam plurimos, & in his Ciceronem, ceu ipse testatur in *Bruto Cap. LXXXIX.* quamvis postea, eo mortuo, ad Q. Mucium Scaevolam, Pontificem, de quo paullo post, sese contulerit. Cic. de *Leg. I*, 4. An quidquam scripserit, hodie ignoramus. Arbitrium tamen ejus in caussa finium regundorum inter Genuates & Veturios exstat apud Gruter. *Inscript. p. CCIV.*

Q. Mucius Scaevola Augur.

§. CXLI.

Quos his Pomponius subjungit. CAELIVS ANTIPATER, PAVLLVS VIRGINIVS, SEX. POMPEIVS; Q. AELIVS TVBERO, quamvis juris non imperiti, aliis tamen po-

Antipater, Virginius, Pompejus, Tullius

tius

bero, Ru-
tilius Ru-
fus.

tius artibus adpulisse animum videntur*. Quare dicendum potius erit de P. RVTILIO RVFO, qui P. Mucium Scaevolam, pontificem maximum, audivit, Cic. *de Offic. II*, 13. simulque philosophiae Stoicae, duce Panaetio, totum se dedit. Idem *de Offic. III*, 2. in *Bruto Cap. XXX*. Functus consulatu anno ab V. C. DCXLVIII. collega Cn. Manlio Maximo, iniquissimo repetundarum iudicio opprimitur & exsul Smyrnae confenescit, honoratus ab omnibus Asiae civitatibus. Ovid. *ex Ponto I*, 3. v. 63. *sequ.* Cic. *de Orat. I*, 53. Valer. Max. *Lib. VI. Cap. 4. ex. 4.* Vellej. Paterc. *Lib. II. Cap. 13.*

* L. CAELIVM ANTIPATRVM ipse Pomponius *I. 2. §. 40. D. de orig. jur. plus eloquentiae, quam scientiae juris, operam dedisse*, testatur: quamvis & de ejus eloquentia non adeo magnifice sentiat Cicero *de Orat. II*, 12. & 13. Scripsit *annales*, aliaque, quorum ossa, ut ita dicam, legit Clarissimus Waffius. De PAVLLO VIRGINIO veteres veluti ex compacto silent, nisi sit ille *A. Virginius*, (ex Aullo enim facile Paullus nasci potuit,) cujus se amicitia delectari ait Laelius apud Ciceronem *de Amicit. Cap. XXVII*. SEX. POMPEIVS, Cn. Pompeji patruus, & Q. AELIVS TVBERO a juris peritia quidem laudantur a Cicerone, *in Bruto Cap. XLVII. & de Offic. I*, 6. nec non a Gellio *Noct. Attic. I*, 22. sed ita, ut Stoicos magis professi videantur, quam Jurisconsultos. H.

§. CXLII.

Rutilii
Rufi scri-
pta.

Praeter libros HISTORIARVM, DE VI-
TA SVA, HANNIBALICORVM, & ali-
quot

quot orationes, ex quibus scriptis, quae supersunt, fragmenta clarissimus Waffius collegit, Rutilius Rufus etiam de jure quaedam elucubravit, ex quibus quaedam proferuntur *l. 10. §. 3. D. de usu & habit. l. 3. §. 9. D. de penu leg. l. 1. §. 2. D. de arb. caed.* Edicti ab eo in praetura praepositi mentio fit. *l. 1. §. 1. D. de bon. libert.*

§. CXLIII.

Q. CORNELIVS MAXIMVS solo Trebatio auditore, cujus ille formavit ingenium, celebris, nulla alia re sui memoriam ad posteritatem propagavit. Cic. *Lib. VII. ad familiar. Epist. 8. & 17.* At tanto serenioris famae est P. LICINIUS CRASSVS, a patre naturali P. Mucio Scaevola MUCIANVS, anno ab V. C. DCXII. in adoptionem P. Licinio Crasso datus. Per omnes honorum gradus anno ab V. C. DCLVIII. ad consulatum, & quadriennio post ad censuram adspiravit, in magistratibus fere omnibus, praeterquam in censura, collegam nactus Q. Mucium Scaevolam. Denique & Pontifex maximus decessit ex vehemente laterum dolore, quem sibi altercatione cum L. Philippo in Senatu contraxerat. Cic. *de Oratore III, 2.* (Auctor est Pomponius, *l. 2. §. 40. D. de orig. jur. a Cicerone hunc Crassum dictum esse jurisconsultorum disertissimum* *.) Fuit enim incredibili eloquentia, quamvis parum faveret Rhetorum scholis, quos in censura sua, proposito

C. Cornelius Maximus & P. Licinius Crassus Mucianus.

fito edicto, urbe exesse iufferat. Gell. *Noct. Att. XV, 11*. Sueton. *de clar. rhetor. Cap. 1.* **

* Plerique tamen id ideo vocant in dubium, quod Cicero eo elogio non semel ornet Q. Mucium Scaevolam, veluti *de Orat. I, 39.* & *Brut. Cap. XXXIX. & XL.* quum de Craffo tale nihil in ejus operibus reperiamus. Rupertus *ad Enchirid. p. 383.* ut erroris absolvat Pomponium, elogium hoc a librariis alieno loco positum, in §. sequentem transferri oportere statuit. Alii aliter rem expediunt. Sed quid prohibet, quo minus Cicero alicubi eandem laudem attribuerit Craffo, Pomponiusque id elogium vere legerit in opere ejus aliquo, nunc deperdito, quod nos hodie non legimus? Vid. V. A. Corn. van Bynkershoek *Praeterniss. ad d. l. 2. §. 40. D. de Orig. jur. H.*

** Confundit Heineccius Craffos duos, P. Licinium Craffum Mucianum Divitem, & L. Licinium Craffum. De his paucis, sed distincte, dicam. P. LICINIVS P. F. P. N. CRASSVS MUCIANVS, (ut est in tabula Capitolina) P. Mucii Scaevolae, Cos. A. V. 518. filius, & P. Mucii Scaevolae, qui Cos. fuit A. V. 620. & Pontifex M. & de quo Pomponius de O. J. §. 39. frater naturalis, adoptatus est a P. Craffo Divite. De eo Gellius *Lib. I. c. 13.* Is P. Craffus Mucianus, a Sempronio Aellione, & plerisque historiae Romanae Scriptoribus, traditur quinque habuisse rerum bonarum maxima & praecipua, quod esset ditissimus, quod nobilissimus, quod eloquentissimus, quod jurisconsultissimus, quod Pontifex Maximus. Cicero *de Orat. I, 37.* P. Craffum illum Divitem laudandum puto, quod, cum P. SCAEVOLAE frater esset, solitus ei persaepe dicere, neque illum in jure civili satis illi arti facere posse, nisi dicendi copiam assumpsisset. Fuit hic Cos. A. V. 622. collega L. Valerio Flacco, & Pontifex Maximus, & in eo Consulatu multam dixit collegae Valerio, qui

qui Flamen Martialis erat, si a sacris discessisset, ad bellum contra Aristonicum, Regis Eumenis filium, in Asia gerendum, ut ipse cum imperio in eam provinciam ire posset. Cicero *Philipp. XI. c. 8.* Cum Aristonico bellum gerendum fuit, L. Valerio & P. Licinio (Crasso Muciano) Consulibus. Rogatus populus, quem id bellum gerere placeret: Crassus Cos. & Pontifex Maximus, Flacco collegae, & Flamini Martiali, multam dixit, si a sacris discessisset. Ita populus Romanus Consuli Crasso bellum gerendum dedit. Sed cum inordinata acie praelium Consul faceret, victus est, & ex vulnere mortuus. Livius *Epit. Lib. LIX. Adversus Aristonicum P. Licinius Crassus, Cos. quum idem Pontifex Maximus esset, (quod nunquam antea factum erat) extra Italiam profectus, praelio victus, & interemptus est.* Vid. Valer. Max. *Lib. III. c. 2. ex. 12.* & Vaillant pag. 341. in *Achaemenidar. imper.* Et hic est ille P. Crassus Mucianus, cujus meminit Pomponius de O. J. l. 2. §. 40. Alter & ab eo diversus, est L. LICINIVS CRASSVS, excellens ille orator, quem Cicero introducit loquentem in libris de Oratore. Vid. *Lib. I. c. 8.* & de quo fortasse scripsit quoque Pomponius; cujus tamen verba plurimum depravata dedit is, qui Justiniani tempore ex eleganti ejus libello dolavit excerpta. Hic Consulatum gessit cum Q. Mucio Scaevola A. V. 658. quem & in reliquis fere magistratibus habuit collegam. Censor fuit A. V. 662. ut Plinius scribit *Lib. XVII. c. 1.* collega Cn. Domitio Aenobarbo, quo tempore de coërcendis Latinis Rhetoribus Edictum proposuit, cujus mentio fit apud Gellium l. c. Et A. V. 662. cum L. Philippus Cos. graviter in Senatorium ordinem esset inductus, facunde deploravit casum Senatus, neque ipsi Consuli pepercit. Sed cum vehementissima animi commotione multa in eum dixisset, latus ei condoluit, sudorque plurimus est consecutus;

ex quo cum cohorruiſſet, cum febrī domum rediit, dieque ſeptimo lateris dolore confumtus eſt. Ita rem narrat Cicero *de Orat. III. init.* qui in *Bruto c. 39.* & de eo, & Q. Scaevola ſcribit: *Atque ita tum ab his patronis aequalibus, etiam conſularibus, cauſſa M. Curii apud centumviros dicta eſt, cum uterque ex contraria parte jus civile defenderet, ut* ELOQVENTIVM IVRISPERITIS-SIMVS CRASSVS, IVRISPERITORVM ELOQVENTISSIMVS *Scaevola putaretur. R.*

§. CXLIV.

Q. Mucius Scaevola, Pontifex Max.

Paullo junior fuit Q. MUCIVS SCAEVO-
LA, Pontifex maximus, cum Q. Mucio Scaevola, Augure, non confundendus. De ejus eloquentia Ciceronis testimonia paullo ante vidimus. Eundem Valer. Max. *Lib. VIII. Cap. 12. ex. 1. legum clarissimum ac certissimum vatem*; Diodorus Siculus in *Excerpt. Peiresc. p. 405. ἐπιφανέστατον τῶν Ῥωμαίων, Romanorum illustriſſimum*, adpellat. Eum fere in omnibus honoribus L. Crasso collegam fuisse diximus. Praecipuam vero laudem sibi gesto sanctissime Asiae proconsulatu peperit, adeo ut eum provinciales divinis paene honoribus prosequerentur. Ascon. Pedian. in *Verr. II, 10.* Denique in Mariano tumultu anno ab V. C. DCLXXI. C. Fimbriae scelere nefarie interemptus, maximum bonis omnibus sui desiderium reliquit. Cic. *de Orat. III, 3. Excerpt. Peiresc. p. 410.* Appian. *de Bello Civ. Lib. I. p. 504. Edit. Stephan. Vellej. Paterc. Hist. II, 26. Lucan. Pharsal, II, v. 126. sequ.*

§. CXLV.

§. CXLV.

Multa huic Mucio Scaevolae debet juris- Ejus scri-
 prudentia, veluti CAUTIONEM MUCIA- pta.
 NAM, aliaque ejus generis plura, quae sin-
 gulari commentario sub *jurisprudentiae Mucia-*
nae titulo illustravit Franc. Balduinus. Mu-
 cii liber *OPON* vel DEFINITIONVM* anti-
 quissimus est eorum, ex quo quaedam in
 Pandecten retulit Tribonianus, *l. 64. D. de*
acquir. rer. domin. l. 8. D. de aqua quotid. & ae-
*siv. l. 241. D. de verb. signif. l. 73. D. de reg. jur.**
 Libros etiam IVRIS CIVILIS duodeviginti
 edidit *l. 2. §. 41. D. de O. J.* quorum decimum
 sextum laudat Gell. *Noct. Attic. VII, 15* In
 eos vero notas scripserunt Pomponius, Lae-
 lius Felix, apud Gell. *Noct. Attic. XV, 27.* Mo-
 destinus, *l. 53. & l. 54. D. de adquir. rer. dom.*
 & acerrimus aemulus Ser. Sulpicius, nostro
 tam parum aequus, ut ejus stricturae non
Notae, sed reprehensa Mucii capita adpellen-
 tur. *l. 3. §. 6. D. de penu leg. Gell. Noct. At-*
tic. IV, 1.

* Mireris, quum hic liber *ὄρον* singularis adhuc Tri-
 boniani temporibus exstiterit, fueritque eorum,
 quos illa aetas superstites habebat, antiquissimus,
 cur non plura, quam quatuor illa fragmenta ex
 iis in *Pandectas* retulerit Tribonianus. Enimve-
 ro eum vel ipsa hujus jurisconsulti aetas, qua
 floruit, excusat. Quis enim dubitet, quin plera-
 que, quae de sui temporis jurisprudentia scripse-
 rat Mucius, sexto, quo Tribonianus vixit, sae-
 culo adeo vel ab usu recesserint, vel mutata sint,
 ut locum amplius non habuerint in opere, quod

ius eorum temporum, recis antiquis fabulis, ex Justiniani instituto, complecti debebat? *Const. Deo auctore §. 7. de concept. Dig. ad Tribonian. H.*

§. CXLVI.

C Aquil-
lius Gal-
lus,

Progredimur ad C. AQVILLIVM GAL-
LIVM, cujus vitam singulari oratione illu-
stravimus *Francos. juxta Viadr. 1731*. Patrem
habuit M. Aquillium Gallum, virum consu-
larem & triumphalem*. *Fast. Capitolin. ad ann.
ab V. C. 612*. Praeturam gessit anno ab V. C.
DCLXXXVII. collega inter alios M. Tul-
lio Cicerone, inque ea illi quaestio de am-
bitu forte obvenit. *Cic. pro A. Cluent. Cap.
LIII*. Consulatum ob temporum perturba-
tionem regnumque illud forense, teste Ci-
cerone *Lib. I. ad Attic. Epist. 1*. ne petere qui-
dam voluit. Vixisse videtur saltim ad annum
DCCVIII. quo eum adhuc *Gallum suum* vocat
idem Cicero *Lib. IV. ad fam. Epist. 6*.

* Celeberrima ab ipsa urbis origine fuit gens AQVIL-
LIA, ex qua tamen & viri fato suo infelicissimi
prodierunt. M. Aquillium IIIvirum vel IIvirum
potius sacris faciundis, a Tarquinio Rege ob e-
vulgatas sortes Sibyllinas insui culleo iussum ef-
fesse, tradit Dionys. Halicarn. *Lib. IV. Antiquit.
p. 260*. *Ακυλίον* enim ibi legendum pro *Ακυλίον*,
recte observarunt viri doctissimi. Notum quoque
est, quod, exacto Tarquinio, ab Aquilliis ado-
lescentibus conjurationis reis a L. Junio Bruto,
primo Cos. sumtum est supplicium, de quo idem
Dionys. Halic. *Lib. V. p. 283*. Plutarch. *in Po-
plic. p. 98*. Liv. *Lib. II. Cap. 4*. In *Fastis* cele-
brantur anno ab V. C. CCLXVI. C. *Aquillius
Tuscus*, anno ab V. C. CCCCXCIV. C. *Aquillius
M.*

M. F. C. N. anno DCLII. *M. Aquillius Gallus*, consules, & partim triumphis, partim ovatione insignes. At postremus, cujus de rebus gestis infigne monumentum occurrit apud Gruter. *Inscr. p. CL, 7.* repetundarum postea postulatus, cicatricum ostentatione evasit. Denique legatus missus in Asiam ad Mithridatem, bellumque ibi administrans anno ab V. C. DCLXIV. a Mitylenaeis hosti traditur, a quo asino circumvectus, omnesque cruciatus perpeffus, infuso demum in os auro liquefacto, misere periit. Cic. *Tuscul. V. 5.* & *pro leg. Manil. Cap. 5.* Appian. *in Mithridatic. p. 184.* Plin. *Hist. Nat. XXXIII, 3.* Arnob. *advers. gent. Lib. I. p. 23.* Et hunc ipsum sane C. nostri Aquillii patrem fuisse, verosimile est. Bertrand. *de Jurisperit. II, 9. p. 184.* Ceterum jurisconsulti nostri mentio fieri videtur in marmore apud Gruter. *p. DCLII, 6.*

L. AQVILLIVS
IVRECONSVLTI L.
GEMELLVS
SEXTIA O. L. FLORA
L. AQVILLIVS L. L.
RVFIO.

Ubi sane non laudatur *Aquillius Florus*, jurisconsultus, uti conjecit Urfinus *in Not. ad Cicer. Philipp. II.* sed L. Aquillius Gemellus, jureconsulti libertus. H.

§. CXLVII.

Juvenis Q. Mucium Scaevolam, Pontificem maximum, audivit, & *inter condiscipulos*, quorum in numero L. Lucillius Balbus, Sex. Papirius, Juventius, quin & M. Tullius Cicero & Atticus fuerunt, Cic. *de Legib. I, 4. maximae auctoritatis apud populum fuit l. 2. §. 42.* *D. de orig. jur.* Postea mira dexteritate de jure

respondit, Cic. *pro A. Caecin. Cap. XXVII.* multasque cautiones & formulas, ad jurisprudentiam potissimum heurematicam pertinentes, quin & nova quaedam juris interpretamenta, invenit, veluti stipulationem Aquillianam, §. 2. *Inst. quib. mod. obl. toll.* formulam doli mali, Cic. *de Nat. Deor. III, 30. de Offic. III, 14. l. 1. §. 1. D. de dol. mal. postumos Aquillianos, l. 29. pr. D. de liberis & postum. jus accrescendi, l. 74. D. de hered. instit. jus postumi ad patruum hereditatem admittendi, l. 127. D. de legat. 1. & similia. **

* Absolum vero est, quod statuit Jan. Vinc. Gravina *de Orig. Jur. Civ. §. LX. p. 97.* jurisconsulto nostro deberi LEGEM AQUILLIAM, quippe quam supra non modo ante Ciceronis, sed & ante Bruti tempora existisse novimus. (§. LXXXVII. *) At non magis solidum est Franc. Balduini iudicium, qui ne ex gente quidem Aquillia, ex qua jureconsultus noster prodierit, legis Aquilliae auctorem prodire potuisse existimat, quia gens haec patricia, legis vero Aquilliae lator tribunus plebis fuerit. Balduin. *de leg. Aquill. p. 218. sequ.* Sane, nec jurisconsultum nostrum patricium fuisse, adeo certum: nec admodum novum est, eandem gentem patricias plebejasque habuisse familias. H.

§. CXLVIII.

Eiusdem
scripta.

Pomponius auctor est, C. Aquillium magnam anni partem in *Cercinna*, Africae insula, sive, ut Muretus, Corasius & Rupertus malunt, *Caecinae*, Hetruriae oppido exegisse, ibique & auditoribus, & libris scribendis vacasse. *l. 2. §. 42. D. de orig. jur.* Sed librorum
ejus

ejus ne tituli quidem hodie noti sunt, * iisque multum nocuisse videtur Ser. Sulpicii diligentia, qui quum plerasque & Aquillii & aliorum Mucii auditorum sententias in libros suos transtulisset, eo ipso effecerat, ut ipsi fontes minus aestimarentur. *d. l. 2. §. 42.*

* Auctoritate tamen C. Aquillii, dissimulatis librorum titulis, utuntur Dionys. Halicarn. *Lib. III. Antiq. Rom. p. 200.* Labeo, *l. 29. §. 1. D. de legat. III.* Priscus Javolenus, *l. 39. pr. D. de statulib.* Africanus, *l. 33. §. 1. D. de vulg. & pup. subst.* Ulpianus, *l. 6. §. 2. D. si sero. vindic. l. 17. §. 6. D. de aest. emt. l. 30. §. 7. D. de legat. I. l. 7. §. 4. D. quod vi aut clam.* Julius Paullus, *l. 127. D. de legat. I. l. 32. §. 1. D. de auro arg. l. 77. D. de verb. signif.* Cervidius Scaevola, *l. 29. pr. D. de lib. & postum.* Licinius Rufus, *l. 74. D. de hered. inst.* denique Florentinus, *l. 18. §. 1. D. de acceptilat. H.*

§. CXLIX.

Sequuntur reliqui Q. Mucii auditores, veluti L. LVCILIVS BALBVS, SEX. PAPIRIVS, & C. IVVENTIVS, quibus & M. TVLLIVM CICERONEM adderem, si quod alicubi minatus est, jurisconsultum umquam profiteri voluisset.* Attamen eos omnes Aquillio nulla ex parte fuisse comparandos, nec eorum opera inter hominum manus versata esse, haud obscure fatetur Pomponius, *l. 2. §. 42. D. de orig. jur.* LVCLIVS BALBVS, (philosophiae Stoicae, teste Cicerone *de Orat. I, 6.* addictissimus, in respondendo paullo tardior fuit. *Cic. Brut. Cap. XLII.* ** De SEX. vero PAPIRIO &

L. Lucilius Balbus, Sex. Papirius, C. Juventius, M. Tullius Cicero.

C. IVVENTIO nihil ex antiquitate comper-
tum habemus, nisi ad posteriorem referre
velis, quae de **T. IVVENTIO** refert Cicero
in *Bruto* Cap. XLVIII

* Notum est, **CICERONEM** non expertem fuisse
jurisprudētiaē. Non modo **Q. Mucium** audive-
rat, sed & tantum fiduciaē ponebat in scientia
sua, ut in *Orat. pro Muraena* Cap. XIII. scri-
bere non vereretur: *Si mihi, homini vehementer
occupato, stomachum moveritis, tri-duo me juris-
consultum esse profitebor.* Quin librum ejus **DE
IVRE CIVILI IN ARTEM REDIGENDO***¹⁾ qui
hodie non exstat, laudat Gellius *Noct. Attic. I,*
22. ex eoque fati patet, eum de conficiendo
systemate juris cogitasse. At quum **Jctum** se
numquam sit professus, neque vel de jure respon-
disse, vel docendo scribendoque illustrasse lega-
tur jurisprudentiam: facile patet, cur tam parum
eruditis conveniat de Ciceronis jurisprudentia.
Vid. *V. C. Ant. Schultingii Orat. de Jurisprud.
Ciceronis.* & *V. A. Corn. van Bynkersh. Praeter-
miss. p. 83. sequ. H.*

** **Balbos** confundit, & male cum **Ruperto** ad **Pom-
pon. pag. 397. Edit. Jenens. ad locum Ciceronis
de *Orat. I, c. 6.* provocat, ubi nulla fit *Balbi*
mentio. Huc pertinet **L. LVCILIVS BALBVS**,
Servii Sulpicii praeceptor, de quo Cicero *Brut.*
c. 42. *Cumque Servius Sulpicius discendi causa
duobus peritissimis operam dedisset, L. LVCILIO
BALBO, C. Aquillio Gallo; BALBI, docti & eru-
diti hominis tarditatem,* in respondendo, *vicit.*
Ab hoc diversus est **Q. LVCILIVS BALBVS**, **Sto-
icus**, & in hoc Philosophiae genere cum excel-
lentibus Graecis comparandus, de quo idem Ci-
cero de *Nat. Deor. Lib. I. c. 6.* haec habet: *Ad-
erat etiam Q. LVCILIVS BALBVS; qui tantos
progressus habebat in Stoicis, ut cum excellentibus
in eo genere Graecis compararetur.* R.**

§. CL.

Sed omnibus ante se jurisconsultis veluti caliginem induxit SER. SVLPICIUS, *Le- monia RVFVS*, cujus vitam singulari oratione, Ultrajecti habita, posteaque in justo libri formam redacta & *Tomo V. Thesauri Jur. Civ.* inserta, illustravit V. C. Ev. Otto. An objurgatione Q. Mucii, veluti a pulvere & radio excitatus, animum ad jurisprudentiam adpulerit, ceu refert Pomponius *l. 2. §. 43. D. de orig. jur.* non adeo expeditum est, nec temporis id admittere videntur rationes. * Certius est, C. Aquillio Gallo & L. Lucilio Balbo illum navasse operam, Cic. *Brut. Cap. XLII. d. l. 2. §. 43.* ab iisque tantum profecisse, ut *juris civilis magnum usum & apud Scaevolam, & apud multos; artem in uno Sulpicio fuisse*, judicet Cicero in *Brut. Cap. XLI.*

Ser. Sulpicii studium juridicum.

* Dubiam hanc narrationem primus reddidit Ant. Augustinus, *Not. ad librum de nomin. propr. Pandect. p. 20.* partim quod Tullii & Servii adolescentia vetent, quo minus eos, vivo Q. Mucio Scaevola, primum locum in causis orandis tenuisse dicamus: partim quod Servius demum ex Rhodo reversus, id est, anno V. C. DCLXXVI. quum jam ante quinquennium occisus esset Scaevola, ad jurisprudentiam adjecerit animum, adeoque objurgatione Mucii ad id studium excitari non potuerit. Quem quidem nodum solvere non adeo facile esse, fatetur V. C. Ev. Otto in *Praefat. Tomi I. Thesauri Jur.* H.

§. CLI.

Honores omnes gessit ad consulatum usque, quem, repulsam antea passus compe-

Ejus honores.

titore L. Muraena, demum anno ab V. C. DCCII. collega M. Marcello gessit. Inter civiles tumultus adeo semper pacis & ocii auctor fuerat, ut Caesaris victoris retineret gratiam, ejusque beneficio Achaiam provinciam regeret. Cic. *Lib. IV. ad famil. Epist. 3. & 4.* & *Lib. XIII. Epist. 26.* Oborta post Caesaris caedem nova tempestate, pacis conciliandae causa legatus ad Antonium missus, in legatione illa decessit anno V. C. DCCX. statua pedestri ex SCo honoratus. Cic. *Philipp. IX, 7.* Reinel. *Inscript. Class. VII, 30.*

§. CLII.

Scripta
ejusdem.

Libroseum prope centum & octoginta reliquisse, auctor est Pomponius. Inter hos sunt **REPREHNSA SCAEVOLAE CAPITA**, de quibus jam supra: (§. CXLV.) liber singularis **DE DOTIBVS**, laudatus a Gellio *Noct. Attic. IV, 3. & 4.* & a Neratio, *l. 8. D. de condict. caus. dat.* Ejusdem libros duos, sive **DE TESTAMENTIS**, sive, ut alii malunt, **DE DETESTANDIS SACRIS** citat idem Gellius *Noct. Attic. VI, 12.* Meminimus etiam supra librorum duorum **EDICTI AD BRVTVM.** (§. LXXIV.) Reliqua, quae scripsit, videntur ex parte ad amoeniores litteras pertinuisse *, quippe *quarum maximam quasi lucem ad artem hanc, omnium artium maximam, attulisse*, dicitur Ciceroni in *Bruto Cap. XLI.*

* Eidem Servio Udalr. Zafius tribuit librum *de claris jurisconsultis* ex male intellecta *l. 2. §. 42. D. de*

de orig. jur. Stephan. Vin. Pigh. *Annal. Rom. Lib. IV. ad ann. 387.* ab eodem elucubrata esse contendit *Commentaria in Edictum Aedilicium*, ex male accepto loco Gellii *Noct. Attic. IV, 2.* Denique eum *ad Alfenum Varum* notasse, observasse sibi visus est Perennon. *Animadv. II, 23. ex l. 65. §. 8. D. pro soc. l. 67. D. de solut. l. 77. D. de verb. signif.* Sed alucinatos esse hos omnes, solide demonstravit V. C. Ev. Otto *de vita Ser. Sulpicii Cap. VII. §. 7. p. 1608. & Cap. VIII. §. 6. p. 1614. sequ.* H.

§. CLIII.

Sequitur apud Pomponium magna jurisconsultorum turba, quae ex Ser. Sulpicii schola, tamquam ex equo Trojano, exiit: sed in illa pauci famam sibi eximia quadam juris peritia pepererunt: veluti ALFENVS VARVS & CAIVS AVLVS OFILIVS*. Minoris contra existimationis & obscurioris famae sunt, TI. CAESIUS, AVFIDIUS TVCCA, AVFIDIUS NAMVSA, FLAVIVS PRISCVS, C. ATEIVS, PACVVIVS, LABEO ANTISTIVS, Labeonis Antistii pater, CINNA, PVBLICIVS GELLIVS *l. 2. §. 44. D. de orig. jur.* Sed quum horum plerique ipsius Augusti aetatem videantur attigisse: de iis ad proxime sequentem jurisprudentiae epocham erit dicendum.

* In quibusdam editionibus CAIVS, & A. OFILIVS, tamquam duo diversi jurisconsulti, distinguuntur. At quum decem a Pomponio numerentur Ser. Sulpicii auditores, & distincte numerato *Cajo*, undecim prodirent: verosimillimum est, unum

Ser. Sulpicii auditores.

unum eundemque hominem fuisse *C. Aulum O-*
filium. Est haec observatio Ant. Augustini *Not. ad*
nom. propr. Pand. p. 21. & V. A. Corn. van By-
kersh. *Praetermiff. ad l. 2. §. 44. D. de orig. jur. H.*

§. CLIV.

Studia
Romano-
rum ju-
venilia.

Antequam huic capiti finem imponamus,
paucis, qualis tum ordo ratioque studiorum
juridicorum fuerit, videtur exponendum.
A bellorum Punicorum temporibus, quibus
primum Roma elegantioribus litteris opti-
marumque artium studiis honorem habere
coepit, adolescentes primos annos dabant
Graecis litteris, adeoque grammaticos, rhe-
tores, philosophos audiebant. *Cic. in Bruto*
Cap. XC. de Offic. I, 1. *Sueton. de clar. Rhet. Cap. I.*
& II. Hinc, sumta virili toga, sese ad foren-
sem praeparabant eloquentiam, & a viro quo-
dam illustri in forum deducebant*: ali-
quando & Athenas, Rhodum, Mytilenen,
Massiliam studiorum causa secedebant, ne
urbanis distraherentur negotiis. *Cic. Brut.*
Cap. XCI. Lib. IV. ad famil. Epist. 7. & Lib. VII.
Epist. 3. *Vellej. Paterc. Lib. II. Cap. 59.* *Tacit.*
Agric. Cap. IV. Quin, si vel maxime stipendia
facerent, ne in castris quidem sese ab honestio-
ribus studiis divelli patiebantur. *Vellej. Pa-*
terc. Lib. I. Cap. 13. *Sueton. Caes. Cap. LVI.*
August. Cap. LXXXIV. *Plin. Lib. I. Epist. 10.*
& Lib. III. Epist. 11.

* Fiebat hoc non sine sollempnitate, & ut deducen-
di in forum officium frequens haberent tirones,
dies potissimum eligebatur togae purae dandae,
simul

simul advocabatur clientium turba; quae adolescentem frequens comitaretur. Et ita intelligendus Ovid. *Lib. III. Fastor. v. 787.*

Ergo ut tironem celebrare frequentia posset :

Visa dies dandae non aliena togae.

Vid. Jo. Fridr. Gronov. *Observ. II, 21. pag. 398. sequ. H.*

§. CLV.

Qui se consecraverant jurisprudentiae, id in primis dabant operam, ne illotis manibus, id est, a philosophiae destituti praesidiis, haec sacra attingerent. Et quidem quum alias plures essent, quae philosophorum animos distrahebant, sectae: Jcti Stoicam reliquis tantum non omnibus antehabebant, quippe quam turbidos & negotiorum adpetentiores efficere homines existimabant. Tacit. *Annal. XIV, 57.* Hinc non mirum, philosophiam Stoicam *summam sapientiam* dici a jurisconsulto, *l. 2. D. de legib.* siquidem eam jurisconsultis prae reliquis sectis in deliciis fuisse, observavit Cujac. *Cap. XXVI. 40. ex instituto demonstrarunt Em. Merill. Observ. I, 8. sequ. Schilter. Manuduct. philos. mor. ad jurispr. I, 5. sequ. & Ev. Otto singulari Orat. de Stoica Jctorum philosophia. **

* In ea oratione, quae *Dissertationum juris publici & privati Parti I. p. 562.* inserta est, Paganini Gaudentii dissertationem *de philosophia apud Romanos* refellit, ubi *Cap. XLIII.* falli eos omnes existimat, qui jurisprudentes e Stoa sapuisse credant. Contra illum ergo magna facundia initio ostendit, primos quosque & maximos Romanorum

Jcti ple-
rique Sto-
ici.

*) me...
1000...
me...
D. Pr...

rum philosophos e porticu prodiisse: deinde non aliam magis, quam Stoicam disciplinam Jctorum studiis fuisse accommodatam; denique plerorumque horum responsa Stoicae familiae placitis respondere. H.

§. CLVI.

Methodus docendi jura.

Ab his porro instructi praesidiis jurisconsulto cuidam celebriori sese adjungebant. Ubi tamen non existimandum, hos ita scholas aperuisse juridicas, ut auditores, positis subfelliis e cathedra docerent jurisprudentiae principia: (tales enim scholas a saeculo demum tertio Romae, Constantinopoli & Beryti floruisse novimus:) sed viri illustres in respondendo, cavendo, agendo, exercitati, domi aequae ac in foro admittebant cupidos discendi adolescentes, ut, quid responderent, quas cautiones, actiones, exceptiones, interdicta, in quavis causa commendarent, quibus rationibus consilia sua firmarent, audirent coram, eaque sibi omnia in futuros usus enotarent*. Cicero *Bruto Cap. LXXXIX.* & *in Oratore Cap. XLII.*

* Hinc est, quod Jctorum discipuli vulgo vocentur AVDITORES. Proprium sane id vocabulum fuisse jurisconsultorum discipulis, observavit Cujac. *Observ. XXVII, 4.* Quamvis enim M. Seneca *Controv. Lib. IV. contr. 25.* scribat, id nomen primum in Porcii Latronis schola esse natum, ejusque discipulos ideo irrisionis causa dictos esse AVDITORES, quod semper audiverint, neque umquam ipsi dicendo inclarescere studuerint, postea vero id vocabulum in usu esse, & promiscue pro discipulo *auditorem* poni coepisse, referat:

referat: illum tamen, nisi de oratoriae studiosis est loquutus, procul dubio fugit ratio. Ut enim de philosophorum *auditoribus* jam nihil dicam, quorum meminit Cicero *de Nat. Deor. I, 15. de Finib. V, 19. de Divinat. II, 42.* ante Augusti tempora, quibus Porcius Latro, teste Eusebio *in Chron. n. MMXIII. pag. 156. Tbes. Tempor. Scaliger.* floruit, in jure nostro celebrantur MV-CII AVDITORES, *inter quos praecipuae auctoritatis fuerint Aquilius Gallus, Balbus Lucilius, Sex. Papirius, C. Juventius. l. 2. §. 42. D. de orig. jur. nec non Alfenus Varus, & Cajus Aulus Aufidius, qui inter SER. SVLPICII AVDITORES plurimum auctoritatis habuerunt: l. 2. §. 44. D. eod. l. 6. §. 1. D. de dote prael. l. 1. §. 6. D. de aqu. & aqu. plu. arc. l. 12. pr. D. de instr. & instrum. leg. item Trebatius CORNELII MAXIMI AVDITOR, Q. Mucius VOLVSI AVDITOR, l. 2. §. 45. D. eod. Antistius Labeo, qui omnes hos AVDIVIT, l. 2. §. 47. D. eod. Massurius Sabinus, qui, quum ei non adeo amplae essent facultates, plurimum a suis AVDITORIBVS sustentatus est. l. 2. §. 47. D. eod. Ut adeo in scholis juridicis potius, quam rhetoricis, natum videatur hoc AVDITORVM vocabulum. H.*

§. CLVII.

Ita denique perpolitos exercitatosque juvenes nihil prohibebat, quo minus respondendi de jure facerent periculum, simul ac studiorum haberent fiduciam, neque adhuc ea respondendi facultas a Senatu populoque impetranda videbatur. *l. 2. §. 47. D. de orig. jur.* Professi vero jurisconsultos & in foro obambulabant, ut consulturis esset sui copia, & si eximia quaedam prudentiae consultoriae specimina dedissent, limina sua sub ipsum

Unicuique erat facultas de jure respondendi.

ipsum galli cantum obsideri videbant a clientibus, quibus ipsi responsa ex folio, tamquam ex tripode oracula, fundebant*. Cic. *de Legib. I, 4. de Orat. I, 45. Horat. Serm. I, 1. v. 9. sequ. & Lib. II. Epist. I. v. 103.*

* Neque tamen tunc in scriptis respondebant, vel, uti sub Imperatoribus mos erat, *rescribebant*: sed viva voce monebant, quid factu opus esset, & hinc eos cum testibus fere adibant consultores. Menag. *Annoen. jur. civil. Cap. XX. p. 103.* Ceterum & quoties de jure ambigebant, adibant jurisconsultos, & quoties vel testamentum condere, vel cautionis libellum scribere, vel sponsonem facere decreverant: Arrian. *Diss. Epictet. II, 13. p. 180.* immo & si filias elocare, fundos emere, agros rite colere vellent, ceu supra (§. CXXXVIII.) exemplo Marci Manilii ostendimus. Cic. *de Orat. III, 33.* Qui tamen artis suae fines regebant accuratius, ii illos, a quibus de facto consulebantur, ad oratores remittebant. De C. Aquillio sane Cicero *Topic. ad Trebat. Cap. XII. Nihil hoc ad jus: ad Ciceronem, inquit Gallus noster, si quis ad eum tale quid retulerat, ut de facto quaereretur.* H.

§. CLVIII.

Nec tamen eorum responsa iudices obligabant.

At istorum responso tum nondum erat tanta auctoritas, ut vel iudices obstringerent, vel dicendo non saepe everterentur ab oratoribus. Cic. *pro Muraena Cap. XIII. & pro A. Caecin. Cap. XXIV.* Hinc nec rationes decidendi addebant responsis suis, Sen. *Epist. XCIV.* nec ea signabant, quippe viva tantum voce prolata. (§. CLVII. *) *l. 2. §. 47. D. de orig. jur.* Quae omnia aliter se coeperunt habere,

bere, ex quo certis tantum jurisprudentibus facultas ab Augusto data de jure respondendi, impostaque est iudicibus necessitas, ut non recederent ab eorum sententiis. Qua de re infra erit plura dicendi locus.

CAP. IV.

DE STATV IVR. ROM. A CAESARE
AVGVSTO AD CONSTANTI-
NVM M. IMP.

§. CLIX.

Republica Romana, nec sub C. IVLII CAESARIS dictatura. quam non admodum diuturnam fuisse notum est, nec statim eo interfecto, novam monarchiae faciem induit: sed anno demum ab V. C. DCCXXIV. Caesare Octaviano IV. & M. Licinio Crasso, Coss. * Tunc enim postquam Bruto & Cassio caesis, nulla jam publica arma, Pompejus apud Siciliam oppressus, exutoque Lepido, interfecto Antonio, ne Julianis quidem partibus, nisi Caesar, dux reliquus: hic, posito triumviri nomine, Consulem se ferens, & ad tuendam plebem tribunicio jure contentum, ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine ocii pellexit, insurgere paullatim, munia Senatus, magistratum, legum, in se trahere coepit, nullo aerversante. Tacit. Annal. I, 2.

Epochae
hujus ini-
tium.

* Equidem ipse Tacitus *Annal. III, 28.* Augustum sexto demum consulatu, potentiae securum, quae triumviratu jusserat, abolevisse, observat: is vero incidit in annum ab V. C. DCCXXVI. Et fa-

ne eo anno de novo imperium, rogatu Senatus, suscepit, provincias cum eo partitus est, Augusti nomen tulit, legibus solutus est, adeoque paulo liberius principem egit, ceu Dio Cass. *toto Lib. LIII. p. 495. sequ.* accuratius prodidit memoriae. At quemadmodum non semel & simul ad *imperium* pervenire solent nova imperia: ita biennio illo, quod inter quartum sextumque Augusti consulum intercessit, magis magisque eum rem suam stabilivisse, votique sui demum sub sexto consulum participem factum esse, facile crediderim. Ante id biennium Triumviratum viguisse, omniaque suo arbitrio egisse Augustum, Antonium & Lepidum, in vulgus notum est. Quam misera verumtum fuerit publici privatique juris conditio, elegante dissertatione, quam *singularia capita ex historia triumviratus* inscripsit, ostendit V. C. Jo. Guil. Hoffmannus, *Francof. juxta Viadr. MDCCXXXIII. H.* Recte scripsit Tacitus *Annal. III, 28. Sexto demum Consulatu* Augustum potentiae securum factum, quoniam mox *anno sequente, sive Consulatu VII. A. V. 727. ex sententia Munatii Plancij a Senatu caeterisque civibus ante diem XVI. Kal. Februar. nomen AVGVSTI accepit*, ut habet Censorinus *de die natal. c. 21. AVGVSTI* vero nomine accepto, omne Populi Senatusque imperium ad eum translatum est, secundum Dionem *Lib. LIII. pag. 581. Edit. Steph.* Facta tum quoque est *divisio provinciarum* inter Caesarem & S. P. Q. Romanum. Idem *ibid. pag. 576. Et aeraria duo instituta.* Id. *ibid. pag. 580. ex qua institutione deducenda fisci origo.* Divisio vero provinciarum, & duplex hoc aerarium fecit, ut *Quaestores*, (quos *Quaestores Candidatos* appellamus, & de quibus infra plura) creandi essent. Augustus autem teste Dione *Lib. LIII. pag. 577. quo longius Romanos a suspitione regiae potestatis abduceret, imperium tantum decennale* capefflavit. Sed ei, quum primum *decennium*

nium exiisset, aliud *Quinquennium*, atque eo elapso, rursus aliud, & hoc etiam circumacto, *Decennia* duo decreta sunt, ita ut continuatis *quinque Decenniis* per totam vitam summam imperii obtineret. Dio *Lib. LIII. p. 580.* Haec *Quinquennia* & *Decennia*, *Quinquennialibus*, *Decennialibusque* dederunt originem, de quibus *ibid.* Dio: *Quam ob causam posteriores Imperatores, etsi non ad certum tempus, sed per omne vitae spatium iis Imperium deferatur, tamen singulis DECENNIIS festum pro ejus renovatione agunt, quod hodie etiam fit.* Inde nummi illi votivi, quibus inscriptum, VOT. X. MVLT. XX. Inde quoque *lastralis collatio*,^o de qua est *titulus in Codice Theodos.* Ex *Quinquennialibus* vero hisce, *Decennialibusque* plurimum lucis capiunt leges Codicis utriusque, cum in sollemnibus illis festis Imp. quae ad religionem & Rempublicam juvandam ornandamque potissimum spectare videbantur, constituerent. Certe, & *criminum*, & *religiosorum indulgentias*, absque *Decennialium* beneficio, difficillime intelligimus. Vid. *Pagium disert. hypat. part. II. cap. 4.* & quae scripsi ad *Prolegom. Cod. Theodos. pag. 213. R.*

§. CLX.

Quum vero hoc tempus aliam vitam, alios mores postulare videretur; neque omnes antiquae leges novo statui monarchico convenirent: fieri profecto non poterat, quin AVGVSTVS, princeps πολιτικώτατ^o, de jure Romano, ad illum reip. statum paulatim inflectendo, cum cura cogitaret, vel, ut elegantius rem exprimit Tacit. *Annal. III, 28. jura daret, quibus pace & principe uterentur.* *

* Ceperat jam id consilii C. IVLIVS CAESAR, quem jus civile ad certum modum redigere, atque ex im-

Augustus
de im-
mutando
jure co-
gitavit.

mensa diffusaque legum copia optima quaeque ac necessaria in paucissimos conferre libros voluisse, testatur Sueton. Caes. Cap. XLIV. Sed conatum illum irritum reddiderunt Caesaris fata. Iterum ergo idem egit AVGVSTVS, sed minus aperte, ne quid populo suboleret. Quare recte hinc novam jurisprudentiae periodum inchoat Pomponius, quando per partes evenerat, ut necesse esset reipublicae per unum consuli l. 2. §. II. D. de orig. jur. quae verba subtiliter interpretatur Rupert. ad Pompon. Enchirid. p. 135. sequ. H.

§. CLXI.

Id tamen
fecit oc-
cultius.

Quandoquidem vero regiae potestatis adfectatio male cesserat C. IVLIO CAESARI, qui cruento interitu suo documento fuerat posteris, quam infidum sit vi & armis occupatum in libera civitate imperium: AVGVSTVS princeps prudentissimus cautius componebat rationes suas, regioque ita utebatur imperio, ut vulgus, regnari se, non animadverteret, tot pristinae libertatis simulacris quotidie delusum. Hinc Dio Cass. *Lib. LIII. in fin. τὰ τε ἄλλα, καὶ τὸ ὡς ἐλευθέρους Ῥωμαίοις προσεφέρετο. Cum in aliis plerisque, tum in hoc quoque cum Romanis, tamquam cum hominibus liberis, agebat. Addatur praefatio nostra ad Commentar. in leg. Jul. & Papiam Popp.*

§. CLXII.

Eadem
magistra-
tuum vo-
cabula:

Eadem ergo in speciem Senatus, quae olim, auctoritas: eadem magistratuum vocabula: eadem potestatum insignia. Procedebant, sicuti libera

libera republica, *consules*, eumque honorem ipse Augustus non semel fuscipiebat. Erant in urbe, non secus ac olim, *Praetores, Aediles, Tribuni plebis, Quaestores, XXviri*, ut plebi plane vetus respublica ob oculos versaretur. At pleuraque ac potiora eorum magistratuum munia in se traxerat princeps, ut vere scripserit Tacitus *Annal. I, 3. & 4. eadem fuisse magistratuum vocabula: nihil usquam prisca atque integri moris.* *

* Communis erat principi cum privatis consulatus honor, sed ita ut hi illum acciperent *ὡς ἄλλων ἐ γέρας ἀρετῆς ἢ πίστεως, ἢ τινὸς εὐνοίας ἐ ὑπηρεσίας ἀπὸ τῶν ὅλων ἀρχόντας, ἢ προφίξιος λαμπροῦς, tamquam praemium ac mercedem virtutis aut fidei benevolentiaeque erga Principes, rerumque praeclare gestarum; illi vero πρὸς οἷς ἔχουσιν ἀγαθοῖς ἀγαλλμα καὶ κόσμον, tamquam accessionem bonorum, quae jam possiderent.* Julian. *Orat. III. pag. 108. Edit. Spanhem.* Tituli porro ipsi, quos admittebat Augustus, nihil, quod monarchiam redoleret, in se habere videbantur. Vocabulum PRINCIPIS, quo nomine cuncta discordiis fessa sub imperium acceperat, teste Tacito *Annal. I, 1.* libera etiam republica non inauditum fuerat, quum singulis lustris PRINCEPS SENATVS legeretur. Hinc de Tiberio Dio Cass. *Lib. LVII. pag. 607. & pag. 696. Edit. Stephan.* *πρόκειται τῆς γενεῆς καὶ τὸ ἀρχαῖον ἀνομάζετο. Princeps autem Senatus ritu prisca dicebatur.* Eadem erat ratio titulorum IMPERATORIS, PONTIFICIS MAX., TRIBUNICIAE POTESTATIS, PROCONSULIS, quibus omnes Romanorum aures jam pridem adfueverant. Ezech. Spanhem. *de usu & praest. numism. Tomo II. p. 392. sequ. p. 413. sequ. p. 424. sequ. p. 463. sequ.* Et tamen e. g. tribunicia illa

illa potestas erat *summi fastigii vocabulum*, quod *Augustus* reppererat, ne *regis* aut *dictatoris* nomen adsumeret, & tamen adpellatione aliqua ceteris imperia praeemineret. Tacit. *Annal.* III, 56. Sed & reliquis adsumtis vocabulis, rebus ipse omnibus solus praeerat, &, quidquid collibitum esset, fanciebat liberrime, uti jam observavit Dio Cass. *Lib. LIII. pag. 504. & pag. 581. sequ. Edit. Stephan. H.* Bene quidem monuit Heineccius, processisse *Consules*, sicut libera Republica; sed observandum tamen est, consulari dignitatem nonnihil detrimenti passam esse propter *Consules suffectos*, quorum quidam jam a Caesare sunt constituti, & dein, ab anno *V. C. 715.* cum Triumviri ad gubernacula publicae rei residerent, eligi coeperunt. De his videndus Dio *Lib. XLIII. pag. 268. & Lib. XLVIII. pag. 431. Edit. Steph. Pagii Dissert. Hypat. Part. I. c. 1.* qui alibi, in *Critic. ad Annal. Baron. an. 311. n. 7.* asserit, hunc, *Consules suffectos* creandi, morem, ad conditae usque Constantinopoleos tempora, obtinuisse. Imo est *tertium* etiam *genus Consulum*, quos *honorarios*, aut *Codicillares* dixerunt, qui licet *Consulatum* nunquam adepti essent, *Consulares* tamen viri, ex Imperatorum indulgentia & privilegiis, appellabantur, ornamentis & praerogativis *Consularibus* iis concessis. Hanc dignitatem excogitavit Jul. Caesar, teste Suetonio in *Vit. c. 76.* quem imitatus est Senatus Romanus, qui, cum *Consulem* facere nollet Augustum, *Consulares* ei honores detulit. Et invaluit tempore *Severi Aug.* ut hi *Consules*, eadem, qua *suffecti*, praerogativa potirentur, dicerenturque *Consules iterum*, si ad *Consulatum* ordinarium eos evahi contingeret. Dio *Lib. XLVI. pag. 362. 365. Pagii Dissert. cit. Part. I. c. 8.* De *Tribunitia Caesarum potestate* est erudita Cl. Schwartzii dissertatio. R.

§. CLXIII.

Quin ut cives mutatam esse rempublicam, Leges veteri ritu latae. eo minus animadverterent: prudenter initio Augustus non constitutionibus jura nova condebat, sed laturus leges populum mittebat in suffragia, ut quod populus per centurias vel tributim scivisset, id pro lege esset. Auctor illi fuerat Maecenas apud Dion. Cass. *Lib. LII. p. 477. & p. 546. Edit. Steph.* ut ita instrueret scenam, ne populus protinus immutari statum reip. sentiret *. Cujus consilio obsequutus Augustus, ἢ μὲν τοι πάντα ἰδιογενῶν ἔνομοθέτει, ἀλλ' ἔστι μὲν, ἃ καὶ ἐς τὸ δημόσιον προεξετίθει, ὅπως ἂν τὴ μὴ ἀρέσῃ τινα, προμαθῶν ἐπανορθώσῃ, προετρέφετο γὰρ πάνθ' ὄντιν' ἐν συμβουλίῳ οἱ, ἕτις τὴ ἀμεινον αὐτῶν ἐπινοήσῃε· non omnia suo arbitrio sanciebat, sed plura etiam populo promulgabat, ut is, si quid minus placeret, emendaret, hortatus omnes, ut, si quid melius haberent, consulerent in medium. Dio Cass. *Lib. LIII. pag. 585. Ed. Steph. Zonaras Annal. Tomo I. Lib X. pag. 533. Edit. Paris.*

* Equidem idem Maecenas *ibid. p. 484. Edit. Steph.* p. 554. Augustus suaserat, ἢ δὲ τ' ὄμμεν ἔτε ἐς δικαστήριον, ἔτε ἐς ἀρχαιεσιίας, ἔτε ἐς ἄλλον τινα τοιαῦτον σύλλογον, ἐν ᾧ τὴ καὶ χρηματιοῦναι δεῖ, συνίεναι χεῖναι, populo non concedendum, ut ad judicia, comitia, aliave hujusmodi concilia conveniret. Sed fuit id consilium inter illa, quae Augustus, teste eodem Dione Cassio p. 493. *Edit. Steph.* φοβηθεὶς μὴ καὶ σφαλῇ τι, ἀθρόως μεταρρυθμίσει τὰς ἀνθρώπους ἐθελήσας· veritus, ne si subito homines in alium deducere statum ciperet, res ea sibi parum esset successura. H.

§. CLXIV.

Leges Ju-
lia & Ti-
tia & Ju-
lia de a-
dulteriis.

Hoc vetere ritu jam anno ab V. C. DCCXXIII. Caesare Aug. III. & ex Kal. Majis M. Titio Rufo Coss. lata est LEX IVLIA & TITIA *, cautumque, *ut, quemadmodum in urbe a praetore cum majore parte tribunorum plebis; ita in provinciis a Praesidibus pupillis tutores darentur.* *pr. Inst. de Atil. tut.* Henr. Vales. *ad Excerpt. Peiresc. p. 61.* Anno V. C. DCCXXXVII. C. Eurnio & C. Junio Silano Coss. lata lex IVLIA *de adulteriis*, ex rationibus V. C. Jo. Guil. Hoffmanni *de lege Jul. de adult. Cap. II. p. 50. sequ.* & quidem *ex rostris, & in foro*, uti refert Seneca *de Benefic. VI, 32.*

* Deseruit nuper Henr. Valesii sententiam V. C. Aug. Christ. Marche edita singulari dissertatione *de tutoribus ex lege Julia & Titia datis*, Lips. MDCCXXXVI. Potius non unam esse legem statuit, sed duas, quarum *Titia* antiquior, lata sit anno ab V. C. vel CCCCLXXXVIII. vel DXXVI. five a C. Titio, five a Q. Titio, Tribunis plebis: *Julia* contra a Caesare Augusto anno DCCXXVI. Et sunt sane ejus argumenta non nullius momenti. Urget enim testimonium Theophili *Paraphr. pr. Inst. de Atil. tut.* ubi disertè memorat β. νόμος, Ἰούλιον καὶ Τιτιανόν, duas leges, *Juliam & Titiam*. Urget copulam ET, quae interjici non solet inter collegarum nomina, a quibus lex aliqua cognominetur. Enimvero quemadmodum non adeo classicum videtur Theophili de re tam antiqua testimonium: ita exemplo non caret copulativa ET, etiam unius legis auctorum nominibus interjecta. Quod ut uno probem exemplo, notissima est LEX LICINIA ET MUCIA, constanter ita vocata a Cicerone *pro Balbo Cap. XXI.*

in Bruto Cap. XVI. & in fragmentis orationis pro C. Cornelio perduellionis. H.

§. CLXV.

Porro anno V. C. DCCXLV. T. Quinctio Crispino & Caesare Germ. Coss. insignis perlatata est LEX QVINCTIA *, *de poenis eorum, qui rivos, fistulas, castella, lacus aquarum publicarum violarint, vel corruperint. Quod integrum exstat apud Frontin. de Aquaeduct. Articul. CXXIX. pag. 218. Edit. Poleni, & Reines. Inscript. VII, 10. ***

Lex Quinctia de aquaeductibus.

* Reinesius id vocat PLEBISCITVM, eoque vocabulo & ipsi in prima editione usi sumus. Sed ipsa verba initialia: T. QVINCTIVS CRISPINVS COS. POPVLVM IVRE ROGAVIT, POPVLVSQ. IVRE SCIVIT IN FORO PRO ROSTRIS satis ostendunt, esse hanc legem potius quam plebiscitum, quippe cui definitio legis §. 4. *Inst. de jur. nat. gent. & civ.* perfecte quadrat. Equidem sub Augusto, vel potius sub Triumviratu, anno ab V. C. DCCXIV. Cn. Domitio M. F. Calvino & C. Asinio Pollione Coss. rogatum est plebiscitum, quod LEGIS FALCIDIAE nomine venit, eoque cautum, *ut ne liceat ultra dodrantem hereditatis legatis exhaurire. l. 1. pr. D. ad leg. Falcid. Dio Cass. Lib. XLVIII. p. 377. & p. 430. Edit. Steph.* Sed id plebiscitum, quod Franc. Balduinus singulari libello illustravit, non tam ad hanc, quam superiorem Epocham pertinet. H.

** Hanc legem magna industria illustravit Joan. Polenus *in not. ad Frontin. R.*

§. CLXVI.

Sic & anno DCCLII. lata videtur LEX FVVSIA CANINIA *de numero servorum testamento* Leges FVVSIA CANINIA, Aelia

Sentia,
Julia de
marit. or-
din. & Pa-
pia Poppaeae.

mento manumittendorum, quam accuratius describunt Ulpian. *Fragm. tit. I. §. 24.* Paull. *Sent. Recept. IV, 14.* & Caj. *Instit. I, 2. 1.* Eam sane hoc anno latam esse, non inepte conjicit Ephr. Gerhardus *de lege Fusia Caninia §. VII.** Certius est anno DCCLVII. Sex. Aelio Cato & C. Sentio Saturnino Coss. latam esse LEGEM AELIAM SENTIAM de manumissionibus & conditione manumissorum, cujus varia capita ex antiquitatis parietinis eruta dedimus *Antiqu. Rom. Tomo I. p. 115. edit. nov.* Ejusdem aetatis est LEX IVLIA de maritandis ordinibus, eleganter Horatio lex maritadicta, de qua nos in *Comm. ad L. Juliam & Papiam Popp.* Lib. I. §. 3. p. 48. Haec severius emendata est, perlata a. V. C. DCCLXII. M. Papio Mutilo & Q. Poppaeo secundo Coss. suffectis LEGE PAPIA POPPAEA nuptiali & caducaria, de qua nos eodem COMMENTARIO egimus accuratius.

* Obscura est hujus legis aetas, nisi quod eam sub Augusto latam esse, constat ex Sueton. *Aug. Cap. XL.* Jam anno DCCLII. consules ordinarii fuerunt Caesar Octavianus Aug. XIII. & M. Plautius Silvanus. Atqui eodem anno ex Kal. Jul. suffectus fuit C. Caninius Gallus, & Kal. Octob. consules memorantur L. Caninius Gallus & Q. Fabricius in *Marmore Ancyr. p. 62. edit. Jac. Gron. in Mem. Casson. Reines. Epist. ad Hoffm. p. 415. Noris. Cenotaph. Pisan. p. 180. & 183.* Quum ergo, quis Caesari Augusto ex Kal. Julii fuerit suffectus, non constat: non sine verosimilitudinis specie colligunt, C. Caninio Gallo collegam datum esse M. Furium Camillum, qui & anno

anno DCCLXI. cum Sex. Nonio Quinctiliano
 consul fuit, teste Dione Cass. *Lib. LV. p. 570.*
 & 653. *Ed. Steph. H.*

§. CLXVII.

Ejusdem fere aetatis fuit LEX IVLIA *de caede & veneficio*, cujus meminit Sueton. *Neron. Cap. XXXIII.* ubi conferri meretur Schubarthus *de fatis jurisp. Exerc. III. §. 52. p. 595. sequ. V. C.* Hermannus Noordkerkius *Disquisition. de lege Petron. p. 89.* eorumdem etiam temporum esse putat LEGES SCRIBONIAM *de usucapione servitutum*, VISELLIAM *de libertinis**, & IVNIAM VELLEIAM *de heredum institutionibus.* Enimvero uti verosimilia sunt, quae de legis Scriboniae & Juniae Vellejae origine differit: ita suffragari non possum viro doctissimo, existimanti, post Augusti tempora nullam amplius latam esse legem proprie sic dictam, ac proinde ipsam legem Juniam Norbanam, certissime latam sub Tiberio, *ibid. p. 91.* ad tempora liberae reip. referenti.

Leges Julia de caede & veneficio; Scribonia, Visellia & Junia Velleja.

* Legem VISELLIAM probabilius est, latam esse post Augusti tempora, immo post legem Juniam Norbanam, quia in ea Latinorum libertinorum facta est mentio. Ulpian. *Fragm. III, 5.* Quum ergo anno ab V. C. DCCLXXVII. fasces fuerint penes L. Visellium Varronem & Ser. Cornelium Cethegum, Cass. eo ipso anno latam esse hanc legem, suspicatur V. C. Jo. Godofr. Richter, Lipsiensis, *de lege Visellia c. 2.* ubi & Cl. Noordkerkii refellit sententiam, & ipsa legis istius capita quaedam erudite illustrat. Prodiit haec dissertatio *Lipsiae MDCCXXXVI. H.*

§. CLXVIII.

Sed Augusto paullatim liberius regnare permiffū.

Quemadmodum vero hanc civilitatem Augusto initio ipsa neceffitas extorferat: ita Senatus paullatim se ad fervile demittere obsequium, populusque, congiariis, ludis, muneribus gladiatoriiis, venationibus, ipsaque ocii dulcedine delinitus, jugum pati coepit. Hinc non modo Tacit. *Annal.* III, 28. observat, Augustum iam a sexto consulatu, potentiae securum, jura dedisse, quibus pace & principe uterentur: sed & Pomponius & Ulpianus, populum ei & in eum omne suum imperium potestatemque contulisse, testantur, adeo, ut ratum esset, quod constitueret. l. 2. §. 11. D. de orig. jur. l. 1. pr. D. de const. princ. Suffragatur his Dio Cass. *Lib.* LIII. p. 516. & p. 590. Edit. Steph. qui anno ab V. C. DCCXXX. Senatum, ait, in Augusti acta jurasse, eumque solviffe legibus, decreviffe denique, ἵνα κ̄ αυτοτελῆς ὄντως κ̄ αυτοκράτωρ κ̄ ἑαυτῆ, κ̄ τῶν νόμων, πάντα τε, ὅσα βέλοιο, ποιῶν, κ̄ πάνθ' ὅσα ἂν μὴ βέλοιο, μὴ πράτῃ ut summo cum jure, omninoque & sui, & legum potens, quae vellet, faceret, & eorum, quae nollet, faceret nihil.

§. CLXIX.

Unde nata lex Regia.

Habes ergo LEGEM illam REGIAM, de qua l. 1. pr. D. de const. princ. §. 6. *Inst. de jure nat. gent. & civ.* AVGVSTVM PRIVILEGIUM, l. un. §. 14. C. de caduc. toll. LEGEM AVGVSTI, l. 14. §. 1. D. de manumiss. qua regimenta reipublicae ad Imperatores perpetuos

tuos translata, *l. un. pr. D. de offic. praef. praet.* LEGEM denique IMPERII, ad quam provocatur *l. 3. C. de testam.* De ea quanta a renatis litteris fuerint sententiarum divortia, alibi docuimus, ostendimusque simul, eam nihil esse aliud, quam congeriem variorum Sctorum, in honorem Augusti, deque ejus imperio factorum, & renovatorum subinde, atque amplificatorum sub auspicia imperii insequentium Principum *. *Antiqu. Rom. l. 62. p. 86. sequ.*

* Potest hoc demonstrari exemplis. Tacit. *Hist. I. 47. Adcurrunt patres, decernitur Othoni tribunicia potestas, & nomen Augusti, & omnes principum honores.* Idem de Vitellio *Hist. II, 55. In Senatu cuncta longis aliorum principatibus composita statim decernuntur.* Denique de Vespasiano *Hist. IV, 3. At Romae Senatus cuncta PRINCIPIBUS SOLITA, Vespasiano decernit, laetus & spei certus.* Hinc Dio Cass. *Lib. LIII. p. 519. & p. 594. Edit. Steph.* disertè refert, honores ac potestatem, quam Augusto primum decreverat Senatus, postea & successoribus LEGE QVADAM dari consuevisse: idque etiam patet ex insigni monumento apud Gruter. *Inscr. p. CCXLII.* in quo Flavio Vespasiano eadem decernitur potestas, quae antea Augusto, Tiberio, Claudio Imperatoribus decreta fuerit: maxime vero, VTI, QVAECVMQVE EX VSV REIP. MAIESTATE DIVINARVM, HVMANARVM, PVBLICARVM PRIVATARVMQVE RERVM ESSE CENSVERIT, EI AGERE FACERE IVS POTESTASQVE ESSET, ITA, VTI DIVO AVG. TIBERIOQVE IVLIO CAESARI AVG. TIBERIOQVE CLAVDIO CAESARI AVG. GERMANICO FVERIT. H.

§. CLXX.

Ea fretus
permulta
SCtis &
edictis
constitu-
it.

Fretus hac potestate Augustus, adulto jam imperio coepit quaedam sine centuriarum suffragiis constituere, eaque in re duplici arte usus est. Nam primo quum jam adsuetus populus esset Senatus auctoritati, eumque SCta fecisse, libera republica, nemo ignoraret: Augustus permulta per Senatum fancivit, etiam de iis rebus, quae libera adhuc republica non pertinuerant ad curam ordinis istius amplissimi*. Deinde & propositis edictis ea, quae fieri vellet, praecipere, eaque ratione jura nova quam plurima constituere coepit.

* Ea quoque in re sequutus Augustus est Maecenas consilium, qui in oratione prudentissima apud Dionem Cassium *Lib. LII. p. 485. § p. 556. Edit. Steph.* monet principem, primum, ut legatos ab exteris missos in Senatum introducat, addita ratione; τὰ τε γὰρ ἄλλα, καὶ σεμνὸν καὶ ἀξιόλογόν ἐστι τό, σε τιῶν βασιλῶν πάντων κυρίων δεκτεῖν εἶναι, καὶ τὸ πολλὰς τὰς ἀντιπάλλας τοῖς ἀγνωμονέσιν αὐτῶν φαίνεσθαι. *Esse enim e dignitate reipublicae omnia in potestate Senatus esse videri, plurimosque esse eorum adversarios, qui se contumaces in eum gerant.* Deinde addit, oportere Augustum ἀπαντα τὰ νεμοτεθέμενα δι' αὐτῶν ποιεῖν, καὶ μηδὲν τὸ παράπαν ἄλλο ἐπὶ πάντας ὁμοίως φέρειν, πλὴν ἢ ἐκείνης δογματικῶν, *per Senatum facere omnia, quae decernenda sunt, quia non omnino quidquam aequae ad omnes pertineat, ac Senatusconsulta.* Eadem iterum inculcat *p. 487. § p. 557. Edit. Steph.* ubi & hanc reddit rationem, quod & par sit, κοινῶς διοικεῖσθαι, *publica publico consilio administrari: & homines suapte natura gaudeant iis, quae tam*

tamquam conditione aequales a majore adipiscantur, omniaque, quae is cum ipforum consilio decernat, laudent, & tamquam ultro a se ipsis statuta diligant. H.

§. CLXXI.

Hinc SCta non pauca jam sub Augusto prodiisse comperio, quae postea pro legibus fuerunt. Tale est SC. SILANIANVM, quo cautum, *ut si dominus a familia occisus dicetur, de ea, antequam heres adeat, publica quaestio haberetur, & de fontibus sumeretur supplicium, neque prius tabulae testamenti aperirentur**, vel, *si quid contra factum fuerit, hereditatem fiscus occuparet.* Quod SC. anno ab V. C. DCCLXIII. P. Cornelio Dolabella & C. Junio Silano Coss. factum esse, recte existimat Franc. Hotomanus, immo & ante eum Cujac. *Observ. l. 1, 18.* Idque verum esse, vel inde patet, quod insequente statim anno, T. Statilio Tauro & M. Aemilio Lepido Coss. novo SC. sancitum est, *ut quaestioni istius quinquennio praescriberetur, nisi plane quaereretur de parricidio.* l. 13. D. de SC. Silan.

Talia
SCta Sila-
nianum
& Statili-
anum.

* Hoc ipsum est, quod eo SC. primum cautum fuisse videtur. Nam quod, domino domi suae occiso, familia omnis diris quaestionibus subijci solet, id semper Romae obtinuit, etiam libera adhuc republica. Tacit. *Annal. XIV, 42.* *Ceterum quum VETERE ex MORE familiam omnem, quae sub eodem tecto mansisaverat, ad supplicium agi oporteret: concursu plebis, quae tot innoxios protegebat, usque ad seditionem ventum est.* Ad quae verba Just. Lipsius: *Bene, inquit, veterem*

ex more. Nam etiam libera republica id obtinuit, ex epistola Ser. Sulpicii de caede Marcelli: Ego tamen ad tabernaculum ejus perrexi: inveni duos libertos, & pauculos fervulos: reliquos ajebant profugisse, metu perterritos, quod dominus eorum ante tabernaculum interfectus esset. Hunc pristinae severitatis ritum firmavit postea SC. Silanianum sub Augusto. Ceterum laudata a Lipsio Servii Sulpicii Epistola est inter Ciceronianas Lib. IV. ad familiar. Epist. 12. H.

§. CLXXII.

Itemque
Velleja-
num.

Nec aliorum temporum ego esse arbitror SC. VELLEIANVM, quod mulierum intercessit intercessionibus, easque irritas esse jussit. *l. 2. §. 1. D. de SC. Vellej.* Movet me, quod jam Augustus hoc dicatur edixisse. *l. 2. pr. D. eod.* edicta vero principum Senatusconsulta, uti mox ostendemus, vel praecedebant, vel mox sequebantur. Deinde SC. hoc *ibidem* factum dicitur M. SILANO & VELLEIO TVTORE Coss. Atqui non quidem M. sed L. SILANVS FLAM. MART. & C. VELLEIVS, TVTOR COSS. anno V. C. DCCLXIII. reperiuntur apud Gruter. *Inscr. p. CCCCLXX, l. 2.* neque aliud ejusdem nominis par consulum alibi in *Fastis* occurrit*.

* Observaveram hoc in *Elem. Jur. sec. ord. Pandect. Parte III. §. CXCVI**, addideramque, iisdem consulibus latam videri legem IVNIAM VELLEIAM. Posterius etiam V. C. Herm. Noordkerkio in *Inquisitione de lege Petron. pag. 94.* probari, video: non autem prius. Ait enim vir doctissimus: *Sed nollem, vir egregius iisdem etiam aucto-*

*auctoribus Vellejanum SC. acceptum retulisset & quam opinionem vel Ulpianus damnat, qui l. 2. D. d. t. diserte testatur, POST Claudii edictum fuisse conditum. Ego vero quum haec scriberem, non ignorabam, Ulpianum primum Edicti Augusti & Claudii meminisse, & deinde subjicere: POSTEA factum est SC. quo plenissime feminis omnibus subventum est. Ipse enim eo modo ratiocinatus fueram in Antiqu. Rom. III, 21, 12. Sed non ignorabam etiam, postea illud etiam referri posse ad solum Edictum Augusti, quod praecessit, neque semper tam accurate his similibusque vocabulis usos esse Ictos veteres, ut iis tuto superstruere possis rationes chronologicas: immo ea adverbia illos promiscue plerumque adhibere, pro praeterea. Ita Pomponius l. 2. §. 8. D. de orig. jur. ubi de XII. Tab. disputatione fori, legisque actionibus egerat, statim subjicit: DEINDE quum esset in civitate lex XII. Tab. & jus civile, essent & legis actiones: evenit, ut plebs in discordiam cum patribus perveniret, & secederet. Atqui id ante conditas XII. Tabulas evenisse novimus. Similia licet observare d. l. §. 18. 20. 22. Haec si reperias apud jurisconsultum, qui ex instituto texit historiam: quid sperandum de chronologica jurisconsultorum *instituta*, ubi id ex instituto non agunt? Sed sufficit nobis, alium annum adhuc ostendi non potuisse, quo collegae in Consulatu fuerint *Silanus & Vellejus Tutor*; nos vero eos annos DCCLXIII. inter suffectos feliciter reperisse. H. Potuit facile tam felix esse Heineccius, ut hos suffectos Coss. reperiret, cum Almeloveenius jam in *Fastis* eorum nomina protulerit. Sed feliciorum se praedicare potuisset, si probasset, hoc Consulatum par ad annum tantum 763. non vero ad alium, pertinere. Marmor Gruterianum nuda nomina habet, & fasti parum subsidii adferunt; viri autem docti his Coss. locum ex conjectura adsignarunt. Quae cum ita*

sint, Cl. Noordkerkii opinio tantisper praeferenda est, dum meliora quis doceat. Loca ex Pomponii Enchiridio sententiam Heineccii parum stabiliunt, quoniam absona illa & fere ridicula, Jcto elegantis ingenii, nullo modo tribui possunt. Qua de re jam dixi, cum de jure Papiriano differerem. R.

§. CLXXIII.

Quo colore edicta proposita Augustus?

Sed & EDICTIS Augustus uti sensim coepit ad jura nova constituenda, idque se jure facere, plebi facillime persuasit. Quum enim, magistratus tantum non omnes edicta de rebus curationi suae demandatis proposuissent, supra ostenderimus: (§ LXI. seq.) Augustus, qui omnium magistratum munia in se traxerat, nullo adversante, jure suo uti poterat, quoties id videretur e republica futurum. Si quid ergo ediceret in provinciis, id faciebat tamquam PROCONSVL *; si in urbe, vi TRIBVNICIAE POTESTATIS; si apud exercitum, tamquam IMPERATOR; si denique circa sacra, tamquam PONTIFEX MAXIMVS id jure facere videbatur. (§ CLXII. *)

* Et tale procul dubio fuit δόγμα, ὃ ἐξῆλθε ἀπὸ τοῦ Καίσαρος Ἀυγούστου, ἀπογράφειν πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, EDICTVM, editum a Caesare Augusto, ut describeretur totius orbis Romanus. Luc. II, 1. Ita enim potius vertendum, quam per decretum vel sententiam. Alia ejus edicta memorantur apud Sueton. Aug. Cap. XXVIII. XXXI. LIII. LXXXIX. Dion. Cass. Lib. XLIX. pag. 401. & pag. 458. Ed. Steph. Joseph. Lib. XVI. Ant. Jud. Cap. 6. l. 2. princ. D. ad SC. Vellejan. l. 26. D. de lib. Et postum. l. 8. D. de quaestione. H.

§. CLXXIV.

Et plura sane sub Augusto invaluerunt jura nova, de quibus nec leges ullae, nec SCta, quod quidem hodie sciamus, exstiterunt. Ita sane tunc sensim imminutum est domesticum in servos imperium, data his facultate, apud Praefectum urbi de dominorum saevitia conquerendi. Just. Lips. *ad Sen. de Benef. III, 21.* * Invaluisse etiam tunc videtur, ut parentes liberos aut instituere, aut nominatim exheredare tenerentur **. Alia edicta quibus quaedam nova jura invecata sunt, jam diximus superesse in *l. 2. pr. D. ad SC. Vellej. l. 8. pr. D. de quaestion l. 26. D. de lib. & postum.*

Jura iis
introdu-
cta.

* Superavit Lipsii diligentiam Georg. d'Arnaud, cujus prostat eruditus libellus *de Jure Servorum. R.*

** Si tamen dicendum, quod res est, pleraeque de institutione & exheredatione liberorum sanctiones, quae initio edictis invecatae sunt, quando quibusdam extra ordinem subvenire placuit, veluti Tertio infanti, a patre injustissime exheredato, Valer. Max. *VII, 7. ex 3. Reines. ad Inscript. pag. 24.* postea migrasse videntur in legem quamdam. In quam vero, nisi in IVNIAM VELLELIAM, quae ad heredum, liberorumque inprimis institutionem paene tota pertinuit? Ejus legis capita quaedam recensentur *l. 10. §. 2. D. de testam. tut. l. 13. D. de injust. rupt. irrit. fact. test. l. 29. §. 5. sequ. D. de lib. & postum. H.*

§. CLXXV.

Idem princeps, institutis aliquot novis potestatibus, jus vel maxime ad novum reip. statutum adcommodavit. Primo enim, instituta

Novi magistratus
ab Augusto instituti.

tuta PRAEFECTURA VRBANA*, regnum Praetorum forense haud parum concussit**, multaque, quae in civitate monarchica observari oportebat, adjutore Praefecto urbi facile introduxit. Deinde & PRAEFECTURA PRAETORIANA, quamvis militaris initio potestas, teste Dione *Lib. LII. pag. 488. & pag. 549. & Lib. LV. pag. 555. & pag. 635. Edit. Steph.* adeo paullatim invaluit, ut insequente tempore ἀρχὴν δευτέρᾳ μετὰ τὰ κοινώτερα, *magistratus, a principatu secundus*, videretur. Herodian. *Hist. Lib. V. Cap. 1.**** Ut jam de PRAEFECTURA VIGILVM, coercendis incendiis, custodiendaeque nocturnis temporibus urbi ab eodem principe instituta, *l. 2. §. 33. D. de Orig. jur. l. 3. pr. D. de offic. praef. vigil. similibusque novis dignitatibus, nihil dicamus.****

* Hoc quoque inventum non destituebatur colore. Nam & sub Regibus, & libera republica *praefectos urbi*, quoties reges magistratusque reliqui urbe abesse oportebat, creatos esse, jam supra (§. LVII.) observavimus, *Liv. Lib. III. cap. 29. Tacit. Annal. VI, 10. 11. l. 2. §. 33. D. de orig. jur. Gruter. Inscr. p. CCCXIII, 9. p. CCCLVI, 1.* Non ergo tam novi quid introducere, quam magistratum veterem retinere videbatur, nisi quod pro extraordinario illum in posterum ordinarium esse vellet. Et obtentus quidem admodum honestus videbatur, *ut esset, qui coerceret servitia, & quod civium audacia turbidum, nisi vint metueret: Tacit. Annal. VI, 11.* Vere tamen id agebat Princeps, ut pleraque Praetoris aliorumque magistratum munera paullatim in illum praefectum

fectum transferret, eoque modo eorum potestatem everteret. Quod adeo verum est, ut M. Valerius Messalla, quem Augustus primum Praefectum urbi creaverat, sexto die eo magistratu se abdicaret, INCIVILEM esse POTESTATEM, contestatus, Euseb. *Chron. n. MDCCCCXCI. pag. 155. Thef. Temp. Scaliger.* id est, civitati liberae, qualem tum adhuc plebs somniabat, minus convenientem. Ita intelligendus Eusebius, neque tunc opus est emendatione Justi Josephi Scaligeri, H. Jul. Caesarem jam de Praefectis Urbi constituendis cogitasse, docet locus Sueton. *in Vit. c. 76.* quem illustrat Spanhemius *de Us. & Praestant. Numism. dissert. X. Tom. II. pag. 118.* ubi, & de Praefectorum dignitate doctissime differuit, & ex Cassiodoro *Var. I, 42.* probavit, Praetorum eos insignia habuisse. Consulenda quoque est *Notitia Dignitatum*, quam Pancirolus edidit. R.

* Id praeter auctorum loca, optime docent Ulpianus & Paullus, qui *de Officio Praefecti Urb.* libros singulares scripserunt, e quibus excerpta vide *l. 1. & 2. D. de Offic. Praef. Urb.* Duravit quidem Praetura, & fuerunt aevo Constantiniano Praetores plures tam Romae, quam Constantinopoli, usque ad Justinianum, ut demonstrant *tituli de Off. Praet. & de Praetoribus*, in Digestis & Codice: sed adeo fuit imminuta eorum potestas, ut ipsis fere ludorum Circensium theatraliumque cura tantum incumberet, eamque ob causam Editores dicerentur *l. 5. 7. 31. Cod. Theod. de Praetorib.* ubi consulendus Jac. Gothofredus *in Commentar.* jurisdictio vero his finibus inclusa esset, ut ad eos modo pertinerent cognitio liberalis causae, causae restitutionis in integrum, tutoris & curatoris datio, manumissiones & emancipationes, docente *l. 16. Cod. Th. de Praetorib.* quae est *l. 1. Cod. Just. de Off. Praetor.* Vid. etiam Valesium *ad Ammian. Lib. XXVII. c. 3.* & Spanhemium *de Us. & Praestant. Numism. dissert. X. Tom. II. pag. 142. 143. R.*

*** Herodianus non vocat Praefecturam, *magistratum a Principe secundum*, sed Zosimus, quem vide *Hist. Lib. II. c. 32*. Apud Herodianum vero *l. c.* legitur *Macrini epistola*, quam mox, postquam ab exercitu Imperator dictus fuerat, ad Senatum dedit, eaque scripsit, *Praefecturam Praetorianam, non multum abesse a principatu*. Sed, si placet, vide *Historiam Praefecturae Praetorianae ab origine dignitatis ad Constantinum M.* ubi de potestate, a Principibus ante Constantinum M. Praefectis Praetorio sensim pedetentimque tributa, dixi. R.

**** Vide, quae scripsi supra, ad §. 60. R.

§. CLXXVI.

Mutatio
circa pro-
vincias.

Maximi quoque momenti erat mutatio circa PROVINCIAS, quas cum Senatu ita partiebatur Augustus, ut illi pacatas atque inermes relinqueret, sibi bello turbidas, in quibus legiones erant, seponeret. Strabo *Geogr. XVII. extr.* Suet *Aug. Cap. XLVII.* Dio Cass. *Lib. LIII p. 503 & pag. 576. 577. Edit. Stephan.* Illis Senatus PROCOS. * his ipse LEGATOS AVG. vel PRO PRAETORIBVS cum jure gladii & imperio militari praeficiebat. Dio Cass. *Lib. LIII. p. 504. & pag. 578. Edit. Steph. Lips. Excurs. M. ad Tacit. Annal. I.* Jam vero per tot praesides sibi obnoxios Augustum, quidquid collibitum esset, in orbe Romano instituire potuisse, nemo non animadvertit.

* Inde *Proconsulum* Siciliae mentio fit, Caesarum tempore, in lapidibus. Vid. Gruterus *CCCCXXI. 3. CCCCXXXVI. 7.* Nec novus est titulus *Legati Propractore*, & ab Augusto demum excogitatus,

tus, licet id velit Dio *l. c.* verum jam antea is in usu fuit, probante Spanhemio *de Uf. & Praestant. Numism. dissert. X. p. 179.* qui Pompejue gentis denarium producit, in cujus anteriore parte leguntur verba, CN. MAGNVS IMP. posticae vero inscriptum nomen M. PVBLICI LEG. PROPR. nempe Pompeji M. in Hispania *Legati Propraetore. R.*

§. CLXXVII.

Quum de Aegypto in fatis esse diceretur, eam, simul ac fasces Rom. ibi visi essent, pristinam libertatem recuperaturam: Cic. *Lib. I. Epist. ad famil. 7.* Trebell. Pollio *in Aemilian. Cap. XXII.* id in rem suam callide vertit Augustus, provinciamque illam rei annonariae causa unice necessariam, tamquam peculiam sibi vindicavit, exclusisque ejus aditu Senatoribus, in illam misit virum equestrem sine fascebus, qui PRAEFECTVS AVGVSTALIS vocabatur: Tacit. *Annal. II, 59. XII, 60. Histor. I, II.* Dio Cass. *Lib. LIII. p. 504. & 577. Edit. Steph.* Arrian. *Expedit. Alexandri M. III, 6.* Sueton. *Tiber. Cap. LII.* cuique adungebatur IVRIDICVS ALEXANDRINAE CIVITATIS, cujus de officio singularis in Pandecte titulus existat. *

Præfectus Augustalis Aegypti & Juridicus Alexandrinae civitatis cur instituti?

* Falluntur, qui IVRIDICVM hunc soli Alexandriae jus dixisse, existimant. Erant enim *Juridici* praefides provinciarum, quales in Italia loco *Consularium* constituerat Marcus Antoninus Imp. Jul. Capitol. *in Marco Cap. XI.* Hinc passim memorantur *Juridici per Flaminiam & Umbriam*, apud Gruter. *Inscr. p. MXCIII, 3.* itemque *per Apuliam & Picenum: Ibid. p. CCCCLXV, 5. 6.*

denique & *Juridici Asturiae & Gallacciae*. *Ibid.* p. CCCCLXIII. 4. Ita & *Juridicus Alexandrinae civitatis*, non solum huic civitati jus dicebat, sed universae Aegypto una cum Praefecto Augustali praeerat, Cujac. *Observ.* XX, 31. & hinc IVRIDICVS AEGYPTI vocatur apud Gruter. *Inscr.* p. CCCLXXIII. 4. nec multo minor ejus erat, quam Praefecti Augustalis auctoritas, ut plane huic tamquam speculator adjunctus videatur, ne quid rerum novarum posset moliri. Reines. *ad Inscr. Class.* II, 26. p. 271. Erat sane apud Juridicum legis actio, l. 1. *D. de offic. Jurid.* aequae ac apud Praefectum Augustalem: Tacit. *Ann.* XII, 60. Non minus ac ille tutores dabat, quamvis ea facultas illis demum constitutione D. Marci data sit. l. 2. *D. eod.* §. 5. *Inst. de Atil. tut.* Denique & contentiosa eos jurisdictione esse gavisos, vel ipsa argumento sunt vocabula *Juridici*, *δικαιοδότης*, *Romani judicis*, & similia, quibus in jure nostro, nec non apud Strabonem designantur. H. Errat gravissime Heineccius, a Reinesio seductus, ut demonstravi in praefat. ad Tom. V. *Codicis Theodosian.* *Juridici provinciarum*, qui in locum Consularium successerunt, uti Praefides, provinciis praefere, & nequaquam confundendi sunt cum *Juridico unius civitatis*, qualis ille *Alexandrinus* fuit. Nil probant marmora, ubi alia omnia suadent docentque auctorum veterum, & legum testimonia. Uti enim ipse *Praefectus Augustalis*, nonnunquam *Praefectus Alexandrinus* audit, quia Alexandriae sedebat, ita dici quoque in lapide potuit *Juridicus Alexandrinus*, *Juridicus Aegypti*, a totius provinciae metropoli. Imo in marmore Reinesiano IVR. PER. AERA. scriptum est, ut facile judicare possis, quantum fidei huic monumento tribuendum sit. Male provocat etiam Heineccius ad Cujacium, qui nullibi scripsit, universae Aegypto una cum Augustali Juridicum praefuisse; verum id statuit, eum, &

Praefidem Thebaidos, in Gypsum vel Oasin relegare potuisse, quoniam hae insulae eorum potestati subiectae fuerint. In quo tamen Vir ille magnus & ipse errorem commisit, cum in Graeca constitutione, quam e Basilicis produxit, legamus, τὰς δὲ ἀρχόντους Ἀλεξανδρείας καὶ Θηβαίδας κελεύει μόνους εἰς Γύψον καὶ εἰς Ὀασιν ἐκπέμπειν αὐτούς, hisque verbis, non alii, quam Augustalis, & Praefes Thebaidos, intelligi possint. Ἀρχόντες sunt Praefecti provinciarum. Dio de Augusto *Lib. LIII. p. 578. Edit. Steph.* τὰς δὲ ἔξω πάντας, ὡς καὶ ἀντὶ ἐκείνων ἀρχόντους προσσηγόρευσε, qui extra (Italiam) imperarent, quasi eorum locum tenentes, Praefectos appellavit. Vide etiam Justiniani *Edict. XIII. de Alexandr. Ἐξ Αἰγυπτ. Provinc.* Sed, ut rem omnem animo facilius concipiamus, hoc tenendum est. Augustus, subacta Aegypto, hujus provinciae civitatibus reliquit suos magistratus & consuetudines; Alexandrinos autem solos sine Senatu esse voluit, quoniam experientia didicerat, esse eos ad rebellionem maxime proclives. Haec Dio habet *Lib. LI. p. 521. Edit. Steph.* Cum igitur soli Alexandrini Senatum non haberent, mittendus fuit magistratus, qui jus in ea civitate diceret, ipsosque cives retineret in ordine. Fecit hoc Augustus, urbiq; *Juridicum* praefecit, ut Strabo *Geograph. Lib. XVI. pag. 1147. 1148. Edit. Almeloveen.* scriptum reliquit. Ὁ μὲν ἔν περὶ φθεις τὴν Ἐ βασιλείως ἔχει τάξιν· ὑπ' αὐτῶ δ' εἰσὶν ὁ Δικαιοδότης, ὁ τῶν πολλῶν κρίσεων κύριος, ἄλλο δ' εἰσὶν ὁ παραγορευομῆτος ἰδίος λόγος, ὃς τῶν ἀδεσποτῶν, ἔ τῶν εἰς Καίσαρα πίπτειν ὀφειλόντων, ἐξετασῆς ἐστὶ παρῆροισι δὲ τέτοιαι ἀπελεύθεροι Καίσαρος καὶ οἰκονομοὶ μείζω καὶ ἐλάττω περὶ σευμῆτοι πράγματα. Qui mittitur Regis loco est. Et subest Dicaeodotes, (id est, juridicus) qui judicia exercendi pleraque potestatem habet. Tum alius ἰδίος λόγος, nimirum, qui peculiare rationes curat. Is in ea inquit, quae sub alterius potestate non sunt, sed seorsum ad Caesarem

sarem recidunt. (bona vacantia & caduca intelligit) Hos comitantur Caesaris liberti & administratores, quibus majora & minora negotia committuntur. Docet hic locus classicus, Praefectum Augustalem Regis loco omni Aegypto praefuisse; subfuisse autem ei *Juridicum Alexandrinum*, quasi hujus urbis, quae Senatu carebat, praefectum. Fuit deinde simul in eam provinciam missus *ἰδὲ λόγος*, sive Caesaris Procurator, aut Rationalis; additi *officiales*, Caesaris liberti, quos leges Codicis Theod. *Caesarianos* appellant. Est itaque Aegyptus in potestate Praefecti Augustalis, sub cuius dispositione sunt *Juridicus*, & Caesaris Procurator; *Officium autem habet ex Caesarianis*. Cum vero Strabo, *Juridicum* Augustali subfuisse dicat, non video, quid viros doctos movere poterit, ut ei concurrentem cum Augustali jurisdictionem, aequalemque paene potestatem tribuant, censeantque, tanquam speculatorem in eam provinciam missum esse. Sed fuit profecto inter magistratus minores, uti colligere est ex *l. 2. D. de off. Juridici*, ubi dicitur, ipsi demum *tutoris dationem ex constitutione Divi Marci concessam esse*: qua constitutione tamen nil opus erat, si *Juridicus* in Praesidium fuisset numero, quoniam ex *lege Julia & Titia*, ad ipsum quoque tutoris datio pertinere debebat. Imo in Digestis *titulus de officio Juridici*, postponitur ei, qui *de officio Procuratoris Caesaris* exponit. Et imminuta etiam est *Juridici* potestas in urbe Alexandrina, postquam ea, imperante Septimio Severo, Senatum accepit. Ita enim Spartianus *in Severo cap. 17.* scribit: *Alexandrinis jus buleutarum dedit, qui sine publico consilio, ita ut sub regibus ante vivebant, uno iudice contenti, quem Caesar dedisset.* A quo tempore, & urbis & curiae dignitas, adeo crevit, ut & Theodosius M. *ad Senatores civitatis Alexandrinae*, constitutionem emitteret, quae est *lex 19. Cod. Theod. de petitionib.*

Tit. D. de procuratoribus Coe. cap. v. Moyses de procuratoribus. Cod. Tit.

Capo deff. de iuridico ubi in v. tit. 1.

petitionib. in qua nulla Juridici mentio. Quae cum ita sint, non possumus non incertissimi esse, utrum apud eum, post Severi tempora, contentiosa quoque fuerit iurisdicção, an voluntaria tantum. De voluntaria, Digesta & Codex loquuntur. Nec liquet, quem locum is obtinuerit apud Alexandrinos aevo sequiore, cum clarum sit ex *lege un. Cod. Just. de Off. Jurid.* Leonis Augusti tempore dubitatum fuisse, an possent apud eum Alexandrini cives donationum instrumenta referare. Quoniam vero id fieri potuit apud *defensores plebis*, docente *lege eadem, Juridicus Alex.* tunc temporis, non in majore, quam hi, honore fuisse videtur, hac sola tantummodo praerogativa exsplendescens, quod ab antiqua institutione, ab Imperatore urbi imponeretur, & in magistratum municipalium numero non esset. R.

§. CLXXVIII.

Non ignorabat porro princeps prudentissimus, quam multum utilitatis capere posset ex opera atque interpretatione IURISCONSULTORVM. Ut ergo & hos sibi haberet obnoxios, eorumque ope in evertendo Praetoris regno & jure per novas interpretationes ad statum monarchicum inflectendo uteretur: * primus facultatem de jure respondendi, olim omnibus communem, (§. CLVII.) certis tantum exploratae fidei viris beneficii loco dedit, simulque necessitatem imposuit iudicibus, ne ab eorum sententia unquam recederent. §. 8. *Inst. de jure nat. gent. & civ. l. 2. §. 47. D. de orig. jur.*

Augustus certis tantum JCtis dedit facultatem respondendi.

* Genuinam hanc esse hujus instituti causam, & Ulricus Huber. *Auspici. domest.* p. 178. ex parte vidit,

vidit, & nos cum cura demonstravimus in *Antiqu. Rom. I, 2, 39. p. 68.* Unde veram hujus instituti causam vel non pervidit, vel dissimulavit Pomponius, dum id ab Augusto factum esse scribit, *ut major esset juris auctoritas. l. 2. §. 47. D. de orig. jur.* Solere sane Pomponium blandiri principibus, eorumque obtentus pro veris rerum causis obtrudere, patet ex *d. l. 2. §. 9. II. 27. D. de orig. jur. H.*

Vitas Jctorum, qui ab Augusti tempore floruerunt, negligere legum cultores nullo modo possunt, quamvis nemini auctor esse velim, ut minutiis inhaereat. Est autem α) attendendum *ad tempus*, quo Jctus vixit, ne in interpretandis ejus fragmentis, quae in Digesta relata sunt, errores committamus chronologicos. β) Consideranda dein est *Seçta*, cui Jureconsultus adhaesit, ut facilius de diversis opinionibus ferre sententiam possimus. γ) Porro observandum est, *quid scripserit Jctus*, diligenterque & attente inspiciendae sunt *inscriptiones legum*, quas sollicitè eam ob causam exprimi curavit Justinianus, quoniam sine iis, ipsa fragmenta Jctorum ne intelligi quidem possunt. Aliam enim interpretationem requirunt ea, quae ab Jctis ad Edictum urbanum scripta sunt, & aliam iterum illa, quae ad Edictum provinciale pertinent. Aliter interpretanda sunt verba, cum Jctus de Quaestorum, aliter vero, cum de Proconsulis, Praesidisque officio expofuit. R.

§. CLXXIX.

Cur Labonem sibi conciliare non potuerit? Quum vero iis temporibus duo illuxissent ingenia eximia, M. ANTISTII LABEONIS, & C. ATEII CAPITONIS, quos duo pacis decora vocat Tacit. *Annal. III, 75.* utrumque quidem sibi conciliare studebat Augustus.

ftus, fed laterem lavabat in LABEONE, Q. Labeonis, C. Julio Caefari olim infenfiffimi, filio, *incorruptae libertatis viro*, ut idem Tacitus *ibid.* eum vocat, *quique nihil ratum pensumque habebat, nisi quod justum sanctumque esse, in Romanis antiquitatibus legisset.* Gell. *Noct. Attic.* XIII, 12. Quum ergo huic viro atrox infideret pristinae libertatis memoria: nullam elabi patiebatur occasionem, odium adversus principatum prodendi, ejusque *παρρησίας* exempla supersunt apud Sueton. *Aug. Cap. LIV.* & Dion. Cass. *Lib. LIV. p. 531.* & p. 608. *Edit. Steph.* ut mirum non sit, hominem ne consulatus quidem auctoramento adduci se passum, ut se Augusto addiceret. * *l. 2. §. 47. D. de orig. jur.*

* Ait Pomponius, *noluisse Labeonem, quum offerretur ei ab Augusto consulatus, quo suffectus fieret, eum honorem suscipere.* At Tacitus *Annal. III, 75.* refert, *Augustum accelerasse Atejo consulatum, ut Labeonem Antistium iisdem artibus praecellentem, dignatione ejus magistratus anteiret.* Ex illo ergo colligas, Labeonem honorem adspernatum esse, quod inter suffectos tantum esset designatus: ex hoc, Augustum illum neglexisse, ut Atejus illum dignitate anteiret: & hinc statim subjicit: *Labeoni, quod praeturam intra stetit, commendatio ex injuria; huic, quod consulatum adeptus est, odium ex invidia oriebatur.* Quae vero injuria facta esset Labeoni, si ipse oblatam dignitatem ultro rejecisset? Rem ita concipio. Augustus, ut utrumque sibi conciliaret, utrique videtur obtulisse consulatum: quum vero Atejo, cujus obsequium ei magis probabatur, illum honorem accelerasset, id male habuit Labeonem, virum
praeto-

praetorium, ac proinde quum ille paullo post consul suffectus designaretur, illum honorem repudiavit, injuriam interpretatus, quod Atejo esset posthabitus, neque mora illa ac dilatio saltim consulatu ordinario compensaretur. Ita intelligo Pomponium & Tacitum, quamvis nec improbabilis sit conjectura V. A. Corn. van Bykersh. in *Praeterm. ad h. l. pro quo suffectus fieret*, legis: *quo suspectus fieret*. H.

§. CLXXX.

Cur Ate-
jum sibi
facilius
habuerit
obnoxii.

At tanto facilius sibi ad omne obsequium devinxit C. ATEIVM CAPITONEM, *cujus obsequium*, ex Taciti judicio non poterat non *dominantibus magis probari*: quum se ad servilem paene adulationem demitteret, ceu patet ex Tacito *Annal. III, 70.* & Sueton. *de illustr. gramm. Cap. XXII.* Eo ingenio consulatum meruit, quo tamquam suffectus anno V. C. DCCLIX. collega C. Vibio postumo functus est. Gruter. *Inscr. p. MLXXXII, 2.* Huic ergo similibusque Augustus respondendi de jure facultatem dedit: ex eoque tempore responsa sua & scripta dare, & signare coeperunt, Seneca *de Benef. VII, 16.* quum antea neutrum fieri soleret. * *l. 2. §. 47. D. de orig. jur.*

* Utroque opus erat, ut judices, & quid sibi responsum esset, & responsum illud a jurisconsulto, cui respondendi jus sit, profectum esse, intelligerent. Ceterum libera republica judices adeo non adstricti erant responsis prudentum, ut ea saepe ab Oratoribus dicendo everterentur, teste Cicerone *pro Muraena Cap. XIII.* qui & alibi id exemplo Crassi confirmat *pro A. Caecin. Cap. XVIII.* H.

§. CLXXXI.

Labeonem quam plurimos ad jurisprudentiam instituisse, & totum annum ita divisisse, ut Romae sex mensibus cum studiosis esset, sex mensibus secederet, & conscribendis libris operam daret, refert Pomponius, l. 2. §. 47. D. de orig. jur. qui & quadringenta eum volumina reliquisse testatur. In his erant Libri octo ΠΕΙΘΑΝΩΝ, ex quibus octo tantum fragmenta in Pandectis supersunt. Scripsit & libros XL. POSTERIORVM, Gell. Noct. Attic. XIII, 10. quamvis in indice Florentino decem tantum laudentur, ex iisque unicum ἀποσπασμάτων exstet in l. 42. D. de liberali caus. * Memorantur etiam liber primus PRAETORIS VRBANI, l. 19. D. de verb. signif. & liber tricesimus PRAETORIS PEREGRINI, l. 9. §. 4. D. de dolo malo. nec non liber EPISTOLARVM, l. 30. §. 1. D. de usurp. & usucap. de quo Menag. Amoenit. jur. civ. Cap. XX denique RESPONSA, quorum librum XV. laudat Ulpianus apud Pariatorem leg. Mosaic. & Roman. tit. XII. §. 7.

Scripta
Labeonis.

* Libros Πειθανῶν in compendium redegit IVLIVS PAVLLVS, Perrenon. Animadv. Jur. II, 16. Bynkershoek. Obs. III, 6. Eandem operam libris Posteriorum navavit IAVOLENVS, qui & libros ex Posterioribus Labeonis scripsit, qui libri, quomodo distinguendi sint, disquirunt Merill. Obs. V, 38. Mascov. de Sect. Procul. & Sabin. p. 50. sequ. & V. C. Gottlob. Aug. Jenichen de Prisco Javolenno §. XVII. p. 32. sequ. Praeterea ad LABEONEM notarunt QVINTVS, l. 7. §. 7. D. de

de dolo malo. AVLVS, (fortassis Cascellius,) l. 17. §. 5. *D. de hered. inst.* PROCVLVS, l. 10. §. 1. *D. de negot. gest.* & Aristo, l. 17. §. 5. *D. de hered. instit.* Mascov. *de Sect. Cap. I. p. 18. sequ.* H.

§. CLXXII.

Ejus bonarum artium studium.

Tantum vero abest, ut vir eximius ultra Praetoris edictum sapere noluerit, ut & per reliquas sapientiae disciplinas bonasque artes vividam circumtulit indolem. Testem habemus non modo Pomponium, qui eum *& in ceteris operam sapientiae dedisse*, observat, verum etiam Gellium, qui *Noct. Attic. XIII, 10. Labeo Antistius*, inquit, *juris quidem civilis disciplinam principali studio exercuit, & consulentibus de jure publice responxit, ceterarum quoque bonarum artium non expertus fuit, & in grammaticam sese, atque dialecticam, litterasque antiquiores altioresque penetraverat.* Nihil ergo prohibere existimo, quo minus *libros XV. DE IVRE PONTIFICALI* apud Festum *in Sistere. libros DE DIIS ANIMALIBVS* apud Servium *in Virgil. Aeneid. III. v. 168.* eidem Labeoni nostro tribuamus, quamvis alii distinguendos existiment Labeones JC. & theologum.*

* Pro eodem utrumque habent Bertrandus in vita, & Menag. *Amoen. jur. civ. Cap. XX.* Eosdem distinguendos putat V. A. Corn. van Bynkershoek *in Praeterm. ad l. 2. §. 47. D. de orig. jur.* Et sane memoratur a Macrobio CORNELIVS quidam LABEO, quem *libros Fastorum & librum de oraculo Apollinis Clarii* scripsisse ait: & hic fortassis posset dici Labeo theologus. Sed quum non sint libri

libri hi iidem, quos a Festo & Servio laudari animadvertimus: nihil obstat, quo minus & nonster talia scripserit, aemulatus fortassis aemulum, Atejum Capitonem, cujus de libris ejusdem argumenti paullo post erit dicendi locus. Vid. Christfr. Waechtleri *litt. de V. A. Corn. van Bykersh. Praetermiss. p. 304. sequ. edit. Ublii. H.*

§. CLXXXIII.

Nec C. ATEIVS CAPITO, quamvis magis immerfus negotiis civilibus. calamo percipit. Scripsit enim libros de IVRE PONTIFICIO, quorum quintum laudat Gell. *Noct. Attic. IV, 6. libros CONIECTANEO-RVM** quam plurimos, quippe quorum ducentesimum quinquagesimum nonum laudat Gell. *Noct. Att. XIV, 7. librum de OFFICIO SENATORIO*, Idem *IV, 10 & de IVRE SACRIFICIORVM* apud Macrobi. *Saturn. III, 10. nec non EPISTOLAS*, ex quibus quaedam descripsit Gell. *Noct. Attic. XIII, 12. Addimus, ex tot libris jurisconsulti maximi, & principem in civitate locum, teste Tacito Ann. III, 75. civilibus studiis adsequuti*, ne unum quidem fragmentum in Pandeecten relatum esse, * ipsumque Atejum inter vivos esse defuisse anno V.C. DCCLXXV. Tacit. *ibid.*

Scripta
Ateji Ca-
pitanis.

*) i. e. opus
de iure pontificum
et de iure senatorio

* Videntur ergo Ateji Capitonis libri jam ante Triboniani tempora intercidisse. Nec inter jurisconsultos, qui illi denunciant testimonium, alii sunt, quam ei *ob. x. Labeo, l. 79. §. 1. D. de iure dot. l. 30. §. 6. D. de legat. III. Proculus, l. 13. §. 1. D. de serv. praed. urban. Javolenus, l. 39. §. 2.*

D. de aur. arg. mund. Ulpianus, l. 29. *D. de rit. nuptiar.* denique Páullus, l. 2. §. 4. *D. de aqu. & aqu. plu. arc.* Postremi, qui ejus libros laudant, fuere Festus & Macrobius, ut adeo Ateji opera saltim ad faeculum usque quintum inter hominum manus versata esset adpareat. H.

§. CLXXXIV.

Alfenus
Varus,
Jctus.

Progredimur ad reliquos, qui sub Augusto floruerunt, jurisconsultos. Quamvis vero huc tota pertineat Ser. Sulpicii familia, de qua Pomponius l. 2. §. 44. *D. de orig. jur.* in ea tamen in primis emineat C. vel, ut in Dionis Cassii *Laterculo Coss.* ad ann. DCCLV. vocatur, P. ALFENVVS, (in numis ALFINIVS) VARVS, elegantis ingenii & facundiae vere Augusteae scriptor. Eum vulgo ferunt Cremonae, Publio patre natum, diu exercuisse futrinam, postremo, clausa futrina, se Romam contulisse, & audito Ser. Sulpicio, maximos in jure profectus fecisse. Acron ad illa Horat. *Serm. I. Sat. 3. v. 130.*

Optimus est modulator, ut ALFENVVS Vaffer, omni

*Abjecto instrumento artis, clausaque taberna, Sutor erat.**

Nostrum consularem fuisse, & Pomponius observat: dubium tamen, quo anno. Qui enim anno ab V. C. DCCLV. cum P. Vinicio collega consul fuit, quique fato functus, observante eodem Acrone, publico funere elatus est, vix noster esse potuit, nisi eum senem capularem fasces suscepisse, existimemus.

* Ob

* Ob *ἀνομιάν* tota prope ALFENI vita perquam incerta ac perplexa est. Hinc an noster futor ille consularis sit, merito ambigitur. Nostro sane illa Horatiana & Acroniana vix quadrare, pluribus iisque fatis luculentis rationibus evicerunt Cl. Waechtl. in *Act. Erud. Lipsj. anno MDCCXI.* & V. C. Ev. Otto *præfat. Tom. I. Thes. jur. & postea in Publ. Alfeno Varo ab injuriis veterum & recentiorum liberato*, inserto *Tomo V. Thesaur. Jur. Civ. p. 1629. sequ.* Ceterum quum Alfenus noster Ser. Sulpicium, qui jam anno DCCX. decessit, audiverit, eum, qui anno DCCLIV. consul fuit, si Sulpicium decennio ante ejus mortem audiverit, & tunc saltem triginta annorum fuerit, (neque enim tum erant tempora, quibus cruda studia in forum propellebantur,) octoginta quatuor annorum fuisse oporteret. H.

§. CLXXXV.

Scriptit ALFENVVS libros XL. DIGESTORVM, quos Julius Paullus in epitomen contraxit: & COLLECTANEA, vel ut aliae Gellii editiones habent, CONIECTANEA, quorum liber secundus laudatur *Noct. Attic. VI, §. ubi & auctor, jurisconsultus, Servii Sulpicii discipulus, rerumque antiquarum non incuriosus* vocatur. Sed de his *conjectaneis* mox plura. Neque enim adeo certum est, ea esse ALFENI nostri opus. Ceterum de jurisconsulto hoc eximio praeclare meriti sunt Henr. Brenemannus libro elegante, quem *Pandectas juris civilis auctoribus suis & libris restitutos* inscripsit. *Amst. MDCCIX. 8.* & Ev. Otto in *P. Alfeno Varo ab injuriis veterum & recentiorum liberato. Tomo V. Thes. Jur. p. 1629. sequ. †*

§. CLXXXVI. 2

C Aulus
Ofilius.

Eorumdem temporum jurisconsultus, C. AVLVVS OFILIVS jam Ciceronis aeo inclaruit, qui ejus meminit *Lib. VII. ad Familiar. Epist. 21.* Συμφιλογόγιστα habuisse videtur T. Pomponium Atticum, *l. 234. §. 2. D. de verb. signif.* Ejus exemplo non ambivit honores, sed in equestri ordine consenuit, quamvis Julio Caesari familiarissimus *l. 2. §. 44. D. de orig. jur.* Scripsit de LEGIBVS VICESIMAE, nec non de IVRISDICTIONE, & AD EDICTVM PRAETORIS *, quae omnia laudantur a Pomponio His adjiciendi libri ACTIONVM, *l. 3. §. 5. D. de venu leg. & libri IVRIS PARTITI, l. 55. §. 4. D. de legat. III.* Uxorem ejus CLODIAM, quindecies enixam, CXV. annos vixisse, observat Plin. *Hist. Nat. VII, 48.* quocum jungendus Valerius Max. *VIII, 13. ex. 6. Menag. Amoen. jur. Cap. XLII.*

* Henr. Dodwellus *Adpend. Praelect. Cambden. p. 780.* Ofilium edictum perpetuum Julii Caesaris auspiciis scripsisse, illudque opus postea decreto Caesaris firmatum esse, existimat. Sed id vix verosimile esse, quilibet animadvertit. Si enim vel maxime fieri potuerit, ut Caesar id negotii dederit Ofilio, (quum de jure in ordinem redigendo eum cogitasse, satis constet,) omnia tamen illa consilia ejus fata turbasse, testis est Sueton. *Caes. Cap. XLIV.* Si ergo edictum composuit: privatis id factum est auspiciis: at inscriptio AD EDICTVM argumento est, eum magis notas vel scholia ad edictum scripsisse, quam edictum composuisse

posuisse tale, quale postea jussu Hadriani edidisse novimus Salvium Julianum. H.

§. CLXXXVII.

Hi sunt celebriores eorum temporum jurisconsulti. Nam non nisi nominibus notis sunt T. CAESIUS, AVFIDIUS TVC. A AVFIDIUS NAMVSA, cujus tamen scripta aliquoties in Pandectis laudantur, * l. 40. § 3. D. de condit. & demonstr. l. 5 § 7. D. commod. l. 2. §. 6. D. de aqua & aqu. plu. FLAVIUS PRISCUS, C. ATEIUS PACUVIUS, CINNA, qui citatur l. 6. D. de ritu nupt. & l. 40 § 1. D. de condit. & demonstr. & PVBLCIVS GELLIVS, qui omnes a Pomponio inter Ser. Sulpicii auditores recensentur. Addimus his, uti videtur, σύγχρονον, CARTILIVM, his laudatum in jure nostro, l. 5. §. 13. D. commodat. & l. 69. D. de hered. inst. cujus memoriam primus restituit Ant. Augustin. *Emend. III*, 9. laudatus ideo a Cujac. *Obs. I*, 9.

Reliqui Ser. Sulpicii auditores & Cartilius.

* Refert Pomponius l. 2. §. 44. D. de orig. jur. Avfidium Namufam octo illustriorum Ser. Sulpicii auditorum libros digessisse in centum quadraginta libros. Hos ipsos vero esse libros COLLECTANEORVM vel CONIECTANEORVM, quos ob locum Gellii *Noct. Attic. VI*, 5. Alfeno Varo tribuunt, (§. CLXXXV.) acute conjicit V. A. Corn. van Bynkersh. *Observ. VIII*, 1. ubi etiam ostendit, idem opus conjectaneorum laudari, quoties in Pandectis citentur Ser. Sulpicii auditores vel auctores, veluti ab Ulpiano l. 1. §. 6. D. de aqua & aqu. plu. arc. l. 6. §. 1. D. de dote praeleg. l. 12. pr. D. de instruet. vel instrum. leg. H.

§. CLXXXVIII.

C. Trebatius Testa.

Multo celebrrior tamen his omnibus, C. TREBATIVS TESTA, C. Julio Caesari, M. Tullio Ciceroni, & postea Caesari Augusto amicissimus, a Q. Cornelio Maximo in jure profecerat. Cic. *Lib. VII. ad Famil. Epist. 8.* In philosophia primum vel Stoicos, vel Academicos; postea Epicureos sectatus est, nisi potius Ciceronem *ibid. VII, 12.* suo more potius jocatam esse dixeris*. Ceterum eum magnopere laudat Cicero *ibid. VII, 5. eoque probiorem hominem, meliorem virum, prudentioremque esse neminem, quin familiam illum ducere in jure civili, & singularem ejus memoriam, summam scientiam esse, testatur.*

* Nescio tamen, an non Epicureum quodammodo prodat honorum neglectus, quem veritus Cicero *Lib. VII. ad Famil. Epist. 12.* jocosè scribit: *Quid porro fiet populo Ulubrano, si tu statueris, πολιτεύεαδ non oportere?* Nusquam sane legitur vel praeturam, vel consulatum gessisse: quum tamen ei in tanta Caesaris utriusque gratia deesse non potuisset occasio capeffendi rempublicam. Quare vix aliam excogitare licet rationem, quam obrem nullos ad honores pervenerit, quam quod ex sectae suae formula nollet πολιτεύεαδ. H.

§. CLXXXIX.

De eo judicium, ejusque scripta.

Hic serio &, ut ipse ait, more Romano loquitur Cicero. Quare merito mireris, ex jocos, quibus ille cum Trebatio, ut cum amico, paullo liberius familiariusque usus est, collegisse Dan. Heinsium *Diff. de Satyra Horatiana,*

ratiana, Trebatium illum obtusioris ingenii, ac paene dubiae fanitatis hominem fuisse: cujus sententiam refellit Nic. Hieron. Gundling. *dissertatione de C. Trebatio Testa*. Inscriptit ei *Topica* sua Cicero; Horatius vero *Satyram I. Libri II. Sermonum*, ejusque consilio in rebus ad jus pertinentibus usus est Caesar Augustus, ceu patet ex *pr. Inst. de codicill.* Ipse reliquit tum libros aliquot DE IVRE CIVILI, tum *libros IX. DE RELIGIONIBVS*, laudatos a Porphyrione, Horatii Scholiaste, & Macrobio *Saturnal. III, 3.*

§. CXC.

Jungimus huic A. CASCELLIVM, Q. Mucii & Volcatii auditorem, beneficiorum tam memorem, ut prioris nepotem P. Mucium, in avi honorem judicio supremo heredem reliquerit *l. 2. §. 45. D. de orig. jur.* Laudem is sibi pepererat jurisconsulti eximii, ipsoque Trebatio eloquentioris, & juris inprimis praediatorii tam periti*, ut ipse Q. Mucius, si quando de eo confuleretur, clientes ad hunc discipulum suum remitteret. *Cic. pro Balbo Cap. XX. Valer. Max. Lib. VIII. Cap. 12. ex. 1.* Obiit Quaestorius, senex & orbis, quas duas res sibi, natura dicaciori, & faceto, magnam licentiam praebere loquendi, fatebatur. *Val. Max. Lib. VI. Cap. 2. ex. 12.*

A. Cascellius.

* *Juris praediatorii*, cujus mentionem passim faciunt veteres, & de quo singulare caput olim in Edicto exstitit, *l. 54. D. de jure dot.* hodie nec vola, nec vestigium exstat in jure nostro. Rem

tamen expedit Claud. Salmaf. *de modo usur. p. 739. seq.* PRAES, teste Festo, erat, qui populo se obligabat, interrogatusque a magistratu, si praes esset, respondebat: praes. Si plures pro eadem re, e. g. pro ejusdem vectigalis conductoribus sese obligassent, ii COMPRAEDES dicebantur. Ii, quorum bona publico fuerant obligata, PRAEDIATI; ipsa bona publico obligata, PRAEDIA; qui ea bona commissa emebant, PRAEDIATORES adpellabantur. Ergo IVS PRAEDIATORIVM erat, quo, quid justum sit circa praediatos, eorumque bona, tradebatur; LEX vero PRAEDIATORIA, vel titulus edicti *de praedicatoribus*, quem Cajus jurisconsultus singulari commentario illustraverat, vel pactum illud, quod magistratus publico nomine cum praedibus inierant. Addantur viri docti ad Sueton. *Claud. Cap. IX. H.*

§. CXCI.

Ejus facietiae & Benedicta.

De facetiis ejus, quarum supra exemplum vidimus, (§. LXXVIII.) consuli possunt Macrob. *Saturn. II, 6.* Quinctilian. *Instit. Orat. VI, 4.* & Scip. Gentil. *Parerg. I, 38.* Scripsit quaedam, sed ex quibus jam Pomponii aetate nihil existit *, nisi unus liber BENEDICTORVM. l. 2. §. 45. *D. de orig. jur.* per quae nihil aliud intelligi videtur, quam dicta cata faceta acutaque, quibus ille responsa sua passim distinxit. Menag. *Amoenit. jur. civ. Cap. VIII.* Corn. van Bynkersh. *Praeterm. ad l. 2. §. 45. D. de orig. jur.* Ita enim *benedicta* acceperunt rhetores. Seneca *Lib. I Controv. 4. Auct. de corrupt. eloqu. Cap. XXXIV.* Quinctilian. *VI, 4.*

* Saepe tamen Cascellio denunciatur testimonium a Labeone, l. 29. pr. *D. de legat. III. l. 6. §. 1. D. de dote praeleg.* Celso, l. 158. *D. de verb. sign.* Javoleno, l. 39. pr. §. 2. *D. de vulg.*

§ pupill. subst. l. 100. pr. D. de legat. III. l. 7. pr. D. de trit. vin. ol. l. 26. §. 1. D. de instr. § instr. leg. l. 10. D. de supell. leg. l. 39. §. 1. D. de aur. arg. l. 40. §. 1. D. de condit. § dem. denique ab Ulpiano, l. 1. §. 17. D. de aqu. § aqu. pluv. & l. 1. §. 7. D. quod vi aut clam. H. §. CXCII.

Nec praetereundus denique est Q. AELIVS TVBERO, Q. Ligarii apud Julium Caesarem accusator, qui ab A. Ofilio profecisse dicitur. De gente Aelia, ex qua ille oriundus fuit, accuratius egit Rupertus in *Enchirid. Pomponii* p. 346. In matrimonio habuit Servii Sulpicii filiam, ipse postea avus maternus Cassii Longini futurus *, l. 2. §. 47. D. de orig. jur. Praeter filiam illam fustulisse etiam videtur filium, Consulem anno DCCXLIII. Hunc enim Dio Cassius in *latterculo Coss.* quem libro LIV. praemisit, vocat K. Ἀίλιον, K. ὕι. Τυβέρωνα, Q. Aelium, Q. F. Tuberonem, quod ad nostrum, quippe L. Filium pertinere non potest.

Q. Aelius Tubero.

* Cicero pro Q. Ligario Cap. I. & postea saepius hunc Q. Tuberonem vocat propinquum suum. Quem locum interpretatur Scholiastes: Dicebatur, inquit, Tubero sororem Ciceronis habuisse in matrimonio. Aut ergo, fama deceptus, haec scripsit Scholiastes, aut bis uxorem duxisse oportet Tuberonem. H.

§. CXCIII.

Habitus est doctissimus publici privatique juris, librosque reliquit DE OFFICIO IUDICIS, Gell. Noct. Attic. XIV, 2. item AD OPPIVM, Gell. Noct. Attic. VII, 9. At hi-

Ejus scripta.

storiarum libros XIV, quos eidem Tuberoni nostro tribuit Guil. Grotius *vit. Jctor. l. 12, 5.* L. potius Tuberoni, patri, tribuendos esse existimat Voss. *de Historic. Lat. Lib. I. Cap. 12.* idque satis luculenter probat ex Cicer. *Lib. I. ad Q. frat. Epist. I.* ubi ad fratrem scribens: *Quamquam*, inquit, *legatos habeas eos, qui ipsi per se habituri sint rationem dignitatis suae: de quibus honore, & dignitate, & aetate praestat TUBERO: quem ego arbitror, (praesertim quum scribat HISTORIAM,) multos ex suis annalibus deligere, quos velit & possit imitari**. Ceterum, quamvis observatum sit a Pomponio, scripta Tuberonis nostri non adeo magnum plausum tulisse ob sermonem antiquum & obsoletum, quem tamquam cum Euandri matre loquuturus ubique adfectarit: *l. 2. §. 46. D. de orig. jur.* saepe tamen eum testem laudari animadvertimus a Labeone, *l. 29. §. 4. D. de legat. III. Celso, l. 6. D. de pecul. l. 43. D. de legat. III. l. 7. §. 1. 2. D. de Jupell. leg. Javoleno, l. 77. D. de contrab. emt. l. 7. pr. D. de trit. vin. ol. l. 25. pr. D. de instr. & instr. leg. Ulpiano, l. 2. §. 1. D. de usu & hab. l. 5. §. 4. l. 7. pr. D. de pecul. l. 13. §. 30. D. de act. emt. l. 1. pr. D. de aqu. & aqu. pluv. l. 72. pr. D. de verb. obl. denique a Paulo, l. 32. §. 1. D. de aur. arg.*

* Quum tam frequenter a viris doctis confundantur Aclii Tuberones, ejusdem quidem gentis cum Catis & Paetis, at diversae plane familiae: licebit eos brevi schemati includere, eademque opera supplere illud, quod dedit Christ. Ad. Rupertus *ad Enchir. Pompon. Lib. III. Cap. 4.*

L. AELIVS PAETVS TVBERO primus ita cognominatus, Praetor urbanus. De quo Val. Max. V, 6, 4. Plin. *Hist. Nat.* X, 18.

P. AELIVS TVBERO, Aedil. pleb. anno 551. Liv. XXX. 39. Praetor anno 552. Siciliam fortitus. Id. *cap.* 40. legatus anno 563. Idem XXXVII, 55.

Q. AELIVS TVBERO, tribunus pl. anno 559. Liv. XXXIV, 52. Triumvir anno 560. Liv. XXXV, 9.

Q. AELIVS TVBERO, L. Aemilii Paulli gener, de quo Plutarch. in L. Aemilio Paulo.

Q. AELIVS TVBERO, Stoicus & JC. de quo Val. Max. VII, 5. 1. Cic. *pro Muraena Cap.* 36. *de Orat. Lib.* III, 23.

P. AELIVS TVBERO, de quo Cic. *de Oratore II*, 84.

L. AELIVS TVBERO historicus, Q. Ciceronis legatus in Asia, postea propraetore Africam fortitus littore prohibitus a Q. Ligario & P. Atio Varo.

Q. AELIVS L. F. TVBERO JCtus, de quo hic agimus. Vxores Ciceronis foror & Ser. Sulpicii filia.

Q. AELIVS Q. F. TVBERO Cof. cum P. Fabio Maximo anno V. C. 743. Dio Cass.

filia nupta Cassio.

CASSIVS LONGINVS, JCtus, de quo infra. H.

§. CXCIV.

Quum ergo tum Roma tantum ingeniorum praestantissimorum proventum viderit, ex his vero quibusdam, veluti LABEONI, atrox infedisset veteris reipublicae liberae memo- Sectarum origo.

memoria, alii cum ATEIO CAPITONE scenae fervirent, fructusque hujus obsequii sui caperent uberrimos: non potuit non inter diversarum partium jurisconsultos aemulatio nasci, ex qua & discrepantia in interpretando jure respondendoque principia, & inde diversas SECTAS pullulare omnino oportuit.

§. CXCIV.

Earum
descri-
ptio.

Hinc de M. ANTISTIO LABEONE & C. ATEIO CAPITONE Pomponius: *Hi duo, inquit, primum veluti diversas SECTAS fecerunt. Nam Atejus Capito in his, quae ei tradita fuerant, perseverabat: Labeo ingenii qualitate, & fiducia doctrinae, qui & ceteris operis sapientiae operam dederat, plura innovare instituit.* * l. 2. §. 47. *D. de orig. jur.* De his vero jurisconsultorum sectis cum cura egerunt Em. Merill. *Obs. 1, 2. sequ.* & V. C. Gottfrid. Mascovius *de sectis Sabin. & Proculian.* qui in primis *Cap. IX.* vestigia sectarum praecipua per universum jus sagaci ingenio investigavit.

* Mirum profecto est, hos jurisconsultos tam non modo inter se, sed & a se ipsis dissensisse, ut alia principia in republica: alia in jurisprudentiae studio sequerentur. In republica LABEO tantum abest, ut nova probaret, *ut nihil ratum pensumque haberet, nisi quod justum sanctumque esse, in Romanis antiquitatibus legisset.* Gell. *Noct. Attic. XIII, 12.* Contra ATEIVS CAPITO accommodato dominantibus ingenio facile omnia, quae Augustus de novo instituebat, probabat. (§. CLXXIX. sequ.) At in jurisprudentia LABEO novator erat, ATEIVS ea, quae a majoribus tra-

dita

dita acceperat, mordicus tenebat. Sic saepe maximos etiam viros alio ingenio domi, alio in republica, esse animadvertimus. H.

§. CXCVI.

Talis sub Augusto fuit jurisprudentiae facies. Ejus successor, TIBERIVS, callidissimus princeps, non modo iisdem Augusti artibus, suscepto imperio, sollerter usus est, sed & nova quaedam reperit, ad stabiliendam *μοναρχίαν* vel maxime comparata. Nam ut inter initia principatus civilem admodum, ae paullo minus, quam privatum, egit. Sueton. *Tiber. Cap. XXVI.* adeo, ut *cuncta per consules inciperet, tamquam vetere republica, & ambiguus imperandi, ne edictum quidem, quo patres in curiam vocabat, nisi tribuniciae potestatis praescriptione, proponeret: Tacit. Annal. 1, 7.* Ita paulatim principem exeruit praestititque*. Sueton. *Tiber. Cap. XXXIII.*

Qualis
Augusti
successor,
Tiberius?

* Mutationem hanc omnes historici observant: at ipsum tempus, quo Tiberius, veluti Circeo poculo inebriatus, semel simulque sui dissimillimus factus est, simulque causam istius μεταμορφώσεως accuratius, quam alius quisquam, notavit Dio Cassius *Lib. LVII. p. 615. & pag. 706. Edit. Steph.* Postquam enim Germanici casum narravit, statim pergit historicus πολιτικάις: Τίβερος δὲ, ἰσπεὶ τὸ ἐφεδρευὼν ἐκέῖν ἔρχεν, ἐς πῶν τὲναντίον τῶν πρόθεον ἐργασμῶν αὐτοῦ, πολλῶν ὄντων καὶ καλῶν, διεξέστη. τὰ τε γὰρ ἄλλα, ἀγέλιως ἤρξε, καὶ ταῖς τῆς ἀσεβείας δίκαις, εἴ τις ἐκ ὅσον ἐς τὸν Ἀυγύστον, ἀλλὰ καὶ ἐς αὐτὸν ἰκέεινον, τὴν τε μάλιστα αὐτῷ πράξας τι ἢ καὶ εἰπὼν ἀνεπιτήδειον ἐπεκλήθη, δεινῶς ἰπεξήθη. Enimvero Tiberius, ubi jam nemo esset, qui principatui immi-

nens,

mens, vitam ejus observaret, quum antehac plurima egregie fecisset, tum in contraria omnia mutatus est. Imperavit crudeliter, violati numinis postulari jussit, non modo qui contra Augustum, sed etiam qui contra ipsum aut matrem quidquam egissent, loquutique essent incommodius. Itaque tum demum suo omnia arbitrio agere coepit, quum remoto aemuli, Germanici, metu, se solum ex familia Augusta superesse animadverteret, id est, anno ab V. C. DCCLXXII. H.

§. CXCVII.

Vetere ritu sub eo lata Lex Junia Norbana.

Et sane exemplo Augusti aliquamdiu leges vetere ritu, missisque in suffragium centuriis vel tribubus, ferri passus est. Talis enim omnino est LEX JUNIA NORBANA de libertinis, minus sollemniter manumissis, Latinorum coloniariorum numero habendis, Ulpian. *Fragm. l. 10. Caj. Inst. l. 1, 2.* non libera adhuc republica anno ab V. C. DCLXX. C. Junio Norbano Balbo & L. Cornelio Coss. (quod in mentem nuper venit V. C. Hermanno Noordkerkio *Disquis. de lege Petron. p. 91.* *) sed centum annis post, puta anno ab V. C. DCCLXXII. M. Junio Silano & L. Junio Norbano Coss. lata, ceu contra Noordkerkium ostendit Jo. Guill. Hoffmannus *de lege Jul. de adulter. Cap. V. p. 107.*

* Nimirum primo vir doctus sibi procul dubio persuaserat, post Augustum nullas amplius leges vetere ritu rogatas esse. Deinde favorem libertatis, quem haec lex eo ipso prodiderit, dum eos, qui domini voluntate in libertate morarentur, Latinos saltim esse voluerit, temporibus illis minus convenire, existimavit. Denique cives Romanos, in

in Latinas colonias missos, temporibus Augusti & Tiberii jam civitate donatos esse, observat, ex eoque colligit, legem Juniam, si libertinos minus sollemniter manumissos Latinis coloniariis exaequasset, eo ipso illos declarasse cives Romanos. Quod quum absolum videatur, potius hanc legem multo antiquiorem, & libera adhuc republica latam esse censuit. Sed quod fecisse Augustum vidimus: quidni & fecerit Tiberius, maxime quum ad hunc ipsum civilem admodum, & vix principem ageret? Sane sub eodem principe & legem VISELLIAM vetere ritu latam esse probabile est. (§. CLXVII. *) Deinde potuit legislator favere libertati, quamvis libertinos ad jura civitatis promiscue non admitteret. Denique falsum est, quod vir clarissimus pro certo ponit, Latinos coloniarios jam sub Augusto & Tiberio cives fuisse. Jus enim Latii, certis coloniis, immo totis provinciis datum, multo post Tiberii tempora a jure civitatis Romanae diversum fuisse, luculenter docuit Ez. Spanhem. *Orb. Rom. Exerc. I. cap. 8.* ipse tamen lapsus memoria, dum pag. 46. legem nostram a Junio Norbano sub Augusto latam esse statuit. H.

§. CXCVIII.

Sed & reliqua Augusti instituta servavit Tiberius. Nam & praefectorum urbi & praetorio auxit potentiam*: & in provinciis suo omnia arbitrio disposuit: & jurisconsultorum celeberrimis, inter quos MASVRIVM SABINVM nominat Pomponius, l. 2. §. ult. *D. de orig. jur.* facultatem de jure respondendi pro beneficio dedit.

Tiberius
& reliqua
Augusti
instituta
servat.

* Patet hoc exemplo L. Aelii Sejani, quem ad annum DCCLXXXV. Praefectum praetorio habuit, quem Dio Cass. *Lib. LVIII, p. 630. & pag. 722. Edit.*

Edit. Steph. vocat μέγιστον τῶν τε πρὸ αὐτῆ, καὶ τῶν μετ' αὐτὸν (πλὴν Πλωτιανῆ) τῶν ἡγεμονείαν ταύτων λαβόντων, ἰχθύσαντα, inter omnes, qui ante aut post illum, (excepto Plautiano,) illam potestatem consequuti sint, ad summam potentiam euectum. Et Tacit. Annal. IV, 2. Sejanum non modo vix praefecturae modicam antea intendisse, observat, sed & id factum esse, monet, facili Tiberio, atque ita prono, ut socium laborum non modo in sermonibus, sed apud patres & populum, celebraret, colique per theatra & fora effigies ejus, interque principia legionum, sineret. Conf. Sueton. Tiber. Cap. LXV. H.

§. CXCIX.

Comitia
tamen a
populo
ad patres
transfu-
lit.

Dominatum tamen non alia arte magis stabilivit, quam comitiis primo statim imperii sui anno, Sex. Pompejo & Sex. Appulejo Coss. a populo ad patres translatis. Tacit. *Annal. 1, 15.* Nam ad eum diem etsi potissima arbitrio principis, quaedam tamen etiam studiis tribuum facta fuerant. Ex eo vero tempore & honores decernebantur a Senatu, praeter consulatum, quem ipse princeps suo arbitrio dabat, Dio Cass. *Lib. LVIII. p. 633. & 726. Edit. Steph. Lips. Excurs. E. ad Tacit. Lib. 1. Annal.* neque dubitabatur amplius, Senatum jus facere posse. *l. 9. D. de legib.* Senatum vero adeo sibi obnoxium habebat princeps, ut non temere quisquam in alia ire auderet, quam qua ire animadverteret principem, maxime quum in curia non, uti in campo Martio, vel in foro, tabellis suffragia ferrentur, sed patres viva voce & discessione, viden-

vidente atque audiente principe, sententiam animi denudare cogerentur. Ita quaecumque vellet, statuebat Tiberius: quamvis ad minuendam invidiam ea a Senatu decerni fingeret. *

* Et haec erat vera hujus consilii ratio. Nam quam Pomponius *l. 2. §. 9. D. de orig. jur.* reddit, quod difficile fuerit, tantam populi multitudinem in unum convenire, ad obtentum pertinet, quo novum hoc institutum excusabat princeps astutissimus. Ceterum quamvis initio illa mutatio circa comitia potissimum ad magistratus creandos pertineret, non ad leges, quippe quas Tiberium adhuc aliquando populi suffragiis tulisse, diximus: facile tamen est ad animadvertendum, expertem semel juris suffragii populum aequo animo pati debuisse, ut & jura nova per Senatum, quotiescumque collibitum fuisset principi, statuerentur. Quod observans Tacit. *Annal. III, 60.* Tiberium vim principatus sibi firmantem antiquitatis imaginem Senatui prae buisse, ait. H.

§. CC.

Ex eo tempore jam rarius leges prisco more rogabantur. Pleraque enim, quae pro legibus valere volebant principes, habita, aut per Quaestores candidatos * recitata oratione, vel libello praelecto, patribus commendabant. ** Tacit. *Annal. XI, 25.* Quo facto aliquot Senatores dicebant sententiam, reliquis aut verbo assentientibus, aut pedibus euntibus in partem alterutram. Quod pluribus placuerat, id pro lege erat, & SENATVS-CONSVLTVM dicebatur. Tac. *Annal. VI,*

Hinc jura
nova
SCtis
constitu-
ta.

de Officiis de Senatu
pro auctoritate
 12. Placere vero solebat tantum non omni-
 quis, quod principi placuisset.

de Officiis de candidatis
pro auctoritate
 * Hos *Quaestores* primum ab Augusto introductos esse, post annum V. C. 743. ut Senatus Consulta adfervarent, quum Tribuni Pl. ac Aediles, quibus ante id negotium datum fuerat, per apparitores suos hoc egissent, atque propterea erroribus & confusioni dedissent occasionem, statuit diligentissimus Pancirolus in *Commentar. ad Notit. Imp. Oriental. cap. 73.* Sed errat sine dubio; neque Dio, ad quem provocat, *Lib. LIV. pag. 625. Edit. Steph.* dicit, Quaestores custodiendorum Senatus-Consultorum causa primum tum creatos esse, verum id memoriae tradidit historicus, Quaestoribus, qui in urbe magistratum gerebant, eo demum tempore hanc servandorum SC. curam demandatam esse. *Quaestores Candidati* sine dubio jam ab anno V. C. 727. creati coeperunt, postquam facta est *divisio provinciarum*, Augustum inter & S. P. Q. Romanum, isque *Proconsulare imperium* sumplit. Duplex *aerarium* tum fuit, alterum populi, alterum Augusti, Dio *Lib. LIII. p. 580.* Eam vero ob causam Augusto *Quaestoribus* opus erat, qui aerarii, ad quod provinciarum Augustalium reditus pertinebant, curam gererent, rationes e provinciis Romam transmissas conferrent, & conficerent, confectasque referrent ad Augustum. Deinde notum est, *Proconsules*, cum in provincias mitterentur, habuisse secum *Quaestores*, quibus etiam muneris sui partem demandare sunt soliti. Cum vero *Augustus perpetuus Proconsul*, in provincias suas *Legatos* mitteret, ipseque Romae esset, ex *Proconsulari* illa potestate *Quaestores* quoque circum se habuit, iisque non modo conferendarum conficiendarumque rationum curam demandavit, verum eorum quoque opera usus est in conscribendis epistolis, & praelegendis in Senatu libellis & orationibus.

tionibus. Vid. Dio *Lib. LIV. pag. 617.* Sueton. *Aug. c. 65.* Guther. *de Off. dom. Aug. Lib. II. c. 18.* & Dodwell. *Praelection. Cambden. prael. 10. pag. 864.* Sed cur *Quaestores hi, Candidati Principum* dicti sint, plurimos ignorare animadverto, ut adeo necessum sit, paucis etiam in hujus nominis originem inquirere. Scilicet *Quaestores* populi suffragiis in comitiis erant creandi. Sed, eversa libertate, Julius Caesar jam comitia cum populo partitus est, ut, teste Suetonio in *vita c. 41. de cetero numero candidatorum, pro parte dimidia, quos populus vellet, pronuntiarentur; pro parte altera, quos ipse edidisset.* Pergit Suetonius, editionisque narrat modum: *Et edebat per libellos circum tribus missos scriptura brevi, Caesar Dictator illi tribui. Commendo vobis illum, & illum, ut vestro suffragio suam dignitatem teneant.* Habes igitur *Candidatos Caesaris.* Cum deinde Augustus imperaret, comitia quidem habebantur veteri more, *nihil tamen,* inquit Dio *Lib. LIII. pag. 585. praeter voluntatem Augusti agebatur. Magistratus partim ipse DESIGNABAT, alios populo plebique creandos permittebat.* En! itaque *Candidatos Principis.* *Principis* enim nomine Augustus cuncta sub imperium accepit. Sunt autem *Quaestores καὶ ἐξορκιστῆς, Principis candidati* appellati, eam potissimum ob causam, quoniam non ut reliqui magistratus, populi Romani, provinciis, aut rebus urbanis, sed negotiis palatinis praeficiebantur; eratque consentaneum, ut ab ipso Principe deligerentur. De Tiberio vide, quae Dio habet, *Lib. LVIII. pag. 727.* Post stabilitam magis magisque monarchiam, & everso, in provincias, jure Senatus, cum cura aearii principalis aliis esset demandata, *Quaestores hi, scribendis Principum epistolis, rescriptis, edictis, decretis, & legendis in Senatu libellis orationibusque,* vacarunt, ut docet Ulpianus *titul. D. de Off. Quaest.* simul tamen, quia circa Principem

verfabantur, magnam sibi acq̄uiverunt auctori-
tatem, ita, ut deinde aevo Constantiniano *Quae-
stores Palatii*, audirent, & inter aulicas dignita-
tes summum obtinerent locum, *precum arbitri,
concilii regalis participes*, & *legum conditores*, ef-
sent, ut est apud Symmachum *Lib. I. ep. 17.* Est
de iis locus apud Zosimum *Lib. V. cap. 32.* me-
dela tamen egens; atque ad haec tempora perti-
nent Cassiodori *formulae*, ab Heineccio allegatae.
Sed inprimis consulenda *Notitia utriusque Imper.
in not. viri ill. Quaest. R.*

*** LIBELLI Scto praemissi mentio fit *l. 20. §. 6. D.
de hered. petit.* Multo frequentius tamen ORATI-
ONIS, quam vel ipse habebat princeps, vel per
Quaestorem candidatum recitabat. *l. 1. D. de offic.
quaest.* Tacit. *Annal. XVI, 27.* Sueton. *Aug.
Cap. LXV. Neron. Cap. XV. Tit. Cap. VI.*
Quod Quaestoris officium tanti videbatur, ut
Cassiodorus *Var. V, 4. §. VI, 5.* magistratum
illum vocare non dubitet *imaginem principis §
linguae regiae vocem.* Quum vero *orationem prin-
cipis* plerumque *patrum consultum sequeretur* :
Tacit. *Annal. XI, 25.* non mirum est, jura inve-
cta SCTis, orationibus principum sancita dici. *l.
pen. D. ad SC. Tertyll. l. 8. pr. D. de transact. l.
52. §. 10. D. pro soc. l. 60. pr. D. de rit. nupt. l.
32. pr. §. 1. sequ. D. de donat. int. vir. §. uxor. l.
1. l. 7. C. de praed. min. non alien. l. un. C. The-
od. de cretione.* Vopisc. *Prob. Cap. XIII.* Talis
oratio Claudii Imperatoris, qua Galliae jus civi-
tatis dedit, quamque & Tacit. *Annal. XI, 24.*
recensuit, integra exstat Lugduni, quam ex ta-
bula antiqua primus extulit Lips. *Excurs. A. ad
Tacit. Annal. Lib. XI.* postea accuratius descri-
psit exposuitque Jac. Sponius *dans la recherche
des Antiquités & curiosités de la ville de Lyon Cap.
VIII. pag. 170. sequ.* Addi possunt de principum
orationibus Christ. Otto a Boekeln *Diss. de Orat.
princip. in Senatu*, & Schubart. *de factis jurispr.
Rom. Exerc. III. p. 575. H.* §. CCL.

§. CCI.

Hoc modo anno ab V. C. DCCLXIX. SC. Libonianum.
 T. Statilio Tauro & L. Scribonio Libone,
 (non Statilio & Tauro) Coss. factum est SC.
 LIBONIANUM, quo poena legis Corneliae
 de falsis irrogatur, & ei, qui quid aliud, quam
 testamentum sciens signarit, signarive curarit, fal-
 sas testationes faciendas, testimoniave falsa invicem
 dicenda aut consignanda dolo malo curaverit. * Pa-
 riat. Leg. Mos. & Rom. VIII. 7. l. 9. §. 3. D. ad
 leg. Corn. de fals. Jac. Cujac. Parat. C. ad leg.
 Corn. de falsis. Petrus Fab. Semest. I, 25. p. 143.
 Claud. Salmaf. ad jus Attic. XXX. p. 877.

* Postrema Pariatoris verba admodum obscura, du-
 biaeque lectionis sunt, adeo, ut ne Basilica qui-
 dem hic verba Graece versa exhibeant, sed eo-
 rum auctores sensum qualemcumque inde excul-
 pere contenti fuerint. Quidquid inter viros do-
 ctos ea de re disputatum est, reperies apud V.
 A. Corn. van Bynkersh. Observ. III, 18. & Schul-
 ting. Jurispr. vet. antejustin. p. 763. H.

§. CCII.

Deinde anno ab V. C. DCCLXXIII. M. SCta Au-
 Aurelio Cotta & M. Valerio Messalla Coss. Se- relianum
 natus censuit, ut, si qui coierint ad occisionem in- & Claudi-
 nocentum, lege Cornelia de falsis tenerentur. Pa- anum.
 riat. leg. Mos. & Rom. ibid.* Insequente anno
 DCCLXXIV. Tiberio Aug. IV. & Druso
 Nerone iterum Coss. SCto cautum, ut dam-
 natis vitae spacium ad diem decimum propagaretur.
 Tacit. Annal. III, 51. Sueton. Tiber. Cap. LXXV.

Dio Cass. *Lib. LVII. p. 617. & p. 707. Edit. Steph.*
 Seneca de *Tranquil. Lib. I. Cap. 14.*

* Vid Bynkershoekius *Observat. III, 18.* & Schultingius *Jurispr. Antejust. p. 764.* In *l. i. §. i. D. de leg. Corn. de fals.* legitur, *coierit ad obligationem innocentum*, eaque lectio multum vexavit viros consultissimos. Melior certe est haec, *ad occisionem.* *Occisio*, notat condemnationem, aut periculum. Et bene observat Jo. Aug. Bachius de *Legib. Trajan. p. 12.* veteres, *jugulare, necare, occidere*, de iis dixisse, quos in judiciis, inprimis capitis, condemnassent. Imo Cato dixit, foenerari, *esse hominem occidere.* Vid. Gronov. *Observat. IV, 24. R.*

** Occasionem huic SC. praebuit C. Lutorii Prisci Equitis Romani fatum, qui ab accusatoribus impietatis accusatus ob carmen, quod in Germanici mortem conscripserat, & ob quod pecunia donatus fuerat a Tiberio; quasi id aegro Druso spe majoris praemii composuerit, a Senatu capitis fuerat damnatus. Factum ergo SC. urgente Tiberio, *ne decreta patrum ante diem decimum ad aerarium deferrentur, idque vitae spacium damnatis prorogaretur.* Tacit. *Ann. III, 51.* Aegre enim id tulerat Tiberius, *εχ' οτι κολλάσθη, αλλ' οτι τις υπο τ' βαλευτων ανευ της εαυτης γνωμης εθανατωθη* non quod is supplicio esset adfectus, sed quod Senatus aliquem sine sua sententia damnasset. Dio Cass. *Lib. LVII. p. cit. H.*

§. CCIII.

SCtaLici-
nianum &
Rubellia-
num.

Porro anno ab V. C. DCCLXXX. M. Licinio quintum & L. Calpurnio Coss. (non Licinio & Tauro Coss.) a Senatu decretum, *ut ex lege Cornelia de falsis condemnarentur, qui ob fruendam advectionem, testimoniave, pecuniam*
 acce-

acceperint pactive fuerint, societatem coierint, aut aliquam delationem interposuerint. Ita enim sententiam amplissimi ordinis exprimit *Pariator leg. Mos. & Rom. tit. VIII. §. 7.* qui ibidem etiam alterius meminit S^Cti, biennio post duobus Geminis Coss. facti, quo Senatus ejusdem legis Corneliae poenae subicit & illos, *qui ob venundandum, vel denunciandum vel non denunciandum remittendumve testimonium pecuniam acceperint.**

* In textu Pariatoris sine sensu legitur: *ob venundandum vel denudandum non remittendumve testimonium.* Hinc de sanando loco admodum solliciti sunt viri doctissimi, Heraldus *de rer. judicat. auct. I, 6.* Salmaf. *ad jus Att. Cap. XXX.* Hugo Grot. *Flor. spars. ad l. ult. C. de concuss.* & V. A. Cornel. van Bynkersh. *Observ. III, 19.* Nobis commodissimum sensum habere visa est, quam hic sequuti sumus, lectio. H.

§. CCIV.

Ejusdem aetatis est SC. PERNICIANVM, SC. Perficiantū vel Pernicianum. uti vocat Ulpianus *Fragm. XVI, 3.* vel PERSICIANVM potius ex sententia Perizonii *de lege Vocon. p. 156.* conditum sub Tiberio anno V. C. DCCLXXXVII. Paulo Fabio Perfico & L. Vitellio Nepote Coss. Est hoc caput illud, *quod Papiae legi a Tiberio additum, cuique a Claudio Imp. obrogatum esse,* scribit Sueton. *Claud. Cap. XXIII.* Eo S^Cto cautum fuerat, *ut sexagenariorum & quinquagenariarum nuptiae ne essent, ac proinde vir & uxor caelibatus poenis perpetuo tenerentur.**

Qua de re plura diximus

mus in *Commentar. ad Legem Jul & Pap. Popp.*
Lib. II. Cap. 3. §. 5. p. 159.

* Sunt qui jam lege Julia & Papi^a Poppaea, sexagenariis masculis, feminisque quinquagenariis, nuptiis interdictum fuisse, existimant: Ant. Augustin. *de Legib. & SC. p. 1213. Tom. II. The-sauri Graev. Just. Lips. Excurs. C. ad Tacit. Annal. Lib. III.* Barn. Briffon. *de jure connub. p. 160.* & ipse Jac. Gothofredus *Leg. Pap. Popp. Cap. II.* & quidem ob locum Lactantii *Instit. divin. I, 16. & l. 27. C. de nupt.* Sed ex Ulpiani *Fragm. XVI, 3.* patet, legem Juliam senes potius poenis caelibatus liberaffe, sub Tiberio vero additum esse per SC. Perficianum, ut perpetuis caelibatus poenis subjacerent, donec per Claudianum SC. & huic obrogatum, cautumque est, *ut qui major sexagenario minorem quinquagenaria duxerit, perinde haberetur, ac si minor sexaginta annorum uxorem duxisset.* Apud Lactantium ergo, & in *d. l. 27. C. de nupt. SC. Pernicianum*, quia ad legem Papiam factum est, cum lege ipsa confunditur. Quod saepe fieri, alibi pluribus exemplis ostendimus. H.

§. CCV.

Quaedam
 Tiberius
 etiam
 edictis
 constitu-
 it.

Quemadmodum vero jam sub Augusto, qui maxime civilis videri cupiebat, non pauca rescriptis edictisque constituta esse, vidimus: (§. CLXX.) ita multo minus dubitandum videtur, quin & TIBERIUS eadem usus sit potestate. Ejus sane constitutionum rescriptorumque mentio fit *l. 41. D. de hered. inst. & l. 38. §. 10. D. ad leg. Jul. de adult.* Neque tamen edicto, uti quibusdam visum, sed SCtis, in municipiis vel abolevit vel ad modum redegit jus moremque asylorum. * *Sueton. Tiber. Cap. XXXVII. & Tacit. Annal. III, 60.*

* Suet.

* Suetonius Tiberium *omnem vim moremque asylo- rum, quae usquam fuerint, abolevisse statuit.* Sed eum erroris, praeter commentatores arguunt Marsham. *in Can. chronic. p. 356.* & Spanheim. *de usu & praest. numism. Diss. IX. pag. 661.* Et sane rem expedit Tacitus, pluribus referens, crebrescente per Graecas urbes licentia atque impunitate asyla statuendi, completa fuisse templa pessimis servitorum, eodemque subsidio obaeratos adversum creditores, suspectosque capitalium criminum receptatos. Addit, principem retulisse rem omnem ad Senatum, civitatesque, quae id jus usurparent, legatos mittere iussas. Auditis legatis, aliis populi Rom. beneficium, aliis sociorum pacta, aliis regum, qui ante vim Romanam valuerint, decreta allegantibus facta esse SCta, *quibus multo cum honore, modus tamen praescriptus sit, iussimque, ut in templis aera figerentur, sacrandam ad memoriam, neu specie religionis in ambitionem delaberentur.* Tacit. *Annal. III, 63. H.*

§. CCVI.

Ceterum sub Tiberio quoque floruerunt Inter jurisconsulti celeberrimi, inter quos primum locum sibi suo quodam jure vindicat MASSURIUS SABINUS, non ille apud Athenaeum*, quem cum nostro plerique confundunt, sed laudatus ab Arriano *Dissert. Epictet. IV. 3.* & Persio *Satyra V. v. 90.* Praeceptore ille usus est Atejo Capitone, cujus ipse praecepta tam religiose tenuit, ut ab eo potissimum SABINIANORVM sectam nomen accepisse contendant. **

Inter jurisconsultos, sub Tiberio floruit Masurius Sabinus.

* Quamvis enim inter deipnosophistas & colloquutores apud Athenaeum fuerit *Masurius* quidam,

isque jurisconsultus, eumque hunc nostrum fuisse existiment viri doctissimi, Guil. Grot. *de vit. jurisc.* II, 1. & Rupertus *ad Pompon. Enchirid.* pag. 435. ratio tamen temporis, quo id convivium praebitum fingitur, vix patitur, ut calculum huic sententiae adjiciamus, nisi fingere velimus, Athenaeum tam fuisse absonum, ut inter homines diversorum saeculorum convivium celebratum fingere, id est, data opera nugari voluerit. Vid. Gerard. Jo. Voss. *de Histor. Lat.* I, 21. & V. C. Car. Andr. Duker. *de Latinit. vet. jurisconsult.* p. 158. H.

** Ita plerique, quos & ipsi aliquando sequuti sumus. Solus Jac. Gothofredus *in Manual. jur.* p. 29. SABINIANORVM nomen a Coclio Sabino, quem sub Vespasiano floruisse constat, arcessere maluit. Et sane quum sectatores nomina adsumere soleant a doctoribus, eodem tempore florentibus: probabile est, opponendos sibi esse PROCVLVM & CASSIVM, qui sub Claudio & Nerone potissimum inclaruerunt, nec non PEGASVM & COEL. SABINVM, qui sub Vespasianis floruerunt. Immo huic sententiae ipse favere videtur Pomponius, dum *l. 2. §. ult. D. de orig. jur.* scribit: *Adpellatique sunt partim CASSIANI, partim PROCVLEIANI, quae origo a Capitone & Labeone coeperat.* Ubi sane *Proculianos* non *Sabinianis*, sed *Cassianis* opponit. H.

§. CCVII.

Ejus modicae facultates.

Facultatem de jure respondendi acceperat a Tiberio, nec tamen multum rei fecerat, tam curtae supellectilis, ut fere ab auditoribus esset alendus. *l. 2. §. ult. D. de orig. jur.* Occurrit apud Gruter. *Inscript. p. DXXXV, 5. M. ASVRIA M. F. MARCELLA*, nupta veterano, quam filiam nostri fuisse putat Reines. *ad Inscript. p. 259.* Quod si verum esset, & prae-

praenomen jurisconsulti nostri inde posset restitui, & videretur hoc forte argumentum paupertatis admodum firmum, quod filiam militi gregario nuptum dare non dubitaverit. Sed conjecturam hanc non adeo probabilem esse, facile unusquisque intelligit.

§. CCVIII.

Reliquit SABINVS noster opera praestantissima, inter quae *libri tres* IVRIS CIVILIS tantae admirationi fuerunt veteribus, ut non modo jurisconsulti, veluti ARISTO, *l. 6. D. de usu & habit.* POMPONIVS, VLPIANVS & PAVLLVS eos commentariis illustrarint, sed & plerique, qui ab eo tempore ad Hadrianum usque floruerunt, librorum Sabinianorum ordinem, a Jac. Gothofredo in *Quatuor fontibus juris civilis* investigatum, in operibus suis sint sequuti*. Hub. Giphan. *Oeconom. jur. p. 120.* Quin hi ipsi sunt libri, quos Arrian. *Diss. Epictet. IV, 3.* τὰς Μασουρίων νόμους, *Masurii leges*; Persius vero *Sat. V. v. 90.* *Masur I rubricam* adpellant.

Libri tres
juris civili-
lis ab eo
scripti.

* Non potuit sane posteros, praeter Sabini auctoritatem, quidquam movere, ut ejus ordinem sequerentur, quippe parum profecto concinnum. Ostendit enim Jac. Gothofredus in *Sabinianor. libr. serie & continentibus. Thesaur. Jur. Civ. Tom. III. p. 250.* eum *primo libro* egisse de successione testamentaria, adeoque de testamentis ordinandis, de heredum institutionibus, & substitutionibus, hereditatis divisione, acquisitione & similibus quaestionibus, quae *libris Pandect. XXVIII. & sequ.* tractantur: *libro secundo* de bonorum possessione-

fectionibus, de legatis tum generatim, tum de variis eorum speciebus, de patria & dominica potestate, de contractibus, de nuptiis, dotibus, repudiis, de tutelis & delictis, denique de adquirendo rerum dominio, adquirenda amittendave possessione, solutionibus & donationibus: *libro tertio* & postremo de obligationibus contrahendis, de stipulationibus, novationibus, fidejussionibus, acceptilatione, de interdictis, actione ad exhibendum, servitutibus & rei vindicatione, & postremo de judiciis, jure publico, captivis & postliminio revertis egit. Nulla hic reddi potest ordinis ratio, nullus in hac rerum juridicarum farragine materiarum nexus deprehenditur, & tamen haec materiarum series placuit posteris, puta Sabinianis, quibus merito adclames illud poetae: *O imitatores, servum pecus!* H.

§. CCIX.

Reliqua
ejus ope-
ra.

Ab A. Gellio *Noct. Attic. III, 9*, laudatur *ejus liber* de INDIGENIS, (vel potius, (quod ipsius loci inde adducti materia indicat,) DE INDIGITAMENTIS. *Lips. Elect. 1, 7.**) **FASTORVM** libros laudat *Macrob. Saturn. 1, 4*, ut & libros **MEMORIALIUM** vel **MEMORABILIVM**, opus historicum, *Gellius Noct. Attic. IV, 20. V, 6. VI, 7. Macrob. Saturn. III, 6.* & *Paullus l. 144. D. de verb. signif. *** Scripsit & quaedam **AD EDICTVM VRBANVM**, ut patet ex *l. 18. D. de operis libert. libros ADSESSORIORVM* ~~*l. 12. D. de pact.*~~ *l. 5. §. 8. D. de injur. AD VITELLIVM, l. 45. D. de legat. III. denique RESPONSA, l. 4. pr. D. ad leg. Rhod. de jactu.* Plura tanti ingenii monumenta non reperio. Quem enim
Gell,

Gell. *Noct. Attic. XI*, 18. memorat, librum de FVRTIS, eum non tam fingulare opus, quam titulum librorum juris civilis fuisse, arbitramur.

* INDIGITAMENTA erant βιβλία ἱερὰ τινὰ, libri sacri, quibus Deorum nomina & sacrorum ritus veluti in indice comprehendebantur. Hujusmodi libros & alii scripserunt, veluti GRANIVS FLACCVS JCTus, Julio Caesari σύγχευθ, de quo supra (§. XVII.) plura diximus. Ejus enim *indigitamenta* laudat Cenforin. *de die natali Cap. III.* ex quibus permulta *in librum III. advers. gentes* retulisse Arnobium, observat Lud. Carrio *Einen-dat. I*, 4. H.

** De Inscriptione hujus libri, consule Gronovium *in praefat. ad Gellium*. Proba est lectio, *Memorialium*, si quid video, quam & Paullus, & Macrobius, servant. R.

§. CCX. vs. Annal. Tacite XI. Scilicet

Eorumdem temporum, at diversae sectae, M. Cocceius Nerva *; quem Labronis fuisse auditorem dissensionesque auxisse, testatur Pomponius *l. 2. §. ult. D. de orig. jur.* Tiberio fuit familiarissimus, quocum solus fere Senatorum septem fere annos familiarissime vixit in Campania. Tacit. *Annal. IV*, 58. *VI*, 26. Functus est aquarum curatione, Frontin. *de Aquaeduct. Art. CII. pag. 183. Edit. Polen.* & consul fuit anno ab V. C. DCCLXXV. collega C. Vibio Rufino. Gruter. *Inscript. p. CLXXXVII*, 13. *p. DCII*, 4. Anno demum DCCLXXXVI. vitam inedia finiit, tanta animi obstinatione, ut ne a Tiberio quidem
fca

se a proposito revocari pateretur. Tacit. *Annal.* VI, 26. Reliquisse eum quaedam ingenii monumenta, fatis constat: l. 2. §. 28. *D. ne quid in loc. publ.* quamquam ne inscriptio quidem librorum hodie nota est.

* Ut tot Nervae, cum in universa historia Romana, tum in historia juris, celebrati recte distinguantur: eos in schemate quodam hic lectoribus ob oculos ponere juvabit.

M. COCCEIVS NERVA.

M. COCCEIVS M. F. NERVA.
Golz. *Fast.* p. 206. Consul anno 718.
cum L. Gellio Poplicola. ab Appi-
ano perperam L. Coccejus vocatus.

M. COCCEIVS M. F. M. N. NER-
VA Jctus noster, Cos. anno 775. vi-
tam anno 786. inedia finivit.

M. COCCEIVS M. F. M. N. M. P.—SERGIA LAENA-
NERVA ipse quoque Jctus, qui de—TISA PLAVTIL-
ufucapionibus scripsit, Consul fuffe—LA mater Imp.
ctus anno ab V. C. 793. Nervae Caes. Aug.
memoratur in la-
pide apud Spon.
*Miscell. erud. an-
tiqu.* p. 268.

Imp. NERVA CAES. AVG. GERMANICVS
caeso Domitiano ad imperium pervenit
anno ab V. C. 849. decessit, adoptato
M. Ulpio Trajano anno 851. VI. Kal.
Febr. - H.

§. CCXI.

Qui Tiberio successit, C. CALIGVLA, nihil fere, praeter externam speciem, humani habuit: neque monstro illi & dedecori humani generis quidquam debet jurisprudentia. Tentaverat, revocato more comitiorum suffragia reddere populo, Sueton. *Calig. Cap. XVI.* immo reddiderat, mox erepturus: Dio Cass. *Lib. LIX, p. 647. & 753. Ed. Steph.* sed jurisconsultis intensissimus, non modo C. Cassio Longino struxit insidias, Cassium cavere sortibus Antianis iussus, Sueton. *Calig. Cap. LVII.* Dio Cass. *Lib. LIX. extr.* verum etiam toti jurisperitorum ordini exitium minatus est, si recte intelligimus verba Suetonii *in vita Cap. XXXIV.* *De juris quoque consultis, quasi scientiae eorum omnem usum aboliturus, saepe jactavit, se mehercule effecturum, ne quid respondere possint praeter eum.**

Status juris sub C. Caligula Caesare.

* Vexatissimus locus, & a criticis non minus, quam librariis male habitus. Alii omitti jubent verba: *praeter eum*, alii legi jubent *praeter aequum*, alii *praeter eccum*, alii *praeterea*, alii *praeter verum*, alii *praeter Deum*, alii *praeter: Te reum?* nullo fere sensu. Qui viros doctos ad hunc locum legerit, affatim ineptiarum reperiet. Nobis adhuc placet Jos. Scaligeri interpretatio adlata a Casaubono: *In Caligula lege indubitate: Ne quis respondere possit, praeter eum. Vox tyrannica, sed satis acuta: se sublaturum jurisconsultos, ita ut ipsius voluntas sit pro jure: nemoque superfit, qui consulatur, praeter eum, hoc est, Caligulam. Quemadmodum enim in animo habebat Caligula omnia exemplaria Liviana & Virgiliana abolere: ita etiam omnes jurisconsultos, ut nemo superesset,*
qui

qui de jure consuli & respondere posset, praeter eum, nempe Caligulam. Propterea subjicit Suetonius, quasi scientiae eorum omnem usum aboliturus. H.

§. CCXII.

Cur nusquam e-
jus in ju-
re fiat
mentio?

Enimvero & breve fuit Caji istius imperium, nec illi tantum ocii fuit in quotidiana ingluvie, ut de ulla re feria cogitaret. Praeterea acta illius omnia rescidit ejus successor Claudius, teste Suet. in *Claud. Cap. XI.* adeoque si quid forte constituerit novi, id postea ratum non fuit. Et hinc facile reddideris rationem, cur in universo jure nostro nihil omnino, quod Caligulae debeat originem, usquam occurrat. *

* Si enim acta rescinderentur alicujus tyranni, ple-
rumque simul ejus memoria damnabatur, & tunc
omnia, quae vel a damnato habebant nomen,
vel ad conservandam ejus memoriam pertine-
bant, solebant aboleri. Detrahebantur ergo eor-
um statuae, & vel constabantur, vel revellebantur,
vel capite saltim truncabantur. Hinc Ju-
venal. *Sat. X. v. 62.*

*Ardet adoratum populo caput, & crepat ingens
Sejanus, deinde ex facie toto orbe secunda*

Fiunt urceoli, pelves, sartago, patellae.

Exempla passim exstant apud Tacit. *Hist. III, 13.*
Herodian. *Hist. I, 14. VII, 7. VIII, 5.* Jul. Ca-
pitolin. *Maximin. Cap. XXIII. Gordian. Cap. IX.*
Euseb. *Hist. Eccl. VIII, 13.* Lactant. *de mortib.
persequ. Cap. XLII.* de quo more pluribus ege-
runt Just. Lips. *Excurs. ad Tacit. Annal. Lib. VI.*
Rad. Forner. *Quotid. II, 17. & 18.* Sed & reli-
quae imagines & picturae damnati memoriam
conservaturae corrumpiebantur, Herodian. *Hist.*
VII, 2. adeo, ut ne cusa quidem ab illis numi
valorena

valorem suum retinerent. Arrian. *Diss. Epictet. Cap. V.* Quare non mirum, si tam diri monstri nec leges, nec SCta, nec ulla alia instituta rata fuerint. H.

§. CCXIII.

Multa contra nova reperit, multa emendavit non incallidus juris, nec pessimis principibus adnumerandus TI. CLAUDIVS CAESAR. Primo enim quaedam circa magistratus mutavit, & *jurisdictionem de fideicommissis, quotannis & tantum in urbe delegari magistratibus solitam, in perpetuum atque etiam per provincias, potestatibus demandavit.* Sueton. *Claud. Cap. XXIII.* Et in urbe quidem de fideicommissis jus dicebant duo Praetores *, l. 2. §. 32. D. *de orig. jur.* (non unus, uti est in §. 1. *Inst. de fideic. hered.* siquidem unum Titus demum detraxit. l. 2. §. 32. D. *de Orig. jur.*) qui PRAETORES DE FIDEICOMMISS. vocantur apud Gruter. *Inscr. p. CCCLXXXIII, 6.* In provinciis Claudius eam jurisdictionem Praesidibus in perpetuum delegarat. Ulpian. *Fragm. tit. XXV, 12.*

Sub Claudio primo instituti Praetores fideicommissarii.

* Nec foli tamen. Ipse enim Ulpianus *ibid.* ait *Romae cognitionem de fideicommissis esse Consulum, aut Praetoris, qui fideicommissarius vocetur.* Quod recte interpretatus Cujacius *Obs. XXI, 34.* ostendit, Consules de majoribus, Praetorem de minoribus summis jus dixisse, eoque refert locum Ulpiani l. 19. §. 1. D. *jurisd.* Res ipsa certa est ex Quinctiliano *Inst. Orat. III, 6.* ubi ille: *Non debes, inquit, apud Praetorem petere fideicommissum, sed apud Consules. Major enim Praetoria cognitione summa est.* Add. Schulting. *Jurispr. vet. antejustin. p. 662.* H.

§. CCXIV.

Tutorum
datio ab
eo Coss.
delegata.

Deinde fati notum est, eundem Imperatorem sanxisse, *ut pupillis extra ordinem* * *tutores a consulibus darentur.* Sueton. *Claud. Cap. XXIII.* Quum enim antea ex lege Atilia in urbe tutores dedissent Praetores cum maiore parte tribunorum plebis, animadvertens Claudius, id minus diligenter fieri, eam curam delegavit Consulibus, tutores in posterum cum inquisitione daturis. §. 3. *Inst. de Atil. tut.* Id quod adhuc Plinii secundi temporibus obtinuisse, ex *Libr. IX. Epist. 13.* intelligimus.

* Quidquid alicui magistratum praeter munia ordinaria, demandabatur, quum alias id ex lege vel more majorum ad eorum curationem non pertinet, id EXTRA ORDINEM, vel, ut alibi in *Claud. Cap. XIV.* loquitur Suetonius, EXTRA HONOREM dari peragique dicebatur. Sic provincia aliquando dabatur, *extra ordinem.* Sueton. *Jul. Cap. IX.* bellum alicui decernebatur *extra ordinem.* Id. *Aug. Cap. III.* itemque iudicia. Sueton. *Vesp. Cap. X.* animalia rariora advecta publicabantur *extra ordinem.* Sueton. *Aug. Cap. XLIII.* artium magistri, si quando etiam horis non consuetis differerent, id *extra ordinem* facere dicebantur. Suet. *Tib. XXXII.* Add. Idem *Claud. VI.* Hinc & Coss. extra ordinem data est potestas tutores dandi, quod id alias ad Coss. non pertineret. H.

§. CCXV.

SC. Clau-
dianum
de sexa-
genario-

Permulta porro sub Claudio SCtis constituta sunt, quorum pleraque, quia in ejus inciderunt consulatus, ab ipso CLAUDIANORVM

RVM nomen acceperunt. * De iis ex instituto egit Petr. Faber *Semestr. I, 25*. In eo numero est SC. CLAVDIANVM, quo Scto Perniciano obrogatum, teste Sueton. *Claud. Cap. XXIII*. cautumque est, ut, qui major sexaginta annis minorem quinquagenaria duxisset, perinde haberetur, ac si minor sexagenario duxisset uxorem. Ulpian. *Fragm. XVI, 3*. Id SC. illustravimus in *Comment. nostro ad Leg. Jul. & Pap. Popp. Lib. II. Cap. 3. §. 6. p. 62.*

rum nu-
ptiis.

* Neque tamen omnia Scta *Claudianae* Claudio Imp. tribuenda sunt. *Claudianum* enim etiam vocatur edictum, ad legem Corneliam de falsis factum, *l. 14. §. 2. l. 15. pr. D. ad Leg. Corn. de fals.* quod tamen a Tiberio esse, eleganter demonstravit Petr. Faber *Semestr. I, 25. p. 143*. Aliud ejusdem nominis SC. memoratur in *rubr. tit. D. de SC. Silan. & Claud.* quod tamen non sub Claudio nostro, sed Nerone Imp. iterum & Calpurnio Pisone Coss. factum esse, & ideo *Pisonianum* quoque vocari in *l. 8. pr. D. eod. ex Tacit. Annal. XIII, 32*. discimus. H.

§. CCXVI.

Est & aliud SC. CLAVDIANVM, quod ad rem nauticam pertinuit, cujus varia capita passim occurrunt, veluti, *ut, si quis ex naufragia clavos, vel unum ex his abstulerit, omnium rerum nomine teneretur.* Ulpianus *l. 3. §. 8. D. de incend. ruin. naufr.* itemque, *ut negotiatoribus certa lucra proponerentur, suscepto damno, si quid per tempestates accideret: ut naves mercaturae causa fabricantibus magna commoda constituerentur pro conditione cujusque, civibus vacatio legis*

SC. Clau-
dianum
de re nau-
tica.

*Papiae Poppaeae**, *Latinis jus Quiritium, feminis jus quatuor liberorum.* Sueton. *Claud. Cap. XVIII. & XIX.* Ulpian. *Frag. III. 1. & 6. l. 3. D. de vacat. & excus. mun. l. 5. §. 3. D. de jur. immunit.*

* Neque tamen eo privilegio fruebantur Senatores navem fabricantes, *quod nec habere illis navem ex lege Julia repetundarum liceret. l. 3. D. de vacat. & excus. mun.* At multo ante legem Juliam repetundarum lege publica prohibitum fuerat Senatoribus, quo minus navem aedificarent. Nam jam anno V. C. DXXXV. P. Cornelio & Ti. Sempronio Coff. Q. Claudius, tribunus pl. favore legis C. Flaminio ad plebem tulerat, *ne quis Senator, quive Senatoris pater fuisset, maritimam navem, quae plus, quam trecentarum amphorarum esset, haberet.* Id enim fatis habitum ad fructus ex agris vectandos, quaestus omnes patribus indecorus visus. Rem per summam contentionem actam memoriae prodidit Livius *Lib. XXI. Cap. 63.* Et ad hanc legem respicere videtur Cicero *in Verr. V, 18.* *Noli metuere, Hortensi, ne quaeram qui licuerit aedificare navem Senatori? Antiquae sunt istae leges, & mortuae, quemadmodum tu soles dicere, quae vetant.* Sed antiquam illam & mortuam legem in vitam veluti revocavit lex Julia repetundarum. H.

§. CCXVII.

SCta Porro nota est LEX CLAUDIA, id est, Claudia- ut ego interpretor, SC. CLAUDIANVM, na de tu- quo tutela mulierum legitima sustinebatur.* Ulpian. *Fragm. XI, 8.* de quo nos plura in *Comment. ad Leg. Jul. & Pap. Popp. II, 11, 3. p. 237.* Denique celeberrimum etiam fuit SC. CLAV-

CLAVDIANVM de muliere fervi alieni amore bacchante, a domino fervi in servitutem vindicanda *, quod Justinianus sustulit. §. I. *Inst. de success. subl. l. un. C. de SC. Claud. toll.* Vid. Ulpian. *Fragm. XI, 11.* & Tertullian. *ad uxor. II, 8.* Conditum illud est anno V. C. DCCCV. Tacit. *Annal. XII, 53.* Cur vero illud Vespasiano tribuatur a Suetonio *Vespas. Cap. XI.* disquirat Petr. Faber *Semestr. I, 25.* **

more
baccha
tibus.

* Sunt, qui putant, hoc SC. prospexisse tantum dominis, ne in fervis suis, alieno amori operam dantibus, detrimentum paterentur; honestatem vero mulierum parum curasse Claudium, quoniam hae, permittente fervi domino, impune cum ipso concumbere potuerint. Est haec sententia Gothofredi *in Commentar. ad leg. I. Cod. Theod. ad SC. Claudian.* quam amplectitur quoque Georg. d'Arnaud *Var. Conject. lib. I. c. 20.* Et, tam Taciti locus, quam Theophil. *in Instit.* imo etiam Paullus *l. c.* opinioni favere videntur. Sed tu vide ea, quae notat elegantissimus vir, Schultingius, ad Paullum *pag. 306. Jurisprud. Antejust. R.*

** Existimat enim vir doctissimus, Vespasianum hujus SCti auctorem esse, sed consulem sub Claudio, non principem, ac proinde illud recte & Claudio & Vespasiano adscribi posse. Enimvero quum Suetonius eam sanctionem Vespasiano non tamquam privato, sed tamquam principi tribuere videatur: plerique hoc jus sub Claudio constitutum a Vespasiano in usum revocatum esse contendunt. Et sane non raro auctores rem & jus, ante jam ab aliis constitutum, ei solent tribuere, qui obsoletum renovavit, ut pluribus exemplis probavit Frid. Brummer. *de lege Cincia Cap. VII.* Ceterum *hujus relationis repertor* sub Claudio fuerat libertus famosissimus, Pallas, cui ideo Senatus praetoria insignia & centies quinquagies sestertium

decrevit, fixo aere SC. quo libertinus festerii ter millies possessor antiquae parcimoniae laudibus cumulabatur. Tacit. *Annal.* XII, 53. Exstat & hodie fragmentum SCti, quod pro merito exagitant Plin. major *Hist. Nat.* XXXV. cap. penult. & Plin. minor *Lib.* VII. *Epist.* 29. & *Lib.* VIII. *Epist.* 6. H.

§. CCXVIII.

SCta Lar-
gianum
aliaque
sub Clau-
dio facta.

Alia fuerunt SCta, quae tametsi Claudio imperante condita sint, nomen tamen ab eo non adsciverunt. Sic primo statim imperii anno, Claudio II. & L. Licinio Caecina Largo Coss. A. V. DCCXCV. factum est SC. LARGIANVM, quo cautum, *ut liberi manumissoris, non nominatim exheredes scripti, extraneis heredibus in bonis Latinorum praesferrentur. l. un. pr. & §. 12. C. de Lat. lib. toll.* Sic & Vellejo Rufo & Osterio Scapula, Coss. suffectis, id est, anno ab V. C. DCCXCVIII. factum SC. de adsignandis libertis, cujus ipsa verba legitima supersunt *l. 1. pr. D. de adsign. libert.* Duo porro SCta de aedificiis negotiationis causa non diruendis integra existant apud Jul. Capacium *Hist. Neapol.* II, 9. & Reines. *Inscr. Class.* VII, 11. quorum alterum Cn. Hosidio Geta & L. Vagellio Coss. suffectis, anno ab V. C. DCCXCIX. alterum decennio post sub Nerone conditum est, ex quo verba quaedam recitantur a Paulo *l. 52. D. de contrab. emt.*

§. CCXIX.

SC. Ma-
cedonia-
num.

Sed celeberrimum omnium est SC. MACEDONIANVM, Claudianis temporibus factum*

factum * anno ab V. C. DCCC. Tacit. *Annal.* XI, 13. Claudius *lege lata*, (ita hic SC. vocatur, uti supra §. CCXVII. *lex Claudia*) *saevitiam creditorum coërcuit, ne in mortem parentum pecunias filiis familias foenori darent.* Nomen hoc SC. tulit non ab auctore, sed a Macedone, filio familias, *qui inter ceteras sceleris causas, quas ei natura administrabat, etiam aes alienum adhibuerat: eoque cautum est, ut ne foeneratoribus, qui pecuniam filiosam credidissent, etiam post mortem patris actio petitioque daretur.* l. 1. pr. D. de SC. Macedon. Theophil. Paraphr. §. 7. *Inst. quod cum eo, qui in al. pot. est, negot. gest. ess. dic.*

* Hoc quoque SC. Vespasiano attribuit Sueton. in *Vespas. Cap. XI.* *Auctor Senatui fuit, decernendi, ne filiorum familias foeneratoribus exigendi crediti jus unquam esset, hoc est, ne post patrum quidem mortem.* Sed potest Vespasianus adhuc Senator sub Claudio auctor fuisse Senatui, ut improborum foeneratorum incertis nominibus credentium rapacitatem coërceret. Potest etiam jus, diris Neronis temporibus obsoletum, in usum revocasse. Quae enim legum vincula non perfringit foeneratorum audacia? Sane & post Vespasiani tempora, legem, licet vix restitutam, violare auctos esse homines improbos, colligi potest ex verbis Juvenalis *Sat. III. v. 43.*

Fumus promittere patris

Nec volo, nec possum. H.

§. CCXX.

Quaedam porro CLAUDIUS, decessorum exemplo, etiam EDICTIS & RESCRIPTIS constituit. Ita enim sanxit, *ut exposita a do-*

Quaedam
Claudius
edictis

consti-
tuit.

*minis mancipia aegra & adfecta libera essent, nec redirent in ditionem domini, si convalescissent. Quod si quis necare mallet, quam exponere, caedis crimine teneretur. Sueton. Claud. Cap. XXV.** Itemque, ut curatoris auctoritas in adrogationibus intercederet.** l. 8. D. de adopt. nec non, ut bonis paternis a fisco propter debita occupatis, peculium filii fam. profectitium separaretur. l. 3. §. 4. D. de minor. Porro, ut, si per quaestionem numariam praejudicium statui videatur fieri, quaestio cessaret: l. 4. §. 1. D. ne de statu defunct. denique, ne feminae pro viris intercederent, l. 2. pr. D. ad SC. Vellej.

* Mentio fit hujus Edicti l. un. §. 3. Cod. de Latin. libert. toll. & l. 2. D. qui sine manumiss. Huc pertinet Vegetius praefat. art. veterin. ubi scribit; praesertim cum mancipia, quorum plebeja curatio non putatur, saepe viatoris pretii, quam equi venduntur, aut muli. Inde facile colligi potest, cur gravi laborantes infirmitate servos, domini exponere maluerint. Ad edicta Claudii, quae Petr. Faber collegit, aliud adjecit Georg. d'Arnaud dis- fert. de his, qui pretii participand. caus. c. 7. de iis, qui pretium participaverint; libertate multandis, ex lege ult. D. quibus ad libert. proclam. non licet. R.

** Observat hoc Modestinus, d. l. 8. Nimirum ante Claudii tempora homines puberes, quamvis minores, recte se adrogandos dabant suo arbitrio, neque opus erat consensu curatorum, quia curator potissimum rei dabatur, adrogatio vero ad personam potius, quam ad ejus res pertinere videbatur. Attamen quum adrogatio simul esset modus acquirendi universalis, adeo ut & liberi, & bona omnia cum adrogato in potestatem ac dominium adrogatoris transfirent: pr. & §. 1. Inst. de adquis.

adquis. per adrogat. l. II. §. 2. D. de bon. possess. sec. tab. l. 15. D. de adopt. ipsa juris analogia id exigere videbatur Claudio, ut curatoris accederet consensus, vel, uti Modestinus loquitur, auctoritas. H.

§. CCXXI.

Status juris sub Nerone

Progredimur jam ad NERONEM CLAUDIVM CAESAREM, qui ficuti primo quinquennio humanissimi principis exemplum praebuerat, ita procedente tempore tam sui factus est dissimilis, ut in generis humani exitium natus videretur. De novis quibusdam ejus institutis Sueton. *Neron. Cap. XVII. Adversus falsarios, inquit, tum primum repertum, ne tabulae, nisi pertusae, ac ter lino per foramina trajecto, obfignarentur. Cautum, ut in testamentis primae duae cerae, testatorum modo nomine inscripto, vacuae signaturis ostenderentur: ac ne quis alieni testamenti scriptor legatum sibi adscriberet. Item, ut litigatores pro patrociniis certam justamque mercedem, pro subselliis nullam omnino darent, praebente aerario gratuita: utque rerum actu ab aerario caussae ad forum ac recuperatores transferrentur: & ut omnes adpellationes a iudicibus ad Senatum fierent. **

* De tabulas signandi modo litem inter Salmasium & Def. Heraldum intercessisse, nemo ignorat. Prior praeter ea, quae ea de re ad jus Atticum disseruit, singularem edidit diatriben *de modo subscribendi & signandi testamenta, & de veterum & hodiernorum sigillorum differentia, contra Desid. Heraldum. Lugd. Batav. MDCLIII. 8.* Inprimis notandum, Neronem noluisse, ut primum statim

τεταειδον, seu prima cera, nomen heredis contineret, quum antea moris fuisset, ut primae statim cerae linea prima testatoris; altera nomen heredis contineret. Unde Horat. *Lib. II. Sat. 5. v. 53.*

Quid prima secundo

Cera velit versu, solus, multisne coheres.
id est, quis heres sit institutus. Acron & Porphyrio *ad b. l.* Quae de certa justaque mercede advocatorum a Nerone constituta esse dicuntur, potius Tiberio sunt tribuenda. Is enim *capiendis pecuniis posuit modum, usque ad dena sestertia*, Tacit. *Annal. XI, 7.* quum contra Nero legis Cinciae sanctione in usum revocata, constituerit, *ne quis ad causam orandam mercede aut donis emeretur.* Idem *Annal. XIII, 5.* Memoria ergo hic lapsum Suetonium, ex instituto ostendit Brummer. *de lege Cinc. Cap. IV. § V.* ejusque sententiae subscripsit Jo. Ge. Graev. *ad Sueton. Ner. Cap. XVII.* De pecunia pro subfelliis exigi solita, hodie omnia ignota sunt: reliqua notissima. De adpellationibus ad Senatum magis perspicue Tacit. *Annal. XIV, 28. Auxitque patrum honorem, statuendo, ut, qui a privatis iudicibus ad Senatum provocassent, ejusdem pecuniae periculum facerent, cujus ii, qui Imperatorem adpellavere.* Nam antea vacuum id, solutumque poena fuerat. Licebat ergo adpellare Senatum, sed ita, ut certa pecunia ab adpellante deponeretur, quam amitteret, si in lite succubisset. H.

§. CCXXII.

SCta tamen, quibus haec constituta, pleraque ad alia tempora pertinent.

Quae his verbis describit Suetonius, jura nova, ea jura pleraque SCtis videntur inventa. Quae enim de tabulis certo modo signandis refert, ea *ab amplissimo ordine decreta esse*, docet Paull. *Rec. Sent. V, 25, 6.** quamvis id SC. ad Tiberii tempora referendum putet Petr. Faber *Semestr. I, 25.* Certius est, alte-

alteram functionem, ne quis ipse sibi legatum adscriberet, sub Tiberio prodiisse. Est enim illa ex SC. LIBONIANO, de quo jam supra diximus. (§. CCI.) Quum ergo & tertium Suetonii ἀμάθημα μνημονικόν de certa mercede advocatorum paullo ante observavimus (§. CCXXI. *) ex illo loco nos non adeo multum proficere posse, facile intelligimus.

- * Paullus quidem hoc SC. non ad tabulas testamentorum, sed ad *tabulas, quae publici privatique contractus scripturam continent*, refert. Sed nec Suetonius in specie testamentorum, sed generatim tabularum meminit. Itaque non opus est, ut sub contractuum vocabulo & testamenta intelligamus, uti jubet Salmaf. *de modo usur. Cap. XI.* siquidem eam vocabuli notionem jura non admittunt, *l. 20. D. de verbor. sign.* sed probabilis est SC. generatim hunc modum praefcriptisse, in omnibus tabulis sive super negotiis inter vivos, sive super ultimis voluntatibus conficerentur, observandum. Guil. Goef. *Not. ad Sueton. ibid: Suetonius*, inquit, *de testamentis*, (immo generatim de tabulis) *Paullus de contractibus loquitur: veruntamen quin uno eodemque SCto de his cautum sit, non ambigo: ut uni quod deest auctori, ex altero sit supplendum.* H.

§. CCXXIII.

Magis certum est sub Nerone conditum esse SC. CALVITIANVM, vel, uti Perizon. *de lege Vocon. p. 63.* legendum existimat, CALVISIANVM, cujus de auctore annoque natali omnia incerta sunt.* Eo cautum, *ut, quae quinquagenaria major, minori sexagenaria nupse-*

SC. Calvitanū vel Calvisianum.

nupserit, quique minor sexagenario, majorem quinquagenaria duxerit, iis impar illud matrimonium ad accipiendas hereditates dotesque legatas non proficeret, sed dos, mortua muliere, caduca fieret. Ulpian. *Fragm. XVI*, 3. Quae ad illustrandum hoc SC pertinent, jam occupavimus in *Comment. ad leg. Jul. & Pap. Popp. II*, 3. p. 163.

* Probabilius est, hoc SC. CALVISIANVM dictum esse, quam quod *Calvitianum* adpellatum sit, quia noti Calvisii, Calvitii vix in Romanorum scriptoribus ac monumentis occurrunt. Et sane sub Nerone reperio *Calvisum*, Agrippinae accusatorem apud Tacit. *Annal. XIII*, 19. paullo post relegatum a Nerone, teste eodem, *ibid. Cap. XXII*. & denique restitutum ex decreto Caesaris. Tac. *Annal. XIV*, 12. Sed hunc honores gessisse, ut ab eo SC. hoc nomen habere potuerit, non reperio. Sane anno ab V. C. DCCL. in *Fastis* celebrantur C. Calvisius Sabinus, & L. Passienus Rufus. Monim. Ancyran. *tab. 3.* apud Gronov. *in memor. Coffon.* p. 132. Viginti & novem annis post, anno DCCLXXIX. consulatus honore fuit C. Calvisius cum Cn. Cornelio Lentulo Getulico. Tacit. *Annal. IV*, 46. ex quorum sane liberis vel nepotibus aliquis sub Nerone inter Coff. suffectos esse potuit, immo revera fuit. P. enim *Calvisius* Cos. anno DCCCXIII. laudatur apud Grut. *Inscript.* p. LXIV, 9. H.

§. CCXXIV.

SC. Memmianum & Pisonianum vel Neronianum.

Certioris aetatis est SC. Memmianum, C. Memmio Regulo & Virginio Rufo Cos. factum anno V. C. DCCCXVI. quo cautum, *ne simulata adoptio in ulla parte muneris publici juvaret, & ne usurpandis quidem hereditatibus prodesset.* * l. 51. §. 1. D. de legat. II. l. 76. D. de condit.

condit. & demonstr. Tacit. *Annal.* XV, 19. Quam functionem illustravi in *Comment. ad leg. Jul. & Pap. Popp.* II, p. 204. De PISONIANO quoque, quod ad illustrandum Silanianum factum, jam supra diximus. (§. CCXV. *) Eo cautum fuerat, *ut, si quis a suis servis interfectus esset, ii quoque, qui testamento manumissi sub eodem tecto mansissent, inter servos supplicia penderent*: Tacit. *Annal.* XIII, 32. l. 3. §. 16. *D. de SC. Silan. & Claud.* itemque, *ut, si servus obnoxius poenae venisset, quandocumque in eum animadverti oporteret, venditor pretium praestaret.* l. 8. pr. *D. eod.* Denique *ut occisa uxore etiam de familia viri quaestio haberetur, idemque & juxta uxoris familiam observaretur, si vir diceretur occisus.* Paull. *Recept. Sent.* III, 5, 5. ubi hoc SC. NERONIANVM adpellatur.

- * Postquam Romani certa nuptiarum ac foecunditatis praemia, itemque poenas caelibatus orbitatisque statuerant: saepe orbi adoptionibus has leges eludere solebant. Quam fraudem legibus factam jam pridem graviter notaverat P. Scipio, de quo Gellius *Noct. Attic.* V, 19. *Animadvertimus in oratione P. Scipionis, quam Censor habuit ad populum de moribus, inter ea, quae reprehendebat, quod contra majorum instituta fierent, id etiam eum culpavisse, quod filius adoptivus patri adoptatori inter praemia patrum prodesset.* Sed non videtur censorum severitas par fuisse abolendae huic fraudi, nec alia ex eo tempore lex prodiiisse, qua illa coërceretur. Saltim de Neronis temporibus Tacit. *Annal.* XV, 19. *Percrebuerat, inquit, ea tempestate pravissimus mos, quum propinquis comitiis, aut sorte provinciarum, plerique orbi fictis adoptionibus adsciscerent filios,*
prae-

praeturasque & provincias inter patres sortiti, statim emitterent manu, quos adoptaverant. De quo quum magna cum invidia conquererentur ii, qui, quum liberorum parentes essent, orbis posthabebantur: factum hoc est SC. ad quod saepius remittimur in jure nostro. Vid. Vertran. Maur. de jure liberor. Cap. XLIII. H.

§. CCXXV.

SCtaTurpillianū & Volufianum.

Sed & SC. TVRPILLIANVM de abolitionibus & tergiversationibus in judiciis publicis, de quo *l. 1. 2. & 7. D. & l. 1. C. ad SC. Turpill. l. 3. §. ult. D. de praevaricat. iisdem temporibus factum est, anno ab V. C. DCCCXIV. C. Caesonio Paeto & C. Petronio Turpiliano Coss. Denique VOLVSIANVM factum anno DCCCXIX. Q. Volufio Saturnino & P. Cornelio Scipione Coss. * quorum mentio fit apud Tacit. *Annal. XIII, 25. Reines. Inscript. VII, 11. p. 476. Gruter. p. IX, 4. de aedificiis negotiationis causa non diruendis, marmoribusque non detrahendis, integrum exstat in marmore apud Capacium & Reinesium, (§. CCXVIII.) ex eoque verba quaedam laudantur l. 52. D. de contr. emt.**

* Quumque circa ea tempora vix alius Volufius Consul notus sit: vix dubitandum videtur, quin ejusdem aetatis sit, ab eodemque Q. Volufio Saturnino Cof. nomen acceperit SC. VOLVSIANVM alterum, quo cautum fuerat, *ut, qui improbe in alienam litem coiissent, ea lege, ut quod inde in rem alicujus redactum esset, inter eos communicaretur, lege Julia de vi privata tenerentur. l. 6. D. ad leg. Jul. de vi priv.* Id SC. quo tempore factum sit, ignorare se, fatetur Ant. Augustin. *de Nomin. propr. Pandect. Cap. IV. p. 330. H.*

§. CCXXVI.

§. CCXXVI.

Neque tamen ullum est SC. ejus temporis celebrius TREBELLIANO, quod L. Annaeo Seneca & Trebellio Maximo Cof. fuffectis, id est, anno ab V. C. DCCCXIV. diē VIII. Kal. Sept. factum esse novimus. * §. 4. *Inst. de fideicomm. hered. l. 1. §. 1. D. ad SC. Trebell.* Nec minus ex ipsis *Pandeētis* atque *Institutionibus* notum est, eo SC. decrevisse amplissimum ordinem, *ut actiones, quae in heredem heredibusve dari soleant, eae neque in eos, neque his darentur, qui fideicommissum, sicuti rogati essent, restituisent: sed his & in eos, quibus ex testamento fideicommissum restitutum fuisset, quo magis in reliquum confirmarentur supremas defunctorum voluntates. l. 1. §. 2. D. ad SC. Trebell.*

SC. Trebellianum.

* Equidem Senecam Cof. fuisse, negat Aufonius in *gratiar. act. Cap. 13.* sed ideo, uti observavit Vinetus, quod non fuisset Cof. ordinarius. Alioquin enim hodie satis certum est, consulatum ejus incidere in annum ab V. C. DCCCXIV. *Lipf. Vit. Senecae Cap. IV.* Ceterum SC. hoc dictum initio esse *Annaeanum*, & Seneca demum capitis damnato, ob damnatam simul ejus memoriam, *Trebelliani* nomen adsumpsisse, suspicatur Theod. Marcil. *ad §. 4. Inst. de fideic. hered.* Sed conjectura ea parum probabilis est, partim quod nusquam hoc SC. *Annaeanum* dictum esse, comperio, partim, quod non semper SCta a Consule majore, sed ab eo potissimum, qui ad Senatum retulerat, denominabantur. H.

§. CCXXVII.

Ut jam porro & ad IVRISCONSULTOS, qui a Tiberii excessu ad Neronis interitum

JCti sub
Caj. Claudio & Ne-

floru-

rone.
Sempro-
nius Pro-
culus.

floruerunt, progrediamur: inter eos sibi primum merito locum vindicat SEMPRONIVS PROCVLVS*, quem Nervae successisse maximaeque fuisse auctoritatis, & plurimum potuisse, refert Pomponius, *l. 2. §. ult. D. de orig. jur.* addens, ab eo Labeonis familiam PROCVLEIANORVM nomen adsumpsisse, quod post annum ab V. C. DCCLXXXVI. quo vivere Nerva desiit, factum esse oportet. Scripserat EPISTOLARVM *libros* non octo, quot in Indice Florentino memorantur, sed multo plures, quum ex *undecimo* quoque nonnulla decerpta videamus *l. 69. D. de contrab. emt. l. 12. D. praescript. verb. l. 17. D. de pact. dotal.* nec non NOTAS AD LABEONEM, quibus procul dubio doctrinas doctoris sui ab adversariorum stricturis vindicavit. *l. 10. §. 1. D. de negot. gest. l. 69. D. de condit. & dem.*

* Sunt qui PROCVLVM nostrum ex gente *Julia* fuisse existimant, ob marmor in rudibus aedium Proculi cujusdam repertum, quod tamen Reines. *Inscr. VI, 122. p. 459.* non ad hunc jurisconsultum nostrum, sed ad *L. Acadium Proculum*, pertinere censet, eaque occasione nostrum ex gente *Licina* fuisse sibi videri, docet. At verosimilius est, eum nec *Licinium*, nec *Julium*, sed SEMPRONIVM vocatum. Id enim nomen ei diserte tribuitur *l. 47. D. de legat. II. Grot. de vit. JC. II, 2, 1. Ever. Otto praefat. Thesaur. Jur. Tom. I.* Et aliunde constat, *Proculorum* cognomine usos esse Sempronios. Gruter. *Inscr. p. DLX, 9.* De aetate etiam Proculi non eadem omnes sentiunt. Haud levis sane error est Perrenonii *Animado. II, 23.* qui eum sub Julio Caesare floruisse existimat. Nec minus errant, qui ad Proculum nostrum

nostrum referunt, quae de Licinio Proculo, Praefecto praetorio sub Othone, passim narrat Tacit. *Histor. I, 46. 82. 87. II, 39. 40. 44. 60.* itemque, qui Martialem *Epigramm. I, 71.* de iurista consulto nostro cecinisse putant:

Vade salutatum, pro me, liber: ire iuberis

Ad PROCVLI nitidos, officiose, Lares.

Si enim Proculo, anno ab V. C. DCCLXXXVI. Nervae succedenti XXX. tantum annos tribuamus, (nec enim probabile est, prius eum ad tantam celebritatem pervenire potuisse, ut sectae caput haberetur,) sub Domitiano, sub quo Martialis scripsit, fuisset senex decrepitu, & alibi *Lib. XI. Epigr. 37. v. 8.* eum disertè vocat *C. Julium Proculum*, adeoque non magis noster est, quam qui a Tacito memoratur *Licinius Proculus*. Denique minime omnium ad nostrum pertinent rescripta Alexandri Imp. *l. 9. C. ad Leg. Jul. de adult.* & Gordiani, *l. 7. C. de accusat.* quamvis eum errorem erraverit Guido Pancirol. *Var. Lect. I, 79, 10. H.*

§. CCXXVIII.

Huic merito jungimus aequalem & aemulum, C. CASSIVM LONGINVM, Q. Aelii Tuberonis ex filia nepotem, Ser. Sulpicii pronepotem. (§. CXCI.) Consulem illum cum Quartino temporibus Tiberii fuisse observat Pomponius *l. 2. §. ult. D. de orig. jur.* sed Quartino L. Naevium Surdinum substituit Rupertus in *Pompon. Enchirid. p. 443. seqq.* quod hoc par Coss. occurrit in lapide apud Gruter. *Inscr. p. MLXXXVII, 4.** Praefecerat eum Asiae C. Caligula Imp. mox occidi iusserat, sed frustra. (§. CCXI.) Sub Claudio Syriae praefuit, & ad Euphratem castra habuit. Tacit. *Annal.*

XII, II. eaque occasione illi & cum Judaeis fuit negotium. Joseph. *Antiqu. Jud.* XX, 1. Sub Nerone in Senatu liberrime dixit sententiam: Tacit. *Annal.* XIII, 41. at postremo suspectus principi saevissimo in Sardinia exsulavit. Tac. *Annal.* XVI, 7. & 9. Sueton. *Neron. Cap. XXXVII.* inde tamen postea a Vespasiano revocatus. *l. 2. §. ult. D. de orig. jur. Menag. Amoen. jur. Cap. XLIII. p. 417.*

* Pro Quartino Cof. quem in *Fastis* non reperiunt, alii rescribunt *Q. Haterius*, alii *Surdinus*. Nam C. Cassius Longinus & L. Naevius Surdinus Cof. laudantur apud Gruterum *Inscr. p. MLXXXVII, 1.* Sed quum notissimus sit *M. Vinicii* sub Tiberio consulatus, sub eoque Cof. suffectus fuerit *C. Cassius Longinus*, eique collega tribuatur *L. Naevius Surdinus*, quis, quaeso, dubitet, quin ex *Surdino* facile fingi potuerit *Quartinus*, maxime quum huc usque nondum probatum sit, *Vinicios* *Quartinorum* cognomen tulisse? Major sane lapidis Gruteriani, quam Pomponii hic merito est auctoritas. Ceterum *M. Vinicii*, adeoque & *Cassii* nostri, consulatum incidere in annum V. C. erae Varron. DCCLXXXIII. anni Christi XXX. luculenter ostendit *Henr. Dodwell. in Annal. Vellejan. §. XXIX. p. 703. sequ. Edit. Burm. H.*

Ejus scripta & schola.

§. CCXXIX.

Reliquerat *libros X.* aut plures IVRIS CIVILIS, *l. 70. pr. D. de usufr. NOTAS AD VITELLIVM, l. 12. §. 27. D. de instruct. & instrum. immo & AD VRSEIVM FEROCEM, l. 10. §. 5. D. quib. mod. usufr. vel us. amitt.** In Cassium deinde notarunt ARISTO, *l. 17. §. 1. D. de usufr. & PRISCVS IAVOLENVS, l. 28.*

l. 28. §. 1. *D. de statulib.* At multo majorem sibi famam peperit propagatis ad posteritatem & magis magisque perpolitus Masurii Sabini, praeceptoris, principis. Unde Masurium & Cassium conjungit Arrian. *Dissert. Epist. IV, 3.* Fuit enim *Scholae Cassianae princeps & parens*, uti vocatur a Plin. *Lib. VII. Epist. 24.* novamque adeo lucem Ateji Capitonis familiae intulit, quae inde CASSIANORVM nomen adscivit. l. 35. §. 3. *D. de mort. causs. don.* l. 18. *D. de furt.*

* Jo. Bertrandum & Eberlinum, qui CASSIVM ad VRSEIVM notasse scribunt, refellere non dubitarunt Guil. Grot. *in vit. Jctor. II, 4.* & Menag. *Amoen. jur. civ. Cap. XLIII. p. 429.* Ursejum potius ad Cassium notasse, existimantes. At neminem ignorare arbitramur, quid veteribus Jctis fuerit *notare apud Cassium*. Res eo redit, uter fuerit aetate prior. Prior vero sine dubio fuit *Ursejus Ferox*, cujus ex libris Cassium quaedam retulisse, testatur Ulpianus l. 1 §. 10. *D. quar. rer. act. non detur.* Quidni ad eundem notas scribere potuerit? H.

§. CCXXX.

Obscurioris famae sunt ATILICINVS, & CASSIVS LONGINVS alter, cujus meminit Pomponius l. 2. §. ult. *D. de orig. jur.* ubi, eum equestris ordinis fuisse & ad praeturam pervenisse, scribit. ATILICINVS Proculo fuit aequalis, quippe quò cum litterarum commercium habuit. l. 17. *D. de pact. dotal.* Hinc & Proculi partibus eum fuisse addictum colligunt, maxime quum plerumque vel Proculo, vel Nervae, adensus dicatur. l. 27. *pr.*

Atilici-
nus & Cas-
sius Lon-
ginus ju-
nior.

D. de pact. l. 21. §. 9. D. de recept. arbitr. l. 5. §. 1. D. de servit. praed. rust. l. 17. D. de pecul. l. 7. pr. D. de condict. causs. dat. l. 45. §. 7. D. mandati. l. 19. D. de legat. III. l. 16. D. de liberat. leg. l. 49. pr. D. ad leg. Falcid. l. 4. §. 8. D. de doli mal. & met. except.

§. CCXXXI.

Nerva filius.

M. COCCEIVS NERVA, Marci illius, quem supra (§. CCX.) descripsimus, filius, Imp. Nervae pater, ingenii praecocissimi fuit, quippe qui XVII. annorum adolescens, aut non multo major, de jure responsitavit. * *l. 1. §. 3. D. de postul.* Ad hunc procul dubio referendum, quod Tacit. *Annal. XV, 72.* refert, Coccejum Nervam, Praetorem designatum tanti fuisse apud Neronem, ut supra triumphalem in foro imaginem apud palatium quoque ejus effigiem statui juberet. Libri ejus DE VSVCAPIONIBVS laudantur a Papiniano *l. 47. D. de adqu. vel amitt. possess.* Saepissime vero, dissimulato librorum titulo, citatur a Cajo, Pomponio, Venulejo, Ulpiano, Paulo, & quidem plerumque sub *Nervae filii* nomine. Proculejanum fuisse, & familia argumento est, & ex *l. 3. §. 17. D. de adqu. vel amitt. possess.* & *l. 2. §. 5. D. de his, qui ut. infam. colligitur.*

* Quum adolescens non *respondisse*, sed *responsitasse* de jure dicatur Nerva *d. l. Guil. Maranus & Mornacius* suspicati sunt, *responsitare* minus esse, quam respondere, quos exinde Choartius & Dionys.

onyf. Gothofredus sunt fequuti. Sed quis ignoravit, hoc naturae verborum frequentativorum refragari, quae notionem verbi augment potius & intendunt, quam minuunt? Merito ergo hunc virorum doctorum errorem notavit Menag. *Amoen. jur. civ. Cáp. II. p. 4.* Sane & Antiftium Labeonem *confulentibus de jure publice* RESPONSITASSE, ait Gellius *Noct. Attic. XIII, 10.* Et Cicero *de Legib. I, 4.* *summos fuiſſe*, ait, *in civitate viros, qui jus interpretari populo & RESPONSITARE ſoliti ſint.* Eſt ergo reſponſitare potius frequenter & adſidue reſpondere, eoque verbo procul dubio uſus eſt Ulpianus, ut Nervam adhuc adoleſcentem jam frequentiffime de jure reſpondiſſe oſtenderet. H.

§. CCXXXII.

Qui Neroni ſucceſſerunt, principes tragici ac veluti intercalares, GALBA, OTHO & VITELLIVS inter fluctus civiles perpetuos & in tanta imperii brevitae vix quidquam novi juris conſtituere potuerunt. * DE VITELLIO tamen hic non praetermittendum, quod memoriae prodidit Tacit. *Hiſtor. II, 91.* *ſiſneſti ominis loco acceptum eſſe, quod, maximum pontificatum adeptus, de caerimoniis publicis XV. Kal. Aug. EDIXISSET, antiquitus inſauſto die Cremerenſi Allienſique cladibus.* Ex eo enim patet, Pontifices max. etiam ſub ſacerdotii ſui auſpicia edicta propoſuiſſe de ſacris & caerimoniis, (§. LXI. *) eumque vetuſtiſſimum morem ne his quidem temporibus exoleviſſe. Jac. Guth. *de jure Pontific. I, 12.* Jo. Andr. Boſ. *de pontif. max. Rom. IV, 1.*

Status juris Rom. ſub Galba, Othone & Vitellio.

* Idem Tacitus *Hiſt. II, 62.* refert, VITELLIVM

praemisso in urbem edicto, mathematicos omnes Italia expulisse, vel, uti Sueton. Vitell. Cap. XIV. rem refert, sanxisse, ut intra Kal. Octobres urbe Italiaque mathematici excederent: astrologos vero proxima nocte aliud opposuisse edictum: BONVM FACTVM, ut Vibellius Germanicus intra eundem Kalendarum diem nusquam ne esset. Verumne fuerit istud augurium, illudque comprobavit exitus, disquiri Saviil. Not. ad Tacit. ibid. Sane enim Vitellium non ante Octobrem, sed die XXI. Decembr. interiisse, luculenter demonstravit Anton. Pagius Critic. Baron. ad ann. Christi 69. n. VIII. p. 62. sequ. Tomo I. H.

§. CCXXXIII.

Vespasianus multa jura constitutionibus invexit.

Stabilis fuit VESPASIANORVM imperium, qui proinde & plurima nova in jurisprudentiam invexerunt. Sane enim T. FLAVIUS VESPASIANVS, cui ad hoc fastidium evecto Senatus omnem potestatem, qua olim Augustus, Tiberius & Claudius usi essent, sanctione honorificentissima decreverat, Tacit. Histor. IV, 3 Gruter. Inscr. p. CCXLII. plura constituit EDICTIS, veluti, ne plures, quam tres, legati a civitatibus mitterentur: l. 4. §. 6. D. de legation. plura DECREVIT, ceu docet exemplum l. 7. pr. D. de jur. patron. plura RESCRIPTIS praecepit, veluti ut grammatici, medici, oratores, philosophi, a recipiendis hospitibus immunes essent. l. 18. §. 30. D. de mun. & hon. *

* Rescriptum Vespasiani ad III viros & Decuriones Saborenses, adeoque sanctionem pragmaticam apud se extare, scribit Ant. Augustin. de nom. propr. Pandect. Cap. III. p. 264. quae an umquam lucem

lucem viderit, nescio. Non solum autem nova jura constituit hic Imperator, sed & vetera pleraque restituit. Auctor enim est Sueton. *Vespas. Cap. VIII.* eum aerearum tabularum tria millia, quae simul (cum Capitolio) conflagraverant, restituenda suscepisse, & undique investigatis exemplaribus, instrumentum imperii pulcherrimum & vetustissimum consecisse, quo contenta fuerint pae- ne ab exordio urbis SCta, plebiscita, & similia. H.

§. CCXXXIV.

Idem tamen Imperator veteris moris, de rebus alicujus momenti ad Senatum referendi fuit servantissimus. Hinc sub eo tot condita SENATVSCONSVLTA, inter quae eminent PEGASIANVM, Pegaso & Pusione Coss. suffectis, incertum, quo anno, factum. SCta iis temporibus facta Pegasianum, & Plancianum.

Censuerat enim his Coss. ordo amplissimus, ut ei, qui rogatus esset hereditatem restituere, perinde liceret quartam partem retinere, atque ex lege Falcidia ex legatis retinere liceret. Ulpian. *Fragment. XXV, 14.* Paull. *Recept. Sent. IV, 3. §. 5.* *Inst. de fideic. hered.* Notum quoque est duplex SC. PLANCIANVM, * alterum de fideicommissis, quae personis incapacibus relinquere- rentur. *l. 59. §. 1. D. ad leg. Falcid.* alterum de agnoscendo partu, *l. 3. §. 1. D. de agnosc. vel alend. liber.*

* A quo Plancio haec SCta acceperint nomen, non adeo certum est. Testem tamen habeo Tacitum *Hist. II, 63.* M. PLANCIVM VARVM praetura functum esse sub Vespasiano. Idem procul dubio postea & consul factus. Proconsulem enim paullo post fuisse docet numus apud Spon. *in Itinerar. sub fin.* in cujus antica caput Vespasiani

cum ejus nomine additis litteris ΚΛΑΥΔΙΟΠΟΛ, in postica fasciculus sex spicarum, cum epigraphe: ΕΠΙ ΜΑΡΚΟΥ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Fuit ergo hic M. Plancius Varus Procos. Ciliciae sub Vespasiano, ad quam dignitatem tum vix alii, quam viri consulares & praetorii adspirabant. Dio Cass. *Lib. LIII. p. 504. & 579. Edit. Steph. H.* Debet Heineccius hanc observationem Gronovio, qui de Plancio Varo ad Tacit. *l. c.* ex Sponio deferuit. Incertissimum tamen est, an huic Varo tribuendum sit SC. *Marci* enim pronomen apud Tacitum ei non tribuitur, nec Praetor fuit sub Vespasiano, sed ea dignitate functus est, Galba imperante. R.

§. CCXXXV.

SC. de aedificiis non diruendis negotiationis causa, & Vitrasianum.

Memoratur etiam SC. his temporibus, at incertum, quo anno, factum, de aedificiis negotiationis causa non diruendis, marmoribusque non detrahendis, *l. 2. C. de aedif. privat.** quale & sub Nerone factum esse supra vidimus (§. CCXXXV.) Nec minus ad Vespasiani tempora pertinet SC. VITRASIANVM**, *de manumissis & pretio manumissionis, de quo l. 30. §. 6. D. de fideicommissar. libert.*

* SC. Vespasiani, *de aedificiis non diruendis*, d. lex Cod. non memorat, verum ibi legimus, Vespasianum hoc *Edicto* statuiffe. En verba: *Negotiandi causa aedificia demoliri, & marmora detrahere, EDICTO D. Vespasiani, & SENATVSCONSULTO vetitum est.* Intelligitur hic SC. *Volsianum*, quod in desuetudinem abierat, imperantibus Galba, Othone, & Vitellio. Vespasianus vero urbem, & orbem Romanum ornaturus, novo *Edicto* idem constituit, cum Senatusconsulto non opus esset. R.

** Est

** Est & hoc SC. incerti anni, cum Vitrasii Consulibus five ordinariis, five suffectis, sub Vespasiano nusquam vel vola, vel vestigium occurrat. Sub Hadriano celebris fuit *Vitrasius Pollio*, Legatus provinciae Lugdunensis, ad quem rescripsit Princeps *l. 15. §. 17. D. de excusat. tut.* cujusque mentio fit apud Reines. *Inscript. VIII, 52. p. 532.* Sub Antoninis porro annis DCCCCXIX. & DCCCCXXIX. bis consul fuit *T. Vitrasius Pollio*, primum cum Q. Servilio Pudente, deinde cum M. Flavio Apro. Spon. *Inscript. p. 34. Gruter. Inscr. p. XXX, 4. p. XXXI, 3. Malvas. Marmor. Felsin. p. 253.* Quare parum abest, ut hoc SC. potius sub M. Aurelio Antonino Imp. quam sub Vespasiano factum, existimem. H.

§. CCXXXVI.

Ab eodem Vespasiano V. Consule anno ærae Dionysiacae LXXIV. A. V. DCCCXXVII. ultimum lustrum esse conditum, neque unquam postea censum actum, observat Censorin. *de die natali Cap. XVIII.* Longo tamen intervallo repetitum censum egisse dicitur Decius Imperator. Trebell. Pollio in *Valerian. I. & II.* Ex quo consequitur, ut & manumissio per censum lustralem, de qua Cic. *de Orat. I, 40. Ulpian. Fragm. I, 8. Fragment. regul. vet. JC. §. XVII.* tunc exoleverit*. Eundem Vespasianum de contrahendis litibus consilia agitalle, refert Sueton. *Vespas. Cap. X.*

Alia sub Vespasiano circa ius mutata.

* Quamvis vero in locum hujus manumissionis surrogatus dicatur ritus manumittendi in sacrosanctis ecclesiis: id tamen multo post, saeculo puta quarto, factum est a Constantino M. Sozom. *Hist. Eccles. I, 9. l. 1. & l. 2. C. de his, qui in eccles. manumitt.* Neque enim ad haec tempora

pertinent manumissiones factae ἐπὶ τῷ βίμῳ, *super aras*, Graecis usitatae, Suid. *in voce Κρατῆς*, neque ratio libertinorum in templo Feroniae, de qua plura Briffon. *Antiqu. Sel. I*, 11. Taubmann. *ad Plaut. Amphitr. Act. I. scen. 1. extr.* Alex. ab Alexandro *Genjal. Dier. IV*, 20. denique manumissiones ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, *in comitiis*, quas Constantino, hanc manumissionem introducenti ob oculos fuisse, existimat Jac. Gothofred. *ad Cod. Theodos. Tomo I. p. 355. H.*

§. CCXXXVII.

Status juris sub
Tito Imp.

Non adeo multa sunt, quae TITO, Imperatori, debeat jurisprudentia *, quippe inter ipsa imperii auspicia properantibus fati extincto. Notari tamen meretur primum, eum de binis PRAETORIBVS FIDEICOMMISSARIIS unum detraxisse: *l. 2. §. 32. D. de orig. jur.* deinde eundem gravissimas leges^{*)} opposuisse delatoribus, qui tum impune in corpora & bona innocentium grassabantur: Plin. *Panegy. Cap. XLII.* Sueton. *in Tito Cap. VIII.* V. A. Henr. Brenemann. *de lege Remm. Cap. XVIII. p. 1622.* tum porro, Titum Imp. esse auctorem praecipuum privilegii, quod militibus testamentum condituris datum est. *l. 1. pr. D. de testam. milit.* Denique & constitutionis Titi Imp. mentio fit *l. 1. §. 3. D. de jure fisci.*

* Immo jacturam haut levem tunc fecit jurisprudentia, templo Capitolino cum vicinis templis iterum igne, quem terra erupisse ferunt, denuo consumtis. Dio Cass. vel potius Xiphilin. *Lib. LXVI. p. 756. & pag. 227. Edit. Steph.* Neque enim dubitandum, quin simul incendio illo perierint

erint illa Scta, plebiscita, foedera, quae Vespasianus post prius incendium tanta industria restituit. (§. CCXXXIII.) Sueton. *Vespas. Cap. VIII. H.*

§. CCXXXVIII.

Sed & T. FLAVIVS DOMITIANVS Itemque sub Domitiano.
Imp. initio principatus sui non pauca fatis praeclare constituit. Ex quibus ut hic pauca veluti per lancem faturam proferamus, ipse Sueton. *in Domit. Cap. VII.* eum edixisse, ait, *ne mares castrarentur**: & sequente *Cap. VIII.* *ut probrosis feminis nec lecticae usus***, nec jus capiendi legata hereditatesve esset: porro, quod *Cap. IX.* pluribus refert, *ut fiscales calumniae calumniantium poenis reprimerentur: ut rei, qui ante quinquennium proximum apud aerarium pepercissent, universi discrimine liberarentur, nec repeterentur, nisi intra annum, eaque conditione, ut accusatori, qui causam non teneret, exsilii poena esset.* Denique & EDICTI Domitiani, *ut abolitiones ex Scto Turpilliano factae ad servos, capitalis criminis postulatos, non pertinerent*, mentio fit *l. 2. §. 1. D. de custod. & exhibit. reor.* quamvis id RESCRIPTVM vocet Paullus *l. 16. D. ad SC. Turpill.*

* Quamvis hoc a Domitiano non tam amore iusti & aequi, quam odio Titi, fratris, qui semiviris istis magnopere delectatus fuerat, constitutum esset. Xiphilin. *in Domitian. Lib. LXVII. p. 759. & pag. 230. Edit. Steph. Philostrat. Vit. Apollon. Tyan. VI, 17.* magno tamen omnium cum plausu excepta est illa Domitiani sanctio. Ut enim mittam laudes, quibus ideo Principem prosequuntur Martial. *Lib. VI. Epigr. 2. & Lib. IX. Epigr.*

Epigr. 7. nec non Ammian. Marcellin. Lib. XVIII. Cap. 4. eam Domitiani legem ita eleganter describit Papinius Statius Lib. III. silva 4. v. 74.

Nunc frangere sexum,

*Atque hominem mutare, nefas: gavisaque solos,
Quos genuit, natura videt.*

At paullo post, sub Antoninis, jam iterum mos inoleverat, ut in provinciis impune excinderentur mares, modo in Praesidium praescitu fieret. Justin. Martyr. *Apol. II. p. 71.* Hinc tam frequenter in usum revocata est haec prohibitio constitutionibus Nervae, Hadriani, Antonini Pii, Constantini M. Leonis Sapientis, ut facile adpareat impares huic vitio leges fuisse. Lindenbrog. *ad Ammian. Marcellin. pag. 211. Edit. Gronov. H.*

** De *lecticis* his habet aliquid Dio *Lib. LVII. pag. 702. Edit. Steph. & Lib. LX. init.* item Ammianus *Lib. XIV. c. 6. qui basternas vocat. R.*

§. CCXXXIX.

SCta sub
eo princi-
pe facta.

SENATVSCONSVLTA quoque nonnulla sub Domitiano facta commemorantur. Tale est IVNIANVM, quo anno ab V. C. DCCCXXXVII. Domitiano X. & Appio Junio Sabino Coss. cautum est, *ut qui per domini & servi, aut patroni & liberti collusionem, factum probasset, ut vel servus ad libertatem, vel libertus ad ingenuitatem proclamaret, liberque aut ingenuus pronunciaretur, is servum quidem in potestate ac dominio suo, libertum autem in patronatu suo haberet. l. 1. D. de collus. deteg. l. 2. C. eod. ubi hoc SC. vitiose pro Juniano Numianum dicitur, & l. 8. §. 1. D. de in jus voc.* Sed uti adhuc principem egit haec constituens Domitianus: ita tyrannidem redolet SC. Asprenate & Laterano

L. IVNIVS MAVRVS, Lar. Aug. Magister, apud Gruter. *Inscr.* p. MLXVIII, 8.

Junius

uxor II.

uxor I.

POMPO-
NIA
GRA-
TILLA
uxor II.
Aruleni

Rustici, cui
vidua nup-
sit. Rele-
gata a Do-
mitiano.
Plin. *Epist.*
III, 11.

Affudius
Curianus,
Gratillae
ex priore
matrimo-
nio filius, a
matre ex-
heredatus,
Plinio he-
rede insti-
tuto. Plin.
Epist. V.
11.

==N==

IVNIVS ARVLE-
NVS RVSTICVS
Philosophus Stoicus
a Domitiano inter-
emtus. Suet. *Domit.*
Cap. X.

IVNIVS
MAVRICVS
exful sub Do-
mitiano. Plin.
Epist. I, 5. &
14. III, 22.

IVNIA
foror.

Vettius
Bolanus,
legionis
ductor.
Tacit.
Ann. XV,
3. rexit
Britanni-
am anno
821. Tac.
Hist. II,
65. *Agric.*
Cap. 8.
& 16.

Q. IVNIVS
RVSTICVS
cui rhetorem
quaerit patru-
us, Junius
Mauricus.
Plin. *Epist.* II,
18. *Cof.* anno
872.

Fratres
Junia vir-
go, cui
Plinius
maritum
invenit.
Plin. *E-
pist.* I, 24.

Minucius A-
cilianus Brix-
ensis, Trib.
pleb. Praetor
& Senator.
Plin. *Epist.* I,
14.

M. Vettius Ru-
sticus Bolanus
Cof. anno 863.
Gruter. *Inscr.*
p. CXXVIII. 5.
& CLXIX. 7.

IVNIVS RVSTICVS Philosophus Stoicus,
Marci Antonini Imp. praeceptor, Jul. Capitol.
in Marco Cap. III. *Cof.* suffectus anno 915. Gruter.
Inscr. p. CLXXXI, 3. *Praefectus urbi* & *ami-
cus Imperatorum* vocatur a DD. fratribus l. 1, §. 3.
D. de adpellat. idem, ut videtur, qui Justinum
Martyrem capitis damnavit. *Acta S. Justini phi-
losophi* & *sociorum ejus*, apud Ruinart. *Act.*
martyr. sel. p. 58.

terano Coss. anno ab V. C. DCCCXLVII. factum, quo *omnes philosophi urbe & Italia exesse jussi sunt* *. Gell. *Noct. Attic. XV. II.*

* Occasionem feverissimae sanctiōni praebuerat Junius Rusticus, qui Paeti Thraseae & Helvidii Prisci laudes scribens, eos *sanctissimos viros* vocaverat. Adeo iis temporibus & virtutem laudare periculofum fuit. Sueton. *Domit. Cap. X.* Perpetuit id periculum ad plurimos, non modo Romanos, sed & Graecos, veluti Dionem Chrystomum, qui hanc calamitatem suam commemorat *orat. XL.* Epictetum, Musonium, Demetrium, Peregrinum, in primis vero ad Junii Rustici propinquos & amicos, quam vere philosophicam familiam brevi schemati inclusam dabo ex Reines. *Epist. ad Rupert. XXXIV. p. 216. Epist. XXXV. p. 251.* sed a nobis hinc inde suppleto. Subjungam etiam alteram Helvidiorum & Paetorum Thrasearum gentem, ut tot utriusque sexus personae illustres, & incredibilem sapientiae famam consequutae semel simulque oculis obverfentur. Et Juniorum quidem Rusticorum item tale est: (†)

Alteram vero Helvidiorum & Paetorum familiam hoc schemate complectimur:

PAETVS CAECINA, — ARRIA, virilis animi femina, maritum in exilium sequuta, ejus facta & mortem miratur Plin. *ibid.*
 qui cum Scriboniano contra Claudium Imp. fecerat. Plin. *Epist.* III, 16.

Filius mira pulcritudine & pari verecundia, qui vivo & simul aegrotante patre decessit. Plin. *Epist.* III, 16.

Helvidius, qui invito Vespasiano periit. Suet. *Vesp. Cap.* XV.

ARRIA minor ob mariti fatum, mori cupide voluit, in filiae Fanniae solatium precibus mariti a proposito revocata. Tacit. *Ann.* XVI, 34.

PAETVS THRASEA, a Nerone mori coactus. Tac. *Ann.* XVI, 34.

HELVIDIVS PRISCVS a Domitiano interentus, de quo Tacit. *Agric. Cap.* II. Sueton. *Domitian.* Cap. X. Plin. *Epist.* I, 5. IX, 13.

FANNIA, noverca Helvidii. Plin. *Epist.* IX, 13. cum Arria & Grattilla relegata a Domitiano. Plin. *Epist.* III, 11.

HELVIDIVS filius, qui tempore Plinii solus supererat domumque fulciebat. Plin. *Ep.* IV, 21. H.

Duae filiae, quas ambas uno tempore a partu decessisse, refert Plin. *Epist.* VIII, 21.

§. CCXL.

Jcti sub Vespasianis, Coelius Sabinus.

Subjungimus more nostro seriem IVRIS: CONSVLTORVM, qui sub Vespasianis potissimum floruerunt. Horum veluti familiam duxit COELIVS SABINVS, aliis perperam CAECILIVS, qui ab Othone Imp. Cos. designatus in Kal. Jul. anni ab V. C. DCCCXXII. eum honorem & volente Vittelio

tellio gessit. Tacit. *Hist.* 1, 77. Plurimum potuit sub Vespasiano, l. 2. §. ult. *D. de orig. jur.* eodem die auspicante imperium, quo ipse magistratum inierat. Scripsit *librum DE EDICTO AEDILIVM CVRVLIVM*: Gell. *Noct. Attic.* IV, 2. ex quo & illa, quae *Lib. VII, 4.* de servis pileatis venum prostantibus ex Coelio Sabino profert, decerpta videntur. Sabinianum eum fuisse, nemo dubitat: immo potius ab hoc ipso demum Coelio Sabino *Sabinianorum* nomen ortum videri, jam supra monuimus. (§. CCVI. **)

§. CCXLI.

De CELSO Patre, nihil fere memoriae proditum reperimus, quam quod in Ducennii Veri, Consulis, consilio fuerit. l. 29. pr. *D. de legat. II.* At quis fuerit ille Ducennius, plerique se scire fatentur juxta cum ignarissimis. Et sane ne probabilis quidem videtur conjectura Ant. Augustini, qui libro *de Nom. propr. Pandect.* Cap. III. p. 259. C. Juventium Verum Cos. vel Guil. Grotii, qui *Lib. II. de vit. Jct.* Cap. 2. L. Cejonium Commodum; vel denique V. C. Abr. Wielingii, qui in *Jurispr. restituta* p. 351. & in *au- Star.* p. 194. L. Cejonium Verum sub eo nomine latitare existimant*. Neque, an quidquam hic Celsus noster scripserit, hodie notum est, quia raro, & non nisi omiffa libri inscriptione, citatur in jure nostro, ita tamen, ut eum inter Proculi sectatores fuisse, non

Celsus
pater.

non obscurum videatur. *l. 20. D. de legat. 11. l. 39. D. mandat.*

* C. Juventius Verus Cof. fuit anno ab V. C. DCCCLXXXVII. ad quem vix Celfius pater aetatem produxiffe potuit. Reliqui quoque Cof. a Grotio & Wielingio laudati Celso patre juniores videntur. Nos ergo intelligimus DVCENNIVM GEMINVM, Confulem, cum Pompejo Paullino fuffectum ex Kal. Jul. anni ab V. C. DCCCIX. De his confulibus videndi Lydiat. *in ferie summ. magistr. p. 62.* & Spon. *Miscell. erud. antiqu. p. 278.* Is sane & Veri cognomen habere potuit. Vid. *diss. nostra de P. Juventio Celso p. 10.* De ejus praefectura urbis Tacit. *Hist. I, 14. H.*

§. CCXLII.

Pegasus.

De PEGASO, jurisconsulto celeberrimo, erudite differit Aegid. Menag. *Amoen. jur. civ. Cap. XVII. p. 88. sequ.* Patrem habuit trierarchum, cujus ex liburnae parasemo, quod Pegasus erat, ipse nomen accepit, ut refert Scholiastes Juvenalis *ad Satyr. IV. v. 77.* ubi & id addit, *eum juris studiis tantam memoriae gloriam meruisse, ut LIBER vulgo, non homo diceretur.* Eundem porro *omni honore functum esse*, refert, *quum & provinciis plurimis praefuerit, & urbis curam administrarit.* Et sane de ejus consulatu testem habemus Justinianum §. 5. *Inst. de fideic. hered. de praefectura urbis Pomponium l. 2. §. ult. D. de orig. jur.* & Juvenalem *Sat. IV. v. 77.* ex quibus testimoniis colligimus, eum semel sub Vespasiano, atque iterum sub Domitiano, urbi praefuisse.

§. CCXLIII.

§. CCXLII.

Proculejanos ab eximio hoc jurisconsulto PEGASIANORVM nomen adsumfisse, in vulgus notum est, quamvis id vocabulum in jure non occurrat. Videtur tamen ad illud adludere Scholiastes Juvenalis, dum *ibidem* scribit: *Hinc est PEGASIANUM scilicet IVS, quod jurisperitus fuerit.* * Ex ejus libris, si quos scripsit, nihil in *Pandectas* relatum est. At citatur tamen passim, talesque ejus recensentur sententiae, ut eum cum Labeone, Proculo, Nerva plerumque sensisse, & dissensisse a Sabino, adpareat. *l. 12. §. 3. D. de instruct. & instr. l. 7. §. 1. D. de Senator. l. 30. pr. D. de pecul. l. 27. §. 2. D. de adqu. rer. dom. l. 2. §. 5. D. de his; qui not. infam. l. 115. §. 2. D. de verb. obl.*

Ejus
schola &
scripta.

Non singularia hujus
scribit Hales veris

* Non praetermittenda hic ingeniosa, at mira tamen viri doctissimi, Jac. Hafaei, sententia, quae in singulari *de Berytensi jurisconsultorum academia* diatriba *Cap. III. §. 5.* Pegasi placita jam a Vespasiani temporibus Beryti doceri solita esse, existimat, idque probat testimonio Juvenalis *Sat. III. v. 117.*

Ripa nutritus in illa,

Ad quam Gorgonii delapsa est pinna caballi.

Quae poëtae verba ille hac *de Pegasi* explicat: *In illa ripa, ad quam Gorgonii caballi pinna, id est, Pegasiani juris disciplina, quasi pinna pegasi, delapsa est, quia jus ex placitis seclae Pegasianae ibi docebatur.* Sed loqui ibi poëtam de Egnatio Celere, Beryti nato, res ipsa docet, causamque jam peroravit V. C. Gottfridus Mascov. *de Sclis Sabin. & Proculejan. Cap. III. §. 5. n. 2. p. 68. sequ. H.*

Y

§. CCXLIV.

§. CCXLIV.

Urfejus
Ferox.

Circa eadem tempora floruisse, anteriores tamen aetate antecessisse videtur VRSEIVS FEROX, cujus permagnam & ferentem fuisse famam, vel ex eo colligas, quod ejus libros notis illustrarunt C. CASSIVS LONGINVS, (§. CCXXIX. *) & IVLIANVS. Proculo tamen posterior fuit, cui aliquoties denuntiat testimonium. *l. 27. §. 1. D. ad leg. Aquill. l. 11. §. 2. D. aqu. & aqu. pluv.* Ipse non modo a Juliano, sed & a Cassio laudatur, ex eoque manifesto consequitur, ut eum sub Nerone & Vespasianis floruisse dicamus. Proculejanorum sua aetate acerrimus fuisse videtur, dignus quippe visus, in quem stricturas conficerent duo scholae Sabinianae decora, C. Cassius & Salvius Julianus. *

* Quid scripserit, non minus hodie ignoramus. Opus tamen ejus non exiguum fuisse videtur. Quamvis enim Index Florentinus Juliani libros tantum *quatuor ad Ursejum* recenseat: ipsius tamen *Urseji Librum X.* laudat Ulpianus apud *Patriatorem legum Mos. & Rom. tit. XII. §. 7. H.*

§. CCXLV.

Fufidius.

FVFIDIVM, ignotum antehac jurisconsultum, primus ab oblivione vindicavit Jac. Cujac. *Obs. 1, 9.* in eo tamen falsus, quod illum, libera adhuc republica, floruisse existimavit, * quum Atilicinum, Proculo *σύγχρονον*, (§. CCXXX.) laudet, *l. 5. D. de aur. arg. mund. leg.* recte id observante Grotio *de vit.*

vit. jurisconf. II, 4. Ceterum paucissimis *Pandectes* locis mentio fit hujus Fufidii, ex iisque adparet, eum scripsisse libros **QVAESTIONVM**, quorum secundus laudatur *d. l. 5. D. de aur. arg. mund. leg.* Addantur *l. 25. D. de manumiss. vind. & l. 29. D. de rebus auctor. jud. possid.*

* Nec magis solida est Ant. Augustini divinatio, qui eundem fuisse hunc Fufidium existimat cum illo L. Fufidio, ad quem M. Scaurum tres libros de vita sua scripsisse, quemque in aliquo patronorum numero fuisse, refert Cicero *in Bruto Cap. XXIX.* Plin. *Histor. Nat. XXX, 1.* Ita Ant. Augustin. *de nom. propr. Pand. p. 244.* sed eodem Grotii argumento refutandus. Celebris fuit Fufidiorum familia, a qua & *lex Fufidia* nomen habuit. Passim etiam Fufidiorum fit mentio a Cicerone *in Pisonem Cap. XXXV.* Horatio *in Satyris*, & ab aliis. H.

§. CCXLVI.

Sed & **PLAVTII** magnum inter jurisconsultos eorum temporum nomen fuisse, vel ex eo patet, quod ad ejus libros certatim notas scripserunt **NERATIVS**, **IAVOLENVS**, **POMPONIVS** & **PAVLLVS**. Quum vero ipse **CASSIVM** & **PROCVLVM** laudet, *l. 8. D. de auro arg. mund. leg. l. 43. pr. D. de condit. & demonstr.* & vicissim laudetur a **NERATIO**, *l. 5. §. 1. D. de servit. praed. rustic.* certissimum profecto est, eum Vespasianorum temporibus vixisse.*

* *Plautii* celeberrimi fuerunt sub Claudio & Nerone Augustis, in primis *A. Plautius*, qui primus e consularibus Britanniae praefuit, Tacit. *Agric.*

Cap. XIV. atque inde ovans rediit. Tac. *Annal.* XIII, 32. Nec minus notus *Plautius*, qui inter Messalinae adulteros nominatus ob patrum, Auli procul dubio, merita id flagitium impune tulit. Tac. *Annal.* XI, 30. & 36. Denique omnium celeberrimus *Plautius Lateranus*, qui a Nerone mori iussus, incredibile constantis atque intrepidi animi specimen edidit, laudatus ideo a Tacito *Annal.* XV, 60. & *Arriano Diss. Epictet. Lib. I. cap. 1.* Postremo huic liberi fuerunt superstites, quos ne complecti quidem patri ante mortem licuit, teste Tacito *ibid.* Sed eodem tempore & alii celebrantur *Plautii*, quorum accuratius stemma confecit *Reines. ad Rupert. XXXII. p. 106.* Verosimile itaque est, virorum istorum aliquem *Plautii* nostri vel parentem, vel fratrem fuisse. H.

§. CCXLVII.

Octave-
nus.

Proximus est OCTAVENVS, de quo quod dicamus, fere nihil est, nisi quod illi a Valente, Terentio Clemente, Pomponio, Marciano & Ulpiano saepius testimonium denunciatur, * adeoque & ipse sub Vespasianis videatur floruisse. *Grot. de vit. jurisconf. II, 5.* Idem suspicatur, eum quaedam AD E-DICTVM, nec non AD LEGEM IVLIAM ET PAPIAM, in quibus illustrandis eo tempore jurisconfulti praecipue exercebant ingenia, scripserunt. Quod posterius ex *l. 32. §. 2. D. qui, & a quib. manum. lib. non sunt colligit: quamvis rem non adeo expeditam esse, observaverim in Commentar. ad leg. Jul. & Pap. I, 1, 4. p. 15.*

* Laudatur hic jurisconfultus etiam ab auctore *fragmenti veteris jurisconfulti*, quod a Petro Pithoeo pri-

primum in lucem protractum, postea Ant. Schultingius *Jurisprudentiae suae veteri & antejustinianae* inseruit, & quidem §. XII. p. 806. ubi tamen falso vocatur OCTAVIANVS. Ceterum ex hoc ipso fragmento saltim id discimus, quod Octavianus hic meminerit legis Juniae Norbanae, adeoque eum post Tiberii tempora vixisse oporteat. H.

§. CCXLVIII.

Denique & VALERII SEVERI scripta Valerius Severus. memorantur a Juliano, l. 30. *D. de negot. gest.* adeoque satis certum est, jurisconsultum istum ante Hadriani imperium vixisse. Fallitur tamen, nisi ipse fallor, Guil. Grotius *de vit. Jurisc.* II, 5. dum Hadrianum Imp. l. 3. §. 2. *D. de testib.* ad hunc ipsum VALERIVM rescripisse, existimat, quum ibi non *Severus*, sed *Valerius Verus* nominetur, & nominis istius emendatio nullius fide MSCti nitatur. Neque magis certum est, quod idem conjicit Grotius, *Valerium* hunc esse illum *Severum*, quocum Plinio Secundo litterarum commercium intercesserit: Vid. *Lib. III. Epist. 6. 18. Lib. IV. 28. Lib. V. Epist. 1. Lib. VI. Epist. 27. Lib. IX. Epist. 22.* Nam nec Valerii nomen exstat apud Plinium, & si exstaret, illud eo tempore tam multis commune fuit, ut nihil certi ex eo colligere liceret.*

* Plures eo tempore passim occurrunt VALERII SEVERI, & quidem milites aequae, ac aliorum ordinum homines, maxime in marmoribus. Vid. Gruter. *Inscript.* p. XLIX, 4. p. DLXVI, 6. p. DCCXLV, 6. p. MLXXVII, 7. Periculosum ergo est, in tanta *Valeriorum & Severorum* *ἐπιωνυμία* certi quid statuere velle. H.

§. CCXLIX.

Status ju-
ris sub
Nerva.

Haec de Vespasianorum temporibus. Eo-
rum successor M. COCCEIVS NERVA;
Imp. jurisconsulti filius & nepos, licet breve
habuerit imperium, non tamen omnino ni-
hil ad augendam jurisprudenciam contulit.
Primus PRAETOREM FISCALEM, qui
inter fiscum & privatos jus diceret, constituit,
l. 2. §. 32. D. de orig. jur. & militibus, testa-
menta condituris, plenissimam indulgentiam
dedit * *l. 1. pr. D. de testam. milit.* Primus de-
inde quaestionem de statu defunctorum, ela-
pso a morte quinquennio, vetuit. *l. 4. pr. D. ne de statu def.* quin & primus civitatibus omni-
bus, quae sub imperio Romano essent, legata
relinqui permisit. Ulpian. *Fragm. XXIV, 28.*
LEGIS quoque AGRARIAE a D. Nerva la-
tae mentio fit *l. 3. §. 1. D. de term. mot.* sed ea
procul dubio SC tantum fuit. Ulr. Obrecht.
*de legib. agrar. Cap. V. ***

* Idem & filiis familias militantibus testandi dedit
facultatem, de iis saltim rebus, quas in expedi-
tione adquisivissent. Id Trajanus postea firma-
vit, militibusque, licet in patria potestate con-
stitutis, eam potestatem ratam esse voluit. Ha-
drianus vero eam ulterius produxit etiam ad ve-
teranos. *pr. Inst. quib. non est perm. fac. test. H.*

** Xiphilinus e Dione in *Vit. Nerva* pag. 240. *Edit. Steph.* refert, ipsum statuisse; *ut servi ac liberti, qui insidias dominis patronisque fecissent, omnes interficerentur, & ne eis liceret crimen ullius facinoris dominis inferre.* Idem ibid. scripsit, *Nervam non permisisse, ut quisquam impietatis aut ritus Judaici accusaretur, cum multi per calum-
niam*

mniam essent damnati. Pag. 241. laudatus historicus memoriae tradidit, *Nervam multas leges tulisse, praesertim, ne quis eunuchum faceret, neve quis neptem in uxorem duceret.* R.

§. CCL.

Nervae successit TRAIANVS, *Optimi* cognomine ornatus a Senatu, laudatusque tantum non ab omnibus eorum temporum scriptoribus. Quemadmodum civilitatis laudem in omnibus rebus adfectavit: ita servavit id institutum, ut de praecipuis ad Senatum referret. Argumento sunt tot SCta, sub eius imperio condita, inter quae primum est RVBRIANVM, factum anno DCCCLIV. Rubrio Gallo & C. Coelio Hispone Coss. ex Kal. Jul. suffectis. Grut. *Inscr. p. CCCCLXIV, I.* * quo cautum, *ut, si hi, a quibus libertatem praestari oporteret, evocati a Praetore non adessent, neque ulla justa causa impedirentur; Praetor vero, causa cognita, libertatem deberi, pronunciasset, eorum status eodem jure servaretur, ac si directo manumissi essent.* ** Ita enim hoc SC. describitur *l. 26. §. 7. sequ. l. 28. l. 33. §. 1. l. 36. D. de fideicomm. libert. l. 3. §. 3. D. de legit. tut. ****

Status juris sub Trajano. SC. Rubriarum.

* Non debet ad hunc lapidem provocare Heinecius, ad quem offendit. Is enim servat memoriam *C. Rubrii Proculejani*, qui non Consulatum, sed dignitatem municipalem gessit, & *Curator Reipublicae* apud Veronenses fuit. Hi consulendi erant, qui factos concinnarunt, quique ad hunc annum *Consules Suff. ex Kal. Jul. Rubrium Galum & Q. Coelium Hispanem*, ediderunt. R.

** In *l. 29. D. de fideicomm. libert.* Paullus addit:

Si quis, posteaquam in ea causa esse coeperit, ut ex fideicommissio manumitti deberet, alienatus sit, eum quidem, cujus interim servus fuerit, manumittere cogi, neque hic distingui, justa an non justa causa absit: omnimodo enim LIBERTATEM EI SERVARI. Postrema verba Merill. *Observ. VI, 24.* mutanda censet, rescribendumque putat: *Omnimodo enim ei LIBERTVS servatur.* Qua in re sequitur Graecos, praefatus, *non temere quidem se adsentiri Graecorum interpretationibus, quibus vis Latini sermonis, & potissimum verborum ad jus civile pertinentium haud satis perspecta fuerit: hic tamen rationem facere, ut eorum lectionem trahi malit.* At quae ratio? Quod in ipso SCto ita exprimitur: *eorum status servatur,* id Paullus reddit: *ei libertas servatur.* Et quis ita loquitur: *libertus servatur?* H. Non cepit Heineccius Merillium, qui hanc legem 29. ad SC. *Juncianum*, non vero ad *Rubrianum* pertinere, contendit, eamque ob causam recte legit, *libertus ei servatur*, id est, ad eum, qui in manu habet servum alienatum, (cui ex fideicommissio debetur libertas) five ex justa five non justa causa absit, *pertinet libertus*, & ejus patronus fit, postquam Praetor servo libertatem, absente domino, dedit. Posses tamen melius cum Bachio *de legib. Trajan. p. 120.* legem referre ad SC. *Dasumianum*, sed servata etiam Merillii lectione, quae sensum praebet commodissimum, quicquid contradicat auctor. R.

*** De Legibus, SC. Edictis, Rescriptis, Decretis Trajani, elegantem libellum concinnavit Jo. Aug. Bachius, Lips. 1747. sub titulo, *D. Trajanus, sive de legibus Trajani Imp. R.*

§. CCLI.

SC. Dasu- Paullo post prodiit SC. DASVMIANVM.
mianum. Illud enim non multo post *Rubrianum & Ar-*
ticu-

ticulejanum factum esse, observavit Ant. Augustin. *de nom. propr. Pandect. Cap. IV. p. 325.* Eo cautum*, ut si ex justa etiam causa abesset, qui fideicommissam libertatem deberet, & hoc pronunciatum esset, perinde libertas competeret, atque, si, ut oportebat, ex causa fideicommissi manumissus esset. Ita Marcianus *l. 51. §. 4. D. de fideic. libert.* Itemque, ut, quemcumque fideicommissam libertatem ex quacumque causa debere pronunciatum fuerit, & eum eosve abesse contigerit, perinde haberetur, atque si, ut oportebat, ex causa fideicommissi manumissus esset. *l. 51. §. 6. D. eod.*

* Novi ergo quid Rubriano adstructum est per SC. Dasumianum. Ex Rubriano enim ob verba, *Si adesse noluerit*, quaerebatur, quaenam sit causa absentiae, justane an injusta? si injusta, servus manumittebatur, sed fiduciarius jura patronatus amittebat. Sin justa, libertas servabatur, sed jura patronatus salva esse jubebat SC. Dasumianum. *l. 36. pr. D. de fideic. libert. Merill. Observ. VI, 24. H.* Recte observat Bachius *de Legib. Trajan. pag. 116. Rubrianum SC. a Dasumiano* ita differre, ut priore cautum sit de iis, qui libertatem fideicommissam, cum deberent, evocati adesse nolissent, *dolo malo*, sive *in fraudem libertatis*, secundum *legem 28. §. 5. D. de fideicommissariis libertat.* Dasumianum vero SC. agat de iis, qui justa ex causa abessent, & non in fraudem libertatis. Rubriano itaque coercetur fraus & dolus malus, erepto liberto atque jure Patronatus. Dasumiano vero subvenitur libertati fideicommissariae, si justa causa fideicommissarii absint, servato liberto & jure patronatus. Pertinet autem utrumque SC. ad servos hereditarios, quibus libertas relicta, atque in eo differt a SC.

Junciano, quod servis non hereditariis, quibus libertas fideicommissa debetur, prospexit, l. 28. §. 4. D. de fideicommiss. libertat. R.

§. CCLII.

SC. Articulejanū & lex Vectibulici.

SC. ARTICULEIANO Trajano IV. & Sex. Articulejo Paeto Coss. anno ab V. C. DCCCLIV. factū cautum est, *ut quacumque in provincia libertas servo relicta testamento fuerit, Praeses ejus provinciae ea de re cognosceret, quamvis heres non esset ejus provinciae.* l. 51. §. 7. D. de fideicommiss. libert. Inter SCta procul dubio etiam fuit illa LEX VECTIBULICI, quae libertis municipiorum jura civitatis concessit, l. ult. C. de serv. reip. manum. quamque ego iisdem temporibus conditam fuisse arbitror. *

* Municipia olim servos manumittere plane non poterant, quia actio legis non poterat per procuratorem explicari. l. 123. pr. D. de regul. jur. l. 3. C. de vind. lib. Postea id permixtum quidem est municipiis: at manumissi non cives erant, sed ex lege Aelia Sentia tantum in libertate morari dicebantur. Ulpian. *Fragm. I*, 12. Quum porro lex Junia Norbana omnes, quos lex Aelia Sentia in libertate morari patiebatur, Latinae conditionis esse juberet: idem jus & municipiorum libertis competebat: donec hac lege Vectibulici participes fierent jurium civitatis. Quamobrem parum solida est V. C. Hermannii Noordkerkii observatio, legem illam Vectibulici multo antiquiorem esse temporibus Tiberii, existimantis, *in Disquis. de lege Petron. p.* 98. Potius hanc legem, quodcumque verum ejus nomen fuerit, latam esse oportet inter annum DCCLXXI. quo lex Junia Norbana lata est, & annum V. C. DCCCLXXXI. quo lex Vectibulici etiam ad provincias prolata est.

est. *l. ult. C. de serv. reip. manumitt.* Quum vero monstrum nominis sit illud *Veſtibulici*, anno vero V. C. DCCCLXIII. Consul cum L. Calpurnio Piſone fuerit VETTIVS RVSTICVS BOLANVS, Gruter. *Inscr. p. LXVI, 2. p. CXXVIII, 5. p. CLXIII, 7.* non dubitamus, quin scribendum sit: *lex Vettia vel Veſtia Bolani*. H. Sunt hic quaedam minus accurate ab Heineccio tradita. *Lex Veſtibulici* ad municipia proprie sic dicta, & in Italia sita, pertinere debuit, cum deinde demum SCto Hadriani tempore facto, ad provincias porrecta sit. *Municipia* vero servos suos manumittere olim non potuisse, clarum ex *l. 123. D. de reg. Jur.* Sed iis id permissum postea. Manumissos vero ex *lege Aelia Sentia* in libertate tantum esse moratos, nec Ulpianus dixit, nec Heineccius mihi persuadere potuit. Pertinet enim *lex Aelia Sentia* ad cives Romanos, atque de servis privatorum, non vero de publicis municipiorum statuit. Idem dicendum de *lege Junia Norbana*. Recte igitur vidit Bachius *de legib. Trajan. pag. 158.* hoc demum tempore non amplius dubitatum fuisse, id municipiis permitti posse, ut servis publicis libertatem darent, cum jam antea iis esset concessum, ut legata caperent, & alias juris Quiritium partes, beneficio Imperatorum, accepissent. Quod vero ad *legem Veſtibulici* attinet, bene quidem monet Heineccius, esse hoc monstrum nominis; sed videant alii, an non & ejus conjectura monstrosa sit. Persuadebitne peritis, potuisse liberos ex illis *l. ult. Cod. de serv. reipubl. secundum legem Vettiam Bolanam*, effingere *legem Veſtibulici*? In MSS. est *Veſtii Libici*, ut Contius & Cujacius viderunt, emendantque Contius, *Veſtii Lybici*, Pancirolus, *Veſtii Bulici*, & alii aliter, sed omnes nulla adjuti veteris testimonii auctoritate. Cl. Otto *in praefat. ad Tom. I. Thes. jur. pag. 9.* varias recenset opiniones, legendumque esse putat, vel *Vettii Rustici*, vel *Vettii Cal-*

Calpurnii; sed melius est, profiteri doctam ignorantiam. R.

§. CCLIII.

SC.
 ἀνώνυμον
 de actione
 subsidiaria
 adversus
 magistratus.

Denique S^Cti, quo actio *subsidiaria adversus magistratus municipales, tutorum nominatores, si administrationis finito tempore non fuerint solvendo, nec ex cautione fidejussionis solidum exigi possit, indemnitatis nomine introducta est*, mentio fit in constitutione DIOCLETIANI & MAXIMIANI AVGG. l. 5. C. de magistr. conven. Id vero auctore Trajano factum esse, & hac ipsa lege exprimitur, & aliunde satis notum est.

§. CCLIV.

Rescripta
 & edicta
 Trajani.

Multa tamen etiam Trajanus non adhibito in consilium Senatu, RESCRIPTIS atque EDICTIS constituit. Et illorum quidem quam plurima memorantur in jure nostro: magis tamen notatu digna sunt EDICTA, veluti *de iis, qui se ipsi detulerint, parte quadam eorum, quae contra leges ceperint, donandis.* * l. 13. pr. §. 1. l. 15. §. 3. l. 16. l. 42. l. 49. D. de jure fisci. l. 5. §. 20. D. de his, quae ut indign. Quod BENEFICIVM D. TRAIANI, quod in jure nostro vocatur, caput tantum fuisse videtur EDICTI severissimi, quo *delatorum calumnias compescuit*. Plin. Panegy. Cap. XXXII. Sed & de stateris adulterinis. l. 6. §. 1. D. de extr. crimin. nec non de pollicitationibus, quaedam edixisse dicitur princeps optimus. l. 14. D. de pollicitat.

* Haec sui ipsius delatio ad caduca, quae fiscus capiebat, pertinebat. Quum enim lege Julia cadu-

caria praemia constituta essent delatoribus, quae deinde Nero ad quartas redegerat, Suet. *Ner. Cap. X.* id vero lucrum plures moveret, ut per calumniam bona quaevis, tamquam caduca, deferrent: demum delatorum calumniis ita intercessit Trajanus, ut ipsis possessoribus liceret, se ipsos deferre, illudque tunc lucrum majus caperent, quam alioquin delatoribus vel quadruplatoribus cedebat, nempe dimidiám. *l. 13. pr. D. de jure fisci.* Quumque alias non omnibus promiscue liceret deferre: se ipsos deferre poterant etiam feminae, & adolescentuli in pupillari aetate constituti, *l. 16. D. eod.* modo se ipsos tantum deferrent, non alios. Id enim tam rigide exigebant interpretes, ut ne illud quidem, quod servo fuerat relictum, a domino deferri paterentur. *l. 13. §. 8. D. eod.* Dubitatum etiam legimus, an heres ejus, qui contra leges ceperit, deferre posset. At DD. Fratres rescripserunt, ita deim heredes deferre posse, si is, cui plus justo datum fuerit, constituerit se ipsum deferre, idque morte praeventus non potuerit. *l. 13. §. 5. 6. D. eod.* Plura, quae ad hoc edictum illustrandum pertinent, observavimus *in Commentar. ad leg. Jul. & Pap. Lib. III. cap. 10. §. 3. p. 446. sequ.* H.

§. CCLV.

Proximum est, ut & IVRISCONSULTORVM, qui sub Nerva & Trajano potissimum floruerunt, brevem recentum instituatam. Horum princeps, P. IVVENTIVS CELSVS, qui ex rationibus nostris anno ab V. C. DCCCXX. aut non multo post natus*, & puer artibus elegantioribus ac philosophia Stoica probe excultus, jurisprudentiam a patre edoctus est, *l. 20. D. de legat. II.* cujus exemplo & Proculi sectae se ad-

Jurifconsulti sub Nerva & Trajano. P. Juventius Celsus.

dixit.

dixit. Cujac. *Obs. VIII*, 35. *XXVII*, 12. *Ma-*
fcov. de sect. Sabin. & Proculej. Cap. III. §. 7.
p. 75. Attamen veritatis, quam sectae, stu-
 diosior, aliquando a Labeone, Nerva, ipso-
 que patre dissenfit, *l. 25. §. 1. D. de furt. l. 29.*
pr. D. de evict. l. 3. §. 6. & 7. D. de condict.
causs. dat. ac Sabino & Cassio adfentiri non
dubitavit. l. 65. §. 3. D. delegat. III. l. 6. D. de
condict. ob turp. caus.

* Rationes autem ita subducimus. Juventii nostri
 praetura incidit in aetatem Plinii. Et hic quidem
 refert, eum Praetorem graviter altercatum esse
 cum Licinio Nepote, de sententia, quam hic in
 causa Pomponii Rufi Vareni, repetundarum a
 Bithynis postulati, in Senatu dixerat. *Plin. Lib.*
VI. Epist. 5. Ea causa acta est anno ab V. C.
 DCCCLIV. quia tunc *M. Acilium Rufum*, Cos.
 designatum, primum sententiam dixisse, alibi
 observat *Plin. Lib. V. Epist. 20.* qui eo anno
 consul fuffectus fuit. Quumque ex eodem con-
 stet *Plinio, Lib. VII. Epist. 16.* leges annarias
 tunc adhuc religiose fuisse observatas, annum ve-
 ro praeturae legitimum eo tempore fuisse aetatis
 trigessimum quartum, nemo ignoret, natum esse
 oportet *Celsum nostrum* circa annum DCCCXX.
 vel aliquot annis prius aut posterius, quia aliquot
 anni aliquando vel jure liberorum, vel beneficio
 Principis remittebantur. *Tacit. Anna. II, 51.*
l. 2. D. de minorib. Comment. nost. in Leg. Jul.
& Pap. II, 6. §. 3. p. 201. H.

§. CCLVI.

Ejus ho-
 nores. Cum Nerva, qui imperio postea potitus
 est, aliisque conjuraverat adversus *Domitia-*
num, sed nominatus inter conjuratos, eo
 periculo se callide expediverat, dum persua-
 ferat

ferat principi, se expertem esse ejus criminis, & liberaliter ei fuerat pollicitus, se ipsum indagaturum sceleris focios, argumentaque conjurationis perspicua suggesturum: ita vero dimissus, rem ad caedem usque Domitiani extraxerat. Dio Cass. *Lib. LXVII. p. 765. & p. 236. Edit. Steph. Philostr. Vit. Apoll. Tyan. VII, 3.* Hoc facinus illi, caeso Domitiano, magno procul dubio adjumento fuit ad honores consequendos. Praetoram enim anno ab V. C. DCCCLIV. Plin. *Lib. VI. Epist. 5.* Consulatum priorem nescio quo anno; posteriorem anno ab V. C. DCCCLXXXII. collega Marcello gessit. Noris. *de Epoch. Syro-Macedon. p. 498.* quin & inter Hadriani amicos & consiliarios fuit; Spartian. *Hadrian. Cap. XVIII.* extremis ejus annis, uti videtur, fato functus.* Vid. *Diss. nostr. de P. Juventio Celfo p. 21.*

* Non ergo confundendus est noster cum filio ejusdem nominis, qui sub Antoninis Imperatoribus tamquam PROMAGISTER, libello liberti August. quo petierat, ut conjugis & filii reliquias farcofago marmoreo liceret inferre III. Non. Novembres Antio & Opimiano Coss. ordinariis, id est, anno ab V. C. DCCCCVIII. subscripsit. Is libellus cum P. IVVENTII PROMAGISTRI subscriptione integer exstat in lapide apud Gruter. *p. DCVII,* eumque perperam ad jurisconsultum nostrum retulerunt Grot. *de vitis jurisf. II, 3.* & Menag. *Amoenit. jur. civ. Cap. XX. p. 98.* quum eum, tunc fere nonagenarium, Promagistri negotiosissimum officium obiisse, ne verosimile quidem videatur. H.

§. CCLVII.

Nec non
scripta.

Scriptit EPISTOLAS, quarum *librum XI.* laudat Ulpianus, *l. 3. §. 1. D. de minorib.* nec non QVAESTIONVM *libros saltim XIX.* l. 1. D. de reb. cred. l. 9. §. 2. D. de hered. instit. l. 19. §. 3. D. de aur. arg. mund. leg. itemque COMMENTARIOS, quorum liber VII.* laudatur *d. l. 19. §. 6. D. eod.* Ex nullo vero alio opere Tribonianus fragmenta in *Pandectas* retulit, quam ex DIGESTORVM *libris XXXIX.* ut illi foli ea aetate adhuc exstitisse videantur. Somniare dixeris Bern. Rutil. *in Vit. jurisconf. Cap. LVIII.* qui Celso nostro INSTITVTIONVM *libros XX.* nec non Jan. Vinc. Gravinam, qui ei *librum DE VSVCAPIONIBVS* tribuit, in eoque illum crebram patris sui mentionem facere addit, quum CELSI *patris* vix semel ac iterum mentio fiat in toto *Pandectarum* opere.

* Quales fuerint scripti a veteribus jurisconsultis QVAESTIONVM libri, (tales enim praeter nostrum & Africanus, Maecianus, Cervidius Scaevola, Tertullianus, Papinianus, Callistratus & Julius Paullus reliquerunt,) ostenderunt Jac. Cujac. *in Tract. I. in African.* V. A. Corn. van Bynkershoek *ad l. lecta Cap. I. p. 6.* & Ev. Otto *in Papiniano Cap. XII. p. 234.* Nimirum quum saepe Jcti inciderent in problemata juris; ea, publice tractata, editis quaestionum libris evulgabant jurisconsulti, rationesque, cur eae decisiones placuerint, diligentius atque exquisitius, quam in *Responsorum libris*, explicabant. Ex quo simul intelligitur, cur inscriptionem QVAESTIONVM PUBLICICE TRACTATARVM operi suo praefixerit Cervidius Scaevola. H. §. CCLVIII.

§. CCLVIII.

Σύγχρονος P. Juventio Celso, ejusque con-
discipulus, (siquidem uterque Celso patri in
schola Proculejana successit, l. 2. §. ult. D. de
orig. jur.) fuit NERATIVS PRISCVS*, vir
omnibus probatissimus & doctrina moribus-
que eximius, & tam carus Trajano Impera-
tori, ut hic non modo consiliis ejus uteretur,
l. 5. D. si a parent. quis manumiss. sed & ex mul-
torum sententia eum successorem designaret,
eique aliquando diceret: *Commendo tibi pro-
vincias, si quid mihi fatale acciderit.* Spartian.
Hadr. Cap. IV. Consul fuit, collega Annio
Vero, l. 6. D. ad leg. Cornel. de sicar. posteaque
& inter Hadriani consiliarios locum habuit,
Spartian. Hadr. Cap. XVIII. sub quo principe
& decessisse illum, opinor.

Neratius
Priscus.

U. S. Litter. diff.
in Nerat. Prisc.

* In veteris Jcti fragmento *Regularum* apud Schul-
ting. pag. 807. vocatur NERATIVS PROCLVS.
Sed aut *Priscus* rescribendum, quod Pithoeo pla-
cuit, aut & PROCVLVS, quod ego malim. Ce-
terum, quum apud Ulpian. *Fragm. tit. XI. §. 28.*
PRISCVS dicatur inter Proculejanos & Cassianos
in quaestione de pubertate ita se medium gessisse,
ut amborum sententiam conjungeret, incertum
est, nocterne sit intelligendus, an Javolenus, quia
uterque & ejusdem cognominis, & maximae au-
ctoritatis fuerit. Schulting. *Jurisp. vet. antejus-
tini. p. 604.* H.

§. CCLIX.

Plura reliquerat ingenii monumenta, vel- Ejus scri-
uti REGVLARVM libros XV, MEMBRA- pta
NARVM* libros VII, RESPONSORVM li-
bro

Z

bro

bros III^o, quae sola in Indice Florentino memorantur. At praeter haec opera laudantur etiam *libri* EPISTOLARVM *, *l. 12. §. 35. D. de instr. & instr. leg. libri* EX PLAVTIO, *l. 5. §. 1. D. de serv. praed. rustic. libri* DE NVPTIIS apud Gell. *Noct. Attic. IV, 4.* Edidit etiam NOTAS AD FVLCLINIVM, *l. 43. D. de mort. causs. donat.* quemadmodum & AD NERATIVM *Notarum libros IV.* reliquerat Julius Paullus. Ceterum & Neratium fecisse cum Proculo, vel schola, ex qua prodierat, fatis superque demonstrat. *Mascov. de Sect. Sabin. & Procul. III, 8. p. 76.*

* Videtur Neratius litterarum commercium habuisse cum viris, qui tum floruerunt, doctissimis. Nam & Plinius, quas *Lib. II. Epist. 13. Lib. VI. Epist. 8. & Lib. VII. Epist. 8. & 19.* ad Priscum dedit, epistolas, ad Neratium nostrum videtur scripssisse. At EPISTOLAE tamen, quales Proculus, Celsus, Neratius, alique veteres jurisconsulti reliquerunt, non tam ad familiares amoris causa & de negotiis privatis, quam ad jurisconsultos de quaestionibus juris dubiis, vel ad consulentes, de speciebus ambiguis scriptae videntur. H.

§. CCLX.

T. Aristo.

Iisdem temporibus inclaruit T. ARISTO, aequalis Celso & Neratio, quibuscum illi & litterarum commercium intercessit. *l. 19. §. 2. D. locat. l. 3. D. quae res pign. vel hypoth. l. 29. §. 1. D. de statulib.* Ex quo tamen non consequitur, eum Proculejanis esse adnumerandum, & a Pegasi sane opinione suam sejungit
sen-

sententiam. l. 19. D. de hered. instit. Amicissimus fuit Plinio, qui Lib. I. Epist. 22. illi, pertinaciter aegrotanti, tamquam jam mortuo, tanta facundia parentavit, ut simul veram perfecti jurisconsulti imaginem, qualem illo tempore animo concipiebant viri docti, ob oculos ponere voluisse videatur. *

* Primo generatim laudat ejus gravitatem, sanctitatem, doctrinam, quam tam variam ac diffusam esse ait, *ut sibi non unus homo, sed litterae ipsae, omnesque bonae artes, in uno homine summum periculum adire videantur.* Deinde inprimis eruditionis juridicae ambitum ita circumscribit: *Quam peritus ille & privati juris & publici? quantum rerum, quantum exemplorum, quantum antiquitatis tenet? nihil est, quod discere velis, quod ille docere non possit. Mibi certe, quoties aliquid abditum quaero, ille thesaurus est.* Laudat porro ejus in sermonibus fidem, in respondendo circumspectam tarditatem, frugalitatem in victu & cultu, magnitudinem animi, quae nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam referat. Denique eum tamquam genuinum Stoeae alumnum describit. Quamvis enim non sectetur gymnasia & porticus, nec disputationibus longis aliorum oculum suumque delectet, sed in toga negotiisque versetur, multosque advocatione, plures consilio juvet: non tamen facile quemquam eorum, qui sapientiae studium habitu corporis praeferant, huic viro videri comparandum. Addit, nemini illum castitate, pietate, justitia, fortitudine, patientia in morbo pertinacissimo, etiam primo loco cedere: quin jam sibi paucisque aliis aperuisse eum consilium, sponte exeundi e vita, si medici morbum insuperabilem esse renunciarent. Quae omnia argumento sunt, Aristonem more saeculi philosophiam Stoicam cum accuratiore jurisperitia o-

mnumque bonarum artium scientia conjunxif-
se. H.

§. CCLXI.

Ejus scri-
pta.

De scriptis Ariftonis, quod mireris, nihil Plinius. Ex jure tamen nostro patet, illum notasse AD CASSIVM, l. 7. §. 3. l. 17. §. 1. D. de usufr. AD SABINVM, l. 6. D. de usu & habitat. l. 3. §. 1. D. de penu leg. nec non AD LIBROS POSTERIORVM LABEONIS, l. 17. §. ult. D. de hered. instit. Librum porro illius DE FVRTIS laudat Gell. Noct. Att. XI, 18. & collectionem DECRETORVM FRONTINIANORVM * Pomponius l. ult. D. de acquir. vel amitt. ~~librum~~ An & RESPONSA, & DIGESTA scripserit, (quod ex l. 8. §. 5. D. si sero. vind. & l. 44. D. solut. matr. colligunt,) alii viderint.

* At quid DECRETA FRONTINIANA? Id hodie nemo facile dixerit. Videtur tamen quidam vel *Frontinus*, vel *Fronto* in jurisdictione sua multa severe ac prudenter decrevisse, quae deinde digna visa Ariftoni, quae animadversionibus suis illustraret. Ceterum ad *Frontonem* quemdam rescribit Trajanus, l. 5. pr. D. de poen. & M. Cornelius Fronto Consul fuit anno ab V. C. DCCCLIII. idem fortassis cum priore. Sed alii quoque circa eadem tempora passim memorantur *Frontones* & *Frontini*, quos recenset Ant. Augustin. de nom. propr. Pand. p. 272. 353. 361. 377. 379. & 399. H. Intelligendus est sine dubio *Cornelius Fronto*, qui Consulatum gessit cum Trajano A. V. 853. A. C. 100. Vid. Pagius in Critic. an. cit. Hic enim *Fronto* inter decemviros fuit, quos amici Trajani, in convivio, cum is de
succes-

successore deliberaret, dignos principatu judicarent. Xiphilinus *in Adrian.* p. 265. Qui, cum *ibidem* horum decemvirorum virtutes enarret, *Frontonem* potissimum ob juris peritiam laudat. *Ἀμέλει καὶ Κορνήλιου Φρόντων, ὁ τὰ πρῶτα ἦ τότε Ῥωμαίων ἐν δικαίᾳ φερόμενος*: Fuit *ἔσ* Cornelius Fronto *magnae auctoritatis, qui in agendis causis Romae primum locum obtinebat.* R.

§. CCLXII.

Minus celebres ea aetate fuerunt **ARRIANVS, SERVILIUS & VIVIANVS.** *Arrianum* Guil. Grotius eundem esse suspicatur cum illo, ad quem litteras dedit Plin. *Lib. I. Epist. 2. Lib. II. Epist. 11. & 12. Lib. IV. Epist. 8.* & alibi. Sed id incertum. Certius multo est, eum scripsisse libros **DE INTERDICTIS**, qui citantur *l. 11. D. de hered. petit.* **SERVILIUS** a solo Terentio Clemente laudatur, & ita quidem, ut eum Proculo posteriorem fuisse adpareat, * *l. 10. D. de jure patron.* Postremus **VIVIANVS**, laudatus subinde a Cervidio Scaevola, Pomponio, Ulpiano, Paulo, ipse aliquando Sabino, Cassio & Proculo testimonium denunciat. Quaedam scripsisse videtur **AD EDICTVM**, ad quae deinde notae edidit Pomponius. *l. 17. §. 4. D. commodati.*

Arrianus,
Servilius,
Vivianus.

*Arrianus fuit
navig. et pater
in 12
Arrianus
scripsit*

* Ex quo manifestum est, quamvis pro *Servilius* plerique codices MSSC. habeant **SERVIVS**, hic tamen intelligi non posse *Servium Sulpicium*. Quandoquidem tamen jurisconsulti veteres raro citarunt obscurioris famae homines: elegans profecto est conjectura V. A. Corn. van Bynkersh. *Observ. V, 23. p. 125.* pro *Servilio* rescribentis *Cervidium*, puta Scaevolam, & qui per aetatem & laudari a Terentio Clemente, & laudare Proculum potuit. H.

Minucius
Natalis.

De ferenioris famae jurisconfulti, ~~MINV-~~
CII NATALIS, aetate eo minus dubitare
licet, quod ad eum rescriptum dicitur Tra-
janus, l. 9. *D. de feriis*. Cujac. *Observ. VII, 2.*
& ita quidem, ut eum tunc Proconsulem fuisse
adpareat, quippe cujus de officio ibi Ul-
pianus differuit. Firmat hanc conjecturam
marmor apud Gruter. *Inscr. p. XLIX, 6.* in
quo LEG. AVG. PRO PR. PROVINCIAE
MOESIAE INFERIORIS vocatur.* Sabi-
nianum se suo indicio prodit. l. 61. *D. de rei*
vindic. l. 22. D. de reb. cred. l. 6. §. 4. D. de
act. emti. Cujac. *Observ. X, 4.* Quid vero scri-
pserit, hodie fere nescimus, quamvis ejus li-
bros, qualescumque fuerint, notis a IV-
LIANO illustratos esse, fatis constet.

* Ex eadem inscriptione patet, Minucio huic prae-
nomen fuisse *Lucii*, itemque eum & Consullem
& Augurem fuisse. Tota enim sic se habet :

HERCVLI
TIBVR. VICT
ET. CETERIS. DIS
† PRAET. TIBVRT.
L. MINICIVS
NATALIS
COS. AVGV
LEG. AVG. PR. PR
PROVINCIAE
MOESIAE INFER
VOTIS. SVSC.

† Apianus
rectius le-
git PE-
NAT.

In quem vero annum hic consulatus L. Mi-
nucci Natalis incidat, nullo indicio deprehen-
ditur. H.

§. CCLXIV.

CALVISII cujusdam nomen jurisconsultorum catalogo ideo inferuit Guil. Grot. *de vit. Ict. 11. 5.* quod Plinius Secundus *Lib. V. Epist. 7.* Calvisio cuidam dat negotium, Decurionum Comensium ordinem docendi, quid justum sit circa legata municipio relicta. Sed quum talia, ut non dicam cuivis ex trivio, saltim mediocriter prudenti diligentique homini mandare potuerit Plinius: ego ideo Comensem illum non dixerim jurisconsultum, multo minus illum auctorem crediderim ACTIONIS CALVISIANAE, cujus originem ad eundem referre non dubitat Grotius.

An & Calvisius?

§. CCLXV.

Meliore jure hic locum damus LAELIO FELICI, quem ad Hadriani tempora vitam produxisse, patet ex *l. 3. D. si pars hered. pet.* Scripsit AD MVCIVM, ex quo libro quaedam decerpfit Gell. *Noct. Attic. XV, 27.* Nec aliunde esse videntur, quae ab eo *αὐτόωτη* scripta esse dicuntur de muliere Alexandria, quinque simul utero gestante. * *d. l. 3. D. si pars hered. pet.* Ceterum Laelii Felicis testimonio utitur etiam Paullus. *l. 43. D. de hered. pet.*

Laelius Felix.

Subscribitur de tem. non pariter de tem. de tem. de tem. de tem.

* Eamdem historiam narrant etiam Cajus *l. 7. pr. D. de reb. dub.* Julianus *l. 36. D. de solut.* Phlegon *de Mirabilib. Cap. XXIX.* & Jul. Capitolin. *in Antonino Pio Cap. IX.* sed circumstantiis tam

discrepantibus, ut ambiguus haereas, idemne,
an diversa narrent. Totam rem cum cura ex-
penderunt Rigalt. *ad Tertullian. de Anima Cap.*
XVII. p. 81. & Car. Hannibal Fabrot. *Exercit.*
Select. II. H.

§. CCLXVI.

Sub Ha-
driano
maximā
mutatio-
nem subi-
it jurif-
pruden-
tia.

Progredimur ad HADRIANVM IMP.
sub quo novam veluti faciem induisse juris-
prudentiam, inter omnes constat. Juvenis
adhuc, quum futuri sollicitus Virgilianas
fortes consuleret, fors exiit illud *Aeneid. Lib.*
VI. v. 808.

*Quis procul ille autem, ramis insignis olivae
Sacra ferens? Nosco crines, incanaque menta
Regis Romani, primam qui LEGIBVS urbem
Fundabit.*

teste Spartiano *in Hadr. Cap. II.* Quam for-
tem probante eventu, Hadrianus in publica
privataque vita Numam imitari studuit.
Aurel. Victor Schotti Cap. XIV. Dodwell. Prae-
lect. Cambden. VII. p. 295. sequ. In eo tamen
praecipue se ad Numae exemplum compo-
suit, quod legibus armavit rempublicam;
quod in eo laudant Latin. Pacat. ¹ *Panegy.*
Cap. XI. Oros. Lib. VII. Cap. 13. Jo. Sarisber.
Nugar. Curial. Lib. VIII. Cap. 19.

§. CCLXVII.

Ejus au-
spiciis
conditū
edictum
perpetu-
um.

Sic primus condi jussit Edictum perpetu-
um; quum Praetores ad ejus usque tempora
edicto singulis fere annis novi quid adstru-
xissent. * Falluntur enim, qui Paulo Dia-
cono

cono

quod fuit adscriptum in libro — Polycarpi de legibus, sive de edicto perpetuo

cono credentes, eam laudem Antonino Pio tribuunt, vel decepti loco Aurelii Victoris male fano, Didio Juliano edictum illud debere, contendunt, veluti Garro *ad l. 2. §. ult. D. de orig. jur.* & Hugo Grot. *Flor. spars. p. 87.* Hadriani vero auspiciis hunc laborem suscepisse SALVIVM IVLIANVM, testantur Eutrop. *VIII, 9.* & ipse Justinianus, *Constit. Graec. de confirmat. Digestor. §. 18.*

* Durasse hunc morem ad Hadriani usque tempora, probari potest luculento loco *l. 6. §. 1. D. de custod. & exhibit. reor.* ubi Marcianus: *Sed & caput, inquit, mandatorum exstat, quo D. Pius, quum provinciae Asiae praeerat, SVB EDICTO PROPOSVIT, ut irenarchae, quum adprehenderint latrones, interrogent eos de sociis & receptoribus, cetera.* Asiam autem eum multo ante, quam ab Hadriano esset adoptatus, rexisse sub Hadriano, patet ex Julio Capitol. *in Anton. Pio Cap. III.* Si ergo Procol. tunc adhuc edicta sub auspicia magistratus sui proposuerunt: quidni & Praetores? H.

§. CCLXVIII.

Auctor est Eusebius *Chron. n. MMCXLVII.* Quo anno? illo Abraami anno in lucem prodiiſſe Edictum perpetuum: qui annus inchoandus est a Kal. Octobr. anni ab V. C. DCCCLXXXIV. erae Dionys. CXXX. Quum vero sequente demum anno Hadrianus celebrarit Quindecennialia, quae ut plurimum illustrium legum promulgatione solebant celebrari: Ant. Pagii *Dissert. hypat. Part. II. Cap. 4. §. 3. p. 123.* genuina publicati edicti perpetui era incidere

videtur in annum erae Dionys. CXXXI. quo Ser. Octavius Laenas Pontianus & M. Anton. Rufinus Consules fuerunt. * Ant. Pagi-
us *Critic. Baron. Tomo I. p. 127.* Tillemont
Hist. Imp. Tomo II. Parte 2. p. 408.

* Errant ergo tum Baronius, qui Edictum anno e-
rae Dionys. CXXXIV. conditum putat, tum Ren.
Bottereau, qui *in Hadriano legislat. p. 189.* eram
illam figit in anno CXXXII. Nos Eusebium eo
tutius sequi videmur, quo certius constat, illum
antiquiora pleraque ex Julio Africano exscriptisse:
hunc vero Chronologiam suam perduxisse ad an-
num erae Dionys. CCXIX. adeoque nonaginta
circiter annis abfuisse ab illis Hadriani temporibus.
Georg. Syncell. *Chronograph. pag. 107.*
Edit. Reg. & pag. 86. Edit. Venet. inter Script.
Rer. Byzant. Quis vero dubitet, quin tum ad-
huc exstiterint incorrupta monimenta, ex quibus
genuinum publicati edicti perpetui annum erue-
re potuerit scriptor diligentissimus? H.

§. CCLXIX.

Auctor
ejus Sal-
vius Ju-
lianus.

Composuisse illud Edictum perpetuum
SALVIVM IVLIANVM, jurisconsultum
celeberrimum, non modo Eusebius & Eu-
tropius observant, verum etiam Justinianus
*l. 2. §. 18. C. de vet. jur. enucl. & l. 10. C. de con-
dict. indeb. ubi summae auctoritatis homo, &*
EDICTI PERPETVI ORDINATOR ad-
pellatur. Quum vero & alii tum floruerint
jurisconfulti eximii, & Juliano nihilo dete-
riores: ratio, cur ei potissimum id negotii
datum sit, vix alia reddi poterit, quam quod
ille tum praeturam gesserit, eumque adeo in
edicto

edicto scribendo laborare oportuerit. * Idque & inde colligimus, quod Julianus tralati-
tiis edictis quaedam nova, veluti *de conjungen-
dis cum emancipato liberis ejus*, addidit: l. 3. *D.
de conj. cum emanc. lib.* quod non nisi a Prae-
tore fieri potuisse, novimus.

* Ipse sane praeturae suae meminit Julianus, l. 5.
D. de manum. vind. Ea vero per temporis ratio-
nes commode incidere potuit in hunc annum e-
rae Dionys. CXXXI. Vix credibile est, sine ae-
mulatione Jctorum, maxime diversae sectae de-
ditorum, huic Sabiniano dari id negotium potu-
isse, quum facile praevidere potuerint illi, ho-
minem pleraque sectae suae placita edicto infer-
turum. Commodissima vero ratio componendi
hanc litem haec esse potuit, ut negotium id de-
legaretur ei, qui esset Praetor in hunc annum de-
signatus. Ita enim non erat quod Proculejani ira-
scerentur Juliano, qui forte magis, quam Princi-
pis judicio, Spartam hanc nactus videbatur. H.

§. CCLXX.

Quamvis autem in eo potissimum constite-
rit Salvii Juliani opera, ut jus, *quod varie in-
conditeque a Praetoribus adhuc promebatur*, IN
ORDINEM COMPONERET, Aurel. Vi-
ctor *Schotti C. XIX. ORDINARET*, l. 10.
C. de condict. indeb. & CONDERET *: l. 2.
§. 18. *C. de vet. jur. enucl.* certissimum tamen
est, eundem non modo quaedam de novo
adjecisse, l. 3. *D. de conj. cum emanc. lib.* vel omi-
sisse, tamquam quae usu jam exolevissent, e. g.
edictum *de fluminibus retandis* apud Gell. *Noct.
Attic. XI, 17.* sed & aliqua immutasse, uti ob-
servatur ab Edicti interpretibus, l. 1. *D. quod
met,*

In quo-
nam con-
stitit Ju-
liani ope-
ra.

met. causf. l. i. §. i. D. commod. quin & sectae suae fervientem, quaedam Sabinianorum placita edicto inferuisse, & Proculejanorum hoc modo explosisse sententias, l. i. §. i. D. de jure fisci.

* Talia veterum Praetorum edicta eo tempore adhuc permulta exstabant, maxime in bibliotheca Ulpia, in qua integrum eorum volumen reperit evolvitque paulo post Gellius, ceu ipse testatur *Lib. XI. Cap. 17.* Bibliotheca ista, collecta a Trajano, & legum, Sctorum, edictorum, aliorumque monumentorum collectionibus refertissima, initio in templo Trajani stetit, & postea in thermas Diocletianas translata est, ubi se illa usum esse testatur Vopisc. *in vita Taciti Cap. VIII. & in vita Aureliani Cap. VIII.* Vocatam esse hanc Bibliothecam *Athenaica*, ex codice Palatino Trebellii Pollionis *de triginta tyrann. Cap. X.* observat Claud. Salmaf. *ad Script. Hist. Aug. p. 302.* Sed impressi plerique ibi pro *athenaicis* habent *archiva.* H.

§. CCLXXI.

Edictum perpetuum oratione principis & SCto firmatum.

Ceterum hoc edictum adeo se probavit & Hadriano Imp. & Senatui, ut ille ORATIONE, quae in *constit. Graeca de confirm. Digest. §. 18.* λόγος τῆς Ἀδριανῆς ἐν κοινῷ διεξελθὼν ἐπὶ τῆς παλαιωτέρας Ῥώμης, *oratio Hadriani in Senatu veteris Romae recitata* adpellatur*; hic SCto in principis sententiam facto istud ratum haberet. Id SC. postea ipsi edicto loco praefationis praemissum esse, ex *l. 102. pr. D. de reg. jur.* luculenter conjecit Jac. Gothofred. *in Comment. ad Reg. Jur. p. 449.*

* Ex hac oratione principis integram sententiam servavit Justinianus *d. §. 18.* quae & ab ipso Juliano

liano repetitur in *l. 12. D. de legib.* & ab eo alisque quoque Jurisconsultis, mutatis tantum verbis, saepe inculcata est, in *l. 10. l. 11. §. l. 13. D. eod.* puta, ut *si quid praeter id, quod jam ordinatum sit, emerferit, conveniens sit, eos, qui in magistratu sunt, conari decidere, & remedium imponere secundum eorum, quae jam ordinata sunt, consequentiam.* H.

§. CCLXXII.

Ex eo ergo tempore edictum illud, a Ejus auctoritas.
 Juliano conditum, pro norma jurisdictionis perpetua atque immutabili fuit, dictumque est *κατ' ἐξουχίαν* EDICTVM, *l. 1. l. 2. C. de success. edict.* EDICTVM PERPETVVM, Gell. *Noct. Attic. X, 15.* Eutrop. *VIII, 9.* ΔΙΗΝΕΚΕΣ ΔΙΑΤΑΓΜΑ, Paeon. *Metaphr. Eutrop. ibid.* EDICTI FORMA, *l. 8. D. de calumn.* EDICTI PERPETVI AVCTORITAS, *l. 3. C. de edendo.* IVRIS AVCTORITAS *l. 10. C. Gregor. de pact.* EDICTI PERPETVI CVRSVS, *l. 6. C. qui adm. ad bon. possess.* FORMA CONSTITVTA, *l. 1. C. de inoffic. donat.* FORMA IVRIS, *l. 1. C. si tut. vel curat. interv.* FORMA IVRISDICTIONIS *, *l. 5. §. 1. D. ut legat. seu fideic. caus.* IVRISDICTIONIS TENOR, *l. 5. C. de his, quae vi metusv. caus.* PERPETVA IVRISDICTIO, *l. 2. C. de restit. mil.* INDVBITATVM IVS, *l. 2. C. Gregor. de pact. & transact.* IVRIS RATIO, *l. 7. C. Greg. eod.* LEX, *l. 1. §. 2. D. unde cogn.* denique IVS PERPETVVM, *l. 5. C. de appellat.*

* Apud Graecos primum invaluerat, ut edicta qualiacumque τύποι vocarentur, hinc τύπος ἰσαρχικός, edictum

edictum praefectorium. Nov. CLXVI. *in rubr.*
 Nov. CLXVII. *sequ. in rubric.* θεῖον τύπον, *e-*
dictum Imperatoris. Nov. CLXII. γενικὸς τύπος,
generale edictum. Id postea Latino FORMA ex-
 presserunt, cui adeo adfueverunt jurisconfulti, ut
formas vel τύπος vocarent quaslibet leges, sanc-
 tiones, constitutiones principum, l. 31. *D. de ad-*
ministr. & *peric. tut.* l. 10. *pr. D. de pact.* l. 14.
 §. 1. *D. de alim.* & *cibar. leg.* l. 2. *C. de jure*
domin. l. 23. *C. de excusat. tut.* Sic & *formam*
oraculi sui Principes vocabant constitutionem su-
 am l. 1. *C. Theod. de rei vind.* Immo & senten-
 tia ad legis vel constitutionis praescriptum lata
forma vocabatur, l. 11. *C. Theod. de bon. pro-*
script. & τέλειον ἐπιτιθέμεν τύπον est *sententiam de-*
finitivam ferre. Nov. XXIV. *Cap. 5. H.*

§. CCLXXIII.

Edicto ne
 principes
 quidem
 derogare
 aude-
 bant.

Immo tantum abest, ut magistratibus,
 publicato jam edicto perpetuo, novi quid
 edictis suis sancire liceret, ut ipsi Principes
 passim profiterentur, non esse ulli permitten-
 dum, jurisdictionis formam mutare, vel juri
 publico derogare, l. 13. *C. de testam.* absur-
 dum esse, edicti perpetui negligi formam l. 2.
C. de condit. insert. eoque nomine frustra sup-
 plicari, l. 2. *C. de success. edict.* & temere de-
 siderari poenam, edicto perpetuo praestitu-
 tam ulli concedi, l. 2. *C. de in jus voc.* frustra
 denique remedium a principe quaeri, ubi sup-
 plicem ratio juris impugnet. l. 1. *C. Hermog.*
de calumn. Si quid etiam ex edicto perpetuo
 fuerat decretum: ne adpellationi quidem lo-
 cum fuisse, docet Paullus l. 7. §. 1. *D. adpel-*
*lat. recip. vel non**. Donell. *Commentar. in Lib.*
XXVIII. Cap. 6. p. 437.

* Id

* Id tamen cum grano falis accipiendum. Potest in edicto ad factum adplicando non minus labi iudex, ac in adplicando alio jure. Et si ex tali adplicatione perversa oritur gravamen, ob quod superiorem iudicem adpellare licet: quidni etiam, si edictum perperam facto sit adplicatum? Verba Pauli *d. l. 7. §. 1. D. de adpellat. recip. vel non.* ita se habent: *Item si ex perpetuo edicto aliquid decernatur, ID QVOD MINVS FIAT, non permittitur adpellare.* Sensus ergo est, si quis adpellatione sua impedire velit, quo minus secundum edictum decernatur, eo fortassis obtentu, quod illud edicti caput exoleverit, ejus non recipiendam esse adpellationem, quum perpetua sit atque indubia edicti auctoritas. H.

§. CCLXXIV.

Memoratur etiam in jure nostro EDICTUM PROVINCIALE perpetuum, quod Henr. Dodwellus ab eodem Hadriano; Ezech. Spanhemius sub Antonino quodam conditum putat. Sed illud vere cum Praetorio unum idemque fuit, idque nomen tulit in provinciis, quum in urbe *praetorium, urbanum*, itemque *urbicum adpellaretur*. * Sane & feriem vel ordinem eundem fuisse in edictis urbano & provinciali, observavit Jac. Gothofredus *in Serie edicti perpet.* & Cajus, qui edictum provinciale luculento commentario illustravit, promiscue utitur formulis: AIT PROCOS. & AIT PRAETOR. *l. 4. D. quod quisque jur. l. 1. §. 2. D. quod cujusc. univers. nom.*

Edictum provinciale idem cum urbano.

* Quum jam libera republica Praefides pleraque edicti urbani capita in sua edicta provincialia transferrent: (§. LXXX. *) ad quid opus fuisset singulari

gulari edicto provinciali sub Imperatoribus? Accedit, quod Aristides *Orat. in Romam* p. 395. edit. *Guil. Canteri*, quum paullo ante p. 390. meminisset θεσμών & τάξεων ἀφύκτων ἅπασιν ἐπισταθίων & legum & ORDINIS PERPETVI omnibus traditi; statim perguit; ἐδὲ γὰρ δεῖ νῦν ἀειήγησιν γῆς γράφειν & εἶδ' ὡς ἕκαστοι χροῶν νόμοις ἀπαεθμῶν· ἀλλ' ὑμεῖς ἅπαντες ἀειηγητῶ κοῖνοι γεγονάτε, ἀναπεύζωντες ἀπάσης τῆς δικαστικῆς τὰς πύλας, & ἀφροχόντες ἐξουσίαν αὐτοπίας πάντων τῆς δέλουσας γίνεσθαι, ΝΟΜΟΥΣ ΚΟΙΝΟΥΣ ἅπασιν ἄξοντες. Nulla nunc terrae descriptione operus est, nec singulorum leges recensere quidquam attinet, postquam vos communes omnium orbis exploratores exististis, totiusque terrae portis apertis; unicuique, quod vellet inspiciendi facultatem dedistis, COMMUNESQUE OMNIBUS LEGES tulistis. Qui νόμοι ἅπασιν κοῖνοὶ non alii sunt, quam edictum perpetuum, provinciis cum urbe commune, cui ipse haec verba accepit *Ez. Spanhem. Orb. Rom. Exerc. II. Cap. 7. p. 285.* Recte ergo *Ant. Pagius Critic. Baron. Tomo I. p. 127.* scribit: Edicto perpetuo omnes civitates Romanae urbis leges sequi iustae sunt: quamvis vir doctissimus, dum istud edictum & hodie extare, existimat; illa opinione sua omnino fallatur. H.

§. CCLXXV.

Qui restituere conati sint edictum perpetuum?

Quum vero praeclarus illae Romanae jurisprudentiae fundus temporum injuria jam pridem perierit, de restituendo illo jam inde a renatis litteris cogitarunt viri doctissimi, quamvis non eodem omnes successu. EGVINARIUS BARO in *Manualibus juris*, nec ordinis, a Juliano observati, ullam rationem habuit, & judice *Jac. Gothofredo in Manual. jur. p. 46.* sciens saepe ea edicta confinxit, quae numquam fuerunt, sed quae sunt ex jurisconsultorum placitis, moribus

moribus Romanorum, antiquis legibus, vel etiam novis principum constitutionibus. Majore religione edicti perpetui reliquias collegit GVIL. RANCHINVS, quamvis & ipse non ad genuinum, qui Praetori placuerat, ordinem, sed secundum seriem titulorum Pandectarum, capita edicti disposuerit.

§. CCLXXVI.

Quandoquidem tamen haud parum inter est studiosi juris, ordinem seriemque edicti perpetui non ignotum esse: primum HVB. GIPHANIVS in *Oeconomia juris* illum non infeliciter ostendit: deinde & PETR. PITENIVS IC. Florentinus scripsit librum *de oeconomia edicti perpetui*, mihi adhuc nondum visum, at laudatum a V. C. Jo. Alb. Fabricio *Biblioth. Lat. Vol. III. p. 788.* Denique omnium industriam superavit Jac. Gothofredus, edita & quatuor fontibus juris civilis inserta tabula, quam *seriem edicti perpetui* inscripsit. *

Qui ejusdem oeconomia vel ordinem ostenderint.

* At hi omnes tamen spicilegium satis magnum reliquerunt aliorum industriae. Nos ipsi in schedis habemus EDICTVM PERPETVVM, multorum annorum adfectum magis, quam perfectum opus, in quo tria potissimum nobis proposuimus: *primum*, ut historiam edictorum & edicti perpetui demus quam accuratissimam: *alterum*, ut ipsum edictum non modo ordini atque integritati suae, quoad ejus fieri potest, restituamus, sed & omnia probationibus luculentissimis firmemus: *tertium*, ut fragmenta veterum jurisconsultorum, qui edictum perpetuum commentariis suis illustrarunt, omnia suis quaeque locis aptemus, eoque modo

genuinam eorum speciem in clarissima luce collocemus. Utinam demum colophonem imponere liceret laborioso operi! Sperarem, jurisprudentiae haud parum lucis ex his vigiliis meis accessurum. Sed haec Deo curae erunt. H. Aliter Deo visum est; & quod meditabatur opus elegantissimum Heineccius, perficere, morte praeventus, non potuit. Prodierunt quidem post obitum ejus in lucem publicam adfecti operis schedae: verum eae doctorum hominum desiderio nullo modo satisfacere possunt. R.

§. CCLXXVII.

Quam
mutatio-
nem edi-
ctum per-
petuum
in jurif-
prudenti-
ae studio
attulerit?

Neque hic praetermittendum videtur, edictum perpetuum in ipso etiam juris studio mutationem haud exiguam attulisse. Quum enim antea a legibus XII. Tabularum auspicarentur jurisprudentiam: jam eam ab edicto exordiebantur, si credimus Gothofredo *Man. jur. p. 10.* quod tamen jam Ciceronis temporibus fieri coepisse. jam supra a nobis observatum est. (§. LXXIV.*) Deinde quum antea in libris Sabini, aliorumque jurisconsultorum illustrandis potissimum exercerent ingenium: ex eo tempore ad Edictum plerique scripserunt, ejusque ordinem in operibus suis tantum non omnibus sunt sequuti.* Hub. Giphan. *Oecon. jur. p. 120.* Ev. Otto in *Papiniano XII, 6. p. 259.*

* Sunt, qui & sectas, condito edicto perpetuo, paulatim interiisse existimant. Godefr. Mascov. *de Sect. Sabin. & Procul. Cap. VII.* Sed id non adeo liquido probatur. Quaedam Julianum ex Sabini-
anorum sententia edixisse, ipsi supra ex l. 1. §. 1. *D. de jur. fisci* ostendimus. (§. CCLXX.) Sed pau-

pauciora haec fortassis fuerunt, quam ut inde factis immineret periculum. Et fuerunt sane etiam post Hadriani tempora jurisconfulti, alterutri factae addictiores: adeoque probabilius est, principum interpretationibus ac decisionibus paulatim factum esse, ut Jurisconfulti secum invicem in gratiam redirent. H.

§. CCLXXVIII.

Iisdem temporibus etiam EDICTVM AEDILITIVM perpetuum conditum esse, suspicatur Henr. Dodwellus, sed sine auctore: nec admodum probabilis est haec viri doctissimi divinatio. Primo enim quaedam Edicti Aedilitii capita translata fuerant in edictum perpetuum. *Const. tanta. §. 5. de confirm. Digest. Const. omnem reip. §. 4 ad Antecess.* Cur vero, quaeso, id factum fuisset, si singulare extitisset, aut ex Hadriani sententia conficiendum fuisset edictum Aedilitium perpetuum? * Deinde jam eo tempore evilerat Aedilium curulium jurisdictio, ut de eorum officio nec titulus singularis extet in *Pandectis*, nec liber singularis jurisconfulti ullius extiterit, quum tamen de multo minoribus magistratibus justis libris egerint. Papiniani enim librum ἀστυνομικῶν ad Aediles municipales pertinuisse, observavit V. C. Ev. Otto in *Papinian. Cap. XII. §. 5. p. 253. sequ.*

An & Aedilitium edictum perpetuum extiterit?

* Pleraque veteris Edicti Aedilitii capita, quorum supra quaedam ex antiquitatis parietinis eruimus, (§. LXXVII. sequ.) jam illo tempore ab usu recesserant. Tria vero, quae adhuc in foro usum aliquem habebant, (§. LXXVI.) tanti non visa

sunt Hadriano, ut inde novum systema vel edictum Aedilitium perpetuum contexeret, sed ea edicto praetorio inferi iussit. Hinc quamvis infrequentis saeculi scriptores, CAIVS, VLPPIANVS & PAVLLVS *binos* quisque *libros* AD EDICTVM AEDILIVM CVRVLIVM scripserint: in iis tamen non alia, quam quae in *Pandectis* memorantur, capita interpretati sunt, ut facile adpareat, eos non tam ad singulare aliquod edictum aedilitium perpetuum, quam ad titulum edicti perpetui *de Aedilitio edicto*, qui inter postremos edicti erat, scripsisse. Ev. Otto *de tutel. viar. Lib. III. Cap. 2. p. 429. H.*

§. CCLXXIX.

Advocatus fisci institutus, restitutaque jurisconsultis facultas respondendi.

In eo etiam novi quid invexit Hadrianus, quod primus ille FISCO ADVOCATVM dedit. Spartian. *in Hadrian. Cap. XX.* * Idem jurisconsultis pristinam libertatem de jure respondendi restituit. Quae de re Pomponius: *Optimus, inquit, princeps, Hadrianus, quum ab eo viri praetorii peterent, ut sibi liceret respondere, rescripsit iis: hoc non PETI, sed PRAESTARI solere***, & ideo, si quis fiduciam sui haberet, delectari se, populo ad respondendum se praepararet. *l. 2. §. ult. D. de orig. jur.*

* Huc & pertinent illa Spartiani *cap. 22. Quatuor Consulares per omnem Italiam Judices constituit.* Eorum loco M. Antoninus *Juridicos* Italiae praefecit, Capitolin. *in Vit. c. 11.* sed reduxit Constantinus M. *Consulares*, de quibus vide Notit. Imp. *in Not. vicar. urb. Rom. R.*

** Ex his verbis patet, jam paullo ante Hadrianum paullatim exolevisse illud Augusti institutum, de quo supra plura diximus. (§. CLXXXVIII. sequ.) At ex intervallo tamen illud multo post Hadrianum

num in usum coepisse revocari, patet exemplo Innocentii, jurisconfulti, apud Eunapium *in vita Chrysanthi init.* sive pag. 187. *Edit. Commelin.* qui respondendi de jure facultatem a principe impetrasse dicitur. A Severi Imp. temporibus id fieri iterum coepisse, suspicatur Henr. Dodwellus *Praelect. Cambden. IX. §. 11. p. 355. H.*

§. CCLXXX.

Frequentius etiam multo, quam antea, **CONSTITUTIONIBVS** nova jura dabat Hadrianus. Quum enim ante eum pleraque principum edicta vel SCtis firmarentur, veluti edictum Augusti de intercessionibus mulierum, *l. 2. D. ad SC. Vellejan.* Tiberii, de iis, qui sibi legatum ipsi adscripserint, Petr. Faber *Semestr. 1, 25. p. 143.* Claudii de naviculariis apud Sueton. *Claud. Cap. XVIII. sequ. l. 5. §. 3. D. de jure immunit. l. 3. D. de vacat. & excus. mun. juncta l. 3. §. 8. D. de incend. ruin. naufr.* vel ea, quae decreverat Senatus, principum edictis confirmarentur & publicarentur: Tacit. *Annal. VI, 12.* Symmach. *Lib. X. Epist. 21.* Maran. *Paratitl. p. 114.* Ant. Dadin. *Alteserra Recitat. quotid. p. 182.* & V. C. Petr. Burmannus *de vectigal. pop. Rom. Cap. VI. p. 113.* ab Hadriani temporibus principes, nullo adhibito colore, quidquid collibitum, edictis suis constituere coeperunt.*

Quid circa constitutiones innovatum?

* Hadrianus id eo faciebat frequentius, quo rarius toto fere imperii sui tempore Romae erat, quippe per univrsam terrarum orbem peregrinatus. Spartian. *Hadr. Cap. XII.* Hinc & rarius consuebat Senatum, & suo pleraque arbitrio rescriptis

constituebat, adeo, ut ab ejus potissimum temporibus increbuisse videatur paroemia? ἐκεῖ τε ἡ Ρώμη, ὅπου ποί' ἀν' ὁ βασιλεὺς ἦ Roma est, ubi Imperator est. Herodian. *Lib. I. Histor. Cap. 6.* H. Ubicunque locorum igitur Princeps *consistat*, ibi de rebus ad salutem reipublicae, civium, subditorumque pertinentibus, inconsulto Romano Senatu, adhibitis in consilium comitibus, deliberare atque statuere potest. Vides *Consistorii*, atque *Comitum Consistorianorum* originem. Qui enim primis monarchiae Romanae temporibus, *amici, comites, consiliarii Principis*, dicti sunt, hos, aetate sequiore, *Comites Consistorianos* nominarunt. De his vide Salmasium *ad Spartiani Hadrian. c. 18. ad Trebell. Pollion. Macrion. c. 11.* & Gothofredum *in Commentar. ad leg. un. C. de Comit. Consistoriarum.* Bene legitur in Glossis Nomicis: Κονσιτόριον βασιλικὸν σέκουσιον. In eo *Comites Consistoriani*, devotionis testandae causa, plerumque stabant, solo sedente Principe. Vid. *Commentar. ad leg. 5. Cod. Theodos. de fide test.* & Du Fresno *Glossar. voc. consistorium.* Sed hoc notatu dignum est, in principis consistorio numerata suffragia, & si aequalia essent, reum absolutum fuisse. Est elegans hac de re locus apud Julianum in Encomio Eusebiae, sive *Orat. III. pag. 115. Edit. Spanhem.* Postquam enim retulisset, Athenis olim, si par reo cum accusatore suffragiorum numerus esset, tum Minervae suffragio ei, qui condemnandus erat, adjuncto, utrumque ab omni crimine liberatum esse; hanc suffragiorum aequalium legem, in Consistorio Principis non servari modo, dicit, sed Eusebiam Augustam, tanquam alteram Minervam, sua intercessione, eam multo benigniorem etiam reddere. Τυτον δὴ φιλόθρονον ὄντα, ἔκαρτέντα τὸν νόμον ἐπὶ τῶν δικῶν, ἀς βασιλεὺς κείνη, σωζόμενον πρῶτοτερον αὐτῆ καθίστησιν. ἔγδ' ἀν' ὁ φεύγων παρ' ὀλίγον ἔλθη τῷ ἴσῳ ἐν ταῖς ψήφοις λαχεῖν, πείθη τῷ ὑπὲρ αὐτῆ δέησιν παρεθεῖσα, καὶ ἐκείνη-
είαν,

εἰαν, ἀφεῖναι πάντας τὰς αἰτίας. Hanc perhumanam suavemque legem, quae IN IIS IVDICIIS retinetur, de quibus IMPERATOR COGNOSCIT, multo illa (Eusebia) mitiorem ac benigniorem facit. Nam ubi reus ipse NON PAREM omnino suffragiorum numerum sortitus est, tum illa precibus suis interpositis, apud eum efficit, ut omnibus illum criminibus absolvat. Ad hoc Principis consistorium, in quo is cum amicis deliberabat tractabatque, pertinet etiam l. 17. D. de jure patronatus, quam ad disputationes forenses, viri docti, & in his Heineccius quoque (§. 52. supr. ubi tamen consulto eam expunxi) inepte referunt. En! verba ex rescripto Divorum fratrum: Sed cum & ipso Maeciano, & aliis AMICIS nostris Jurisperitis adhibitis, plenius tractaremus; magis visum est, nepotem non excludi a bonis aviti liberti. R.

§. CCLXXXI.

Itaque Hadrianus non modo, ut utamur verbis Tertulliani *Apologet. Cap. IV.* quotidie totam illam veterem ac squalentem silvam legum novis principalium rescriptorum & edictorum securibus rustabat, caedebatque: sed & nova constituebat jura, veluti de acquisitione thesauri, Spartian. *Hadr. Cap. XVIII.* §. 39. *Inst. de rer. divis.* de bonis damnatorum, Spartian. *ibid.* & l. 2. l. 6. l. 7. §. 3. *D. de bon. damnat.* de alimentis legatis, l. 14. §. 1. *D. de alim. & cib. leg. Em.* Merill. *Obs. III*, 16. de tempore partus, *Gell. Noct. Attic. III*, 16. de beneficio divisionis inter plures confidejussores*, l. 26. sequ. *D. de fidejuss.* de muliere vulgari & quaestuarina a milite herede non instituenda, l. 41. §. 1. *D. de test. mil.* de iis, qui testari aliquem pro-

Nova jura ab Hadriano constituta.

renov. cap. XI. 176
 Ut fere dicitur de be-
 neficio H. Hadrianus.

hibuerint, hereditate a fisco privandis, l. 1. pr. *D. si quis aliqui test. prob.* de possessione ventri danda, l. 1. §. 14. *D. de ventr. in poss. mitt. de funeribus & sepulcris*, l. 3. §. 5. *D. de sepulcr. viol.* l. 37. §. 1. *D. de religiof.* de poena perpetui carceris non irroganda, l. 35. *D. de poen.* de iis, qui spadones, vel thlibias faciunt, puniendis, l. 4. §. 2. l. 5. *D. ad legem Cornel. de sicar.* de parricidiis, l. 9. pr. *D. ad leg. Pompej. de parricid.* de termino moto, l. 2. *D. de term. mot.* aliisque juris capitibus, de quibus accuratius Ren. Bottereau in *Hadriano legislatore*

* Hoc jus epistola D. Hadriani invecum esse, satis patet ex §. 4. *Inst. de fidejuss.* l. 26. *D. eod.* §. l. ult. *C. de constit. pec.* Vix autem prodierat illa Epistola, quum in edictum perpetuum referretur a Juliano. *Paul. Recept. Sent.* I, 20. Ut mirum non sit beneficium hoc divisionis ex edicto repeti a Paulo, quod alioquin ex Epistola Hadriani profectum dicitur. Miramur ergo, Cujacium ejus auctorem facere Antoninum Pium, quum fieri non possit, ut ab Antonino sit, quod jam in Edicto perpetuo locum invenit. Neque Cujacio suffragatur l. 49. §. 1. *D. de fidejuss.* ubi Antoninus non jus novum constituit, sed jam constitutum certae speciei adplicat. H.

§. CCLXXXII.

Ejus decreta, interloquutiones, dicta.

Sed & DECRETORVM Hadriani passim fit mentio: l. 28. *D. de inoffic. test.* l. 23. §. 2. *D. de liberal. causf.* & INTERLOQVVTIONES ejusdem plures complectitur Dosithei, grammatici Graeci elegans *Sententiarum & Epistolarum* libellus, editus a Melch. Goldasto, ac deinde

deinde ab Ant. Schultingio *Jurisprudentiae veteri antejustinianeae* insertus p. 855. sequ. EDICTA denique notanda sunt complura, veluti illud, quod singulari constitutione abolevit Justinianus l. 3. C. de edicto D. Hadr. toll. de quo accurate Jac. Cujacius in *Paratitl. Cod. b. t.* nec non de direptione navium, l. 7. D. de incend. ruin. naufr. & de poena eorum, qui relegati vel ante tempus redierint, vel excefferint insula, vel deportati evaserint*: l. 28. §. 13. D. de poen. denique de masculorum feminarumque lavacris separandis. Spartian. in *Hadrian. Cap. XVIII.*

* Deportati in insulam fuerant suspecti de imperio Laberius Maximus & Frugi Crassus. Et quamvis Hadrianus primis statim imperii diebus per epistolas esset admonitus a Tatiano, ut homines occideret: tantum tamen erat clementiae studium, ut neutrum eorum laederet. Crassum tamen postea egressum insula, Caesaris procurator, dubium an jussu domini, occiderat. Spartian. *Hadr. Cap. V.* id occasionem dedisse huic edicto, quo relegatis, si insula excefferit, deportari, deportatus capitis damnari jubetur, conjicit Ren. Botte-reau in *Hadriano legislat. p. 138.* qui hoc edictum anno ab V. C. DCCCLXX. T. Vipsanio & Aproniano Coss. prodiiisse existimat. Ubi obiter mone-mus, Coss. eo anno non fuisse T. Vipsanium & Apronianum, sed T. Vipsanium Apronianum & Quinctium Nigrum. Gruter. *Inscr. p. DLXXVIII,* 1. p. MVIII, 7. MIX. 2. H.

§. CCLXXXIII.

Neque tamen nulla sub Hadriano facta sunt Senatus-
 SENATVSCONSVLTA. Ut enim jam consulta
 Aa 5 non sub Ha-

driano
facta.

non dicam de illo , quo anno V. C. DCCCLXXXV. edictum perpetuum firmatum esse , monuimus : (§. CCLXXI.) passim commemorantur & alia, veluti factum anno V. C. DCCCLXXIX. Neratio Prisco & Annio Vero Coss. de eo, qui servum castrandum dederit: *l. 6. D. ad leg. Cornel. de sicar. nec non aliud de agnoscendo partu: l. 3. §. 1. D. de agnose. & al. lib.* itemque de legatis vel fideicommissis civitatibus relictis, Ulpian. *Fragm. XXII, 5. XXIV, 28.* quod non videtur ab Aproniano diversum*: Schulting. *Jurispr. vet. antejustin. p. 635.* porro de fideicommissis, quod servo cum libertate relinquitur: *l. 83. §. . D. de hered. instit. de adpellatione a Senatu non recipienda: l. 1. §. 2. D. a quib. adpell. non lic.* denique de parte dimidia, iis, qui se ipsi detulissent, ex beneficio Trajani relinquenda. *l. 15. §. 3. D. de jure fisci.*

* Sub Hadriano prodidisse hoc SC. vel inde patet, quod ejus notitiam habuit Julianus *l. 27. pr. D. ad SC. Trebell.* Et sane sub Hadriano, anno ab V. C. DCCCLXX. consul fuit *T. Vipsanius Apronianus*, cujus paullo ante (§. CCLXXXII. *) meminimus, & anno DCCCLXXVI. *C. Ventidius Apronianus*, cujus mentio fit in lapidibus apud Gruter. *Inscr. p. MLXXIX, 10. p. MLXXXII, 16.* a quorum alterutro nomen accipere potuit hoc SC. Nulla saltim ratio est, cur cum τὸ πᾶν Cujacio, in *Not. ad Ulpian. Fragn. XXIV, 28. & in Julianum ad l. 27. D. ad SC. Trebell.* SC. Apronianum sub Marco demum Imp. conditum esse, existimare malimus, quum *l. 20. D. de reb. dub.* non de legatis civitatibus, sed collegiis relictis agat, & his a Marco Imp. concedi potuerit, quod

quod antea ab Hadriano concessum fuerat municipiis. H. Minus accurate auctor *T. Vipsanii Aproniani* Consulatum ad Hadrianum refert. Prodiit enim is Cos. A. C. 117. qui est ultimus Trajani. Vid. Pagius *in Critic. an. cit.* Eam ob causam Bachius *de legib. Trajan. p. 138.* SC. Apronianum, ad Trajanum referri posse censuit, hac in primis ratione inductus, quod jam ante D. Nerva statuerit, *ut civitatibus omnibus, quae sub imperio populi Romani sunt, legari possent.* Sed licet ibidem vir ille doctus copiose & subtiliter disputet, ut tueatur sententiam, ego tamen *Apronianum* SC. cum Schultingio Hadriani imperio, & anno V. C. 876. quo Consulatum, *Ventidius Apronianus* gessit, assignare malo, cum sciam, hunc Imperatorem totius Romani orbis peragrasse provincias, in omnibus fere urbibus aliquid aedificasse, honores municipales, ut singularem testaretur comitatem, gessisse, ludos edidisse, & provincialibus ingentia tribuisse beneficia. Haec, & alia huc pertinentia Spartianus *in Vita* habet. Quis igitur non credat, id quoque beneficii libenter Hadrianum provincialibus concedere voluisse, *ut civitatibus, quarum pleraeque singulari complexus est favore, fideicommissae hereditates restituerentur?* R.

§. CCLXXXIV.

At omnium celeberrima sunt quatuor SCta, SCta Juventiana, *ἀνώρουρον* & Tertulianum. quorum duo IVVENTIANA anno ab V. C. DCCCLXXXII. P. Juventio Celso & Julio Balbo Coss. facta sunt, alterum de accessionibus fructibusque hereditatis, & pecunia, ex hereditate redacta, quod integrum superest *l. 20. §. 6. sequ. l. 25. D. de hered. petit.* * alterum, quo lex Vectibulici, de qua supra, (§. CCLII.) ad provincias est prolata, memoratur *l. ult. C. de serv. reip. manumitt.* Nec praeter-

genuinam eorum speciem in clarissima luce collocemus. Utinam demum colophonem imponere liceret laborioso operi! Sperarem, jurisprudentiae haud parum lucis ex his vigiliis meis accessurum. Sed haec Deo curae erunt. H. Aliter Deo visum est; & quod meditabatur opus elegantissimus Heineccius, perficere, morte praeventus, non potuit. Prodierunt quidem post obitum ejus in lucem publicam adfecti operis schedae: verum eae doctorum hominum desiderio nullo modo satisfacere possunt. R.

§. CCLXXVII.

Quam
mutatio-
nem edi-
ctum per-
petuum
in juris-
prudenti-
ae studio
attulerit?

Neque hic praetermittendum videtur, edictum perpetuum in ipso etiam juris studio mutationem haud exiguam attulisse. Quum enim antea a legibus XII. Tabularum auspiciarentur jurisprudentiam: jam eam ab edicto exordiebantur, si credimus Gothofredo *Man. jur. p. 10.* quod tamen jam Ciceronis temporibus fieri coepisse. jam supra a nobis observatum est. (§. LXXIV. *) Deinde quum antea in libris Sabini, aliorumque jurisconsultorum illustrandis potissimum exercerent ingenium: ex eo tempore ad Edictum plerique scripserunt, ejusque ordinem in operibus suis tantum non omnibus sunt sequuti.* Hub. Giphani. *Oecon. jur. p. 120.* Ev. Otto in *Papiniano XII, 6. p. 259.*

* Sunt, qui & sectas, condito edicto perpetuo, paulatim interiisse existimant. Godefr. Mascov. *de Sect. Sabin. & Procul. Cap. VII.* Sed id non adeo liquido probatur. Quaedam Julianum ex Sabinianorum sententia edixisse, ipsi supra ex *l. 1. §. 1. D. de jur. fisci* ostendimus. (§. CCLXX.) Sed pau-

pauciora haec fortassis fuerunt, quam ut inde sectis immineret periculum. Et fuerunt sane etiam post Hadriani tempora jurisconfulti, alterutri sectae addictiores: adeoque probabilius est, principum interpretationibus ac decisionibus paulatim factum esse, ut Jurisconfulti secum invicem in gratiam redirent. H.

§. CCLXXVIII.

Iisdem temporibus etiam EDICTVM AEDILITIVM perpetuum conditum esse, suspicatur Henr. Dodwellus, sed sine auctore: nec admodum probabilis est haec viri doctissimi divinatio. Primo enim quaedam Edicti Aedilitii capita translata fuerant in edictum perpetuum. *Const. tanta. §. 5. de confirm. Digest. Const. omnem reip. §. 4. ad Antecess.* Cur vero, quaeso, id factum fuisset, si singulare extitisset, aut ex Hadriani sententia conficiendum fuisset edictum Aedilitium perpetuum? * Deinde jam eo tempore evilerat Aedilium curulium jurisdictio, ut de eorum officio nec titulus singularis extet in *Pandectis*, nec liber singularis jurisconfulti ullius extiterit, quum tamen de multo minoribus magistratibus justis libris egerint. Papiniani enim librum ἀστυνομικῶν ad Aediles municipales pertinuisse, observavit V. C. Ev. Otto in *Papinian. Cap. XII. §. 5. p. 253. sequ.*

* Pleraque veteris Edicti Aedilitii capita, quorum supra quaedam ex antiquitatis parietinis eruimus, (§. LXXVII. sequ.) jam illo tempore ab usu recesserant. Tria vero, quae adhuc in foro usum aliquem habebant, (§. LXXVI.) tanti non visa

An & Aedilitium edictum perpetuum extiterit?

sunt Hadriano, ut inde novum systema vel edictum Aedilitium perpetuum contexeret, sed ea edicto praetorio inferi iussit. Hinc quamvis infrequentis saeculi scriptores, CAIVS, VLPIANVS & PAVLLVS *binos* quisque *libros* AD EDICTVM AEDILIVM CVRVLIVM scripserint: in iis tamen non alia, quam quae in *Pandectis* memorantur, capita interpretati sunt, ut facile adpareat, eos non tam ad singulare aliquod edictum aedilitium perpetuum, quam ad titulum edicti perpetui *de Aedilitio edicto*, qui inter postremos edicti erat, scripsisse. Ev. Otto *de tutel. viar. Lib. III. Cap. 2. p. 429. H.*

§. CCLXXIX.

Advocatus fisci institutus, restitutaque jurisconsultis facultas respondendi.

In eo etiam novi quid invexit Hadrianus, quod primus ille FISCO ADVOCATVM dedit. Spartian. *in Hadrian. Cap. XX.* * Idem jurisconsultis pristinam libertatem de jure respondendi restituit. Quae de re Pomponius: *Optimus, inquit, princeps, Hadrianus, quum ab eo viri praetorii peterent, ut sibi liceret respondere, rescripsit iis: hoc non PETI, sed PRAESTARI solere***, & ideo, si quis fiduciam sui haberet, delectari se, populo ad respondendum se praepararet. *l. 2. §. ult. D. de orig. jur.*

* Huc & pertinent illa Spartiani *cap. 22. Quatuor Consulares per omnem Italiam Judices constituit.* Eorum loco M. Antoninus *Juridicos* Italiae praefecit, *Capitolin. in Vit. c. 11.* sed reduxit Constantinus *M. Consulares*, de quibus vide *Notit. Imp. in Not. vicar. urb. Rom. R.*

** Ex his verbis patet, jam paullo ante Hadrianum paullatim exolevisse illud Augusti institutum, de quo supra plura diximus. (§. CLXXVIII. sequ.) At ex intervallo tamen illud multo post Hadrianum

num in usum coepisse revocari, patet exemplo Innocentii, jurisconfulti, apud Eunapium *in vita Chrysanthi init.* sive pag. 187. *Edit. Commelin.* qui respondendi de jure facultatem a principe impetrasse dicitur. A Severi Imp. temporibus id fieri iterum coepisse, suspicatur Henr. Dodwellus *Praelect. Cambden. IX. §. 11. p. 355. H.*

§. CCLXXX.

Frequentius etiam multo, quam antea, **CONSTITUTIONIBVS** nova jura dabat Hadrianus. Quum enim ante eum pleraque principum edicta vel SCtis firmarentur, veluti edictum Augusti de intercessionibus mulierum, *l. 2. D. ad SC. Vellejan.* Tiberii, de iis, qui sibi legatum ipsi adscripserint, Petr. Faber *Semestr. I, 25. p. 143.* Claudii de navi-
culariis apud Sueton. *Claud. Cap. XVIII. sequ. l. 5. §. 3. D. de jure immunit. l. 3. D. de vacat. & excus. mun. juncta l. 3. §. 8. D. de incend. ruin. naufr.* vel ea, quae decreverat Senatus, principum edictis confirmarentur & publicarentur: Tacit. *Annal. VI, 12.* Symmach. *Lib. X. Epist. 21.* Maran. *Paratitl. p. 114.* Ant. Dadin. *Alteferra Recitat. quotid. p. 182.* & V. C. Petr. Burmannus *de vectigal. pop. Rom. Cap. VI. p. 113.* ab Hadriani temporibus principes, nullo adhibito colore, quidquid collibitum, edictis suis constituere coeperunt.*

Quid circa constitutiones innovatum?

* Hadrianus id eo faciebat frequentius, quo rarius toto fere imperii sui tempore Romae erat, quippe per univrsam terrarum orbem peregrinatus. Spartian. *Hadr. Cap. XII.* Hinc & rarius confulebat Senatum, & suo pleraque arbitrio rescriptis

constituebat, adeo, ut ab ejus potissimum temporibus increbuisse videatur paroemia? ἐκεῖ τε ἡ Ρώμη, ὅπου ποί' ἂν ὁ βασιλεὺς ἦ Roma est, ubi Imperator est. Herodian. *Lib. I. Histor. Cap. 6.* H. Ubiunque locorum igitur Princeps consistat, ibi de rebus ad salutem reipublicae, civium, subditorumque pertinentibus, inconsulto Romano Senatu, adhibitis in consilium comitibus, deliberare atque statuere potest. Vides *Consistorii*, atque *Comitum Consistorianorum* originem. Qui enim primis monarchiae Romanae temporibus, *amici, comites, consilarii Principis*, dicti sunt, hos, aetate sequiore, *Comites Consistorianos* nominarunt. De his vide Salmasium *ad Spartiani Hadrian. c. 18. ad Trebell. Pollion. Macrian. c. 11.* & Gothofredum *in Commentar. ad leg. un. C. de Comit. Consistoriaz.* Bene legitur in Glossis Nomicis: Κομιστόριον βασιλικὸν συνέσειον. In eo *Comites Consistoriani*, devotionis testandae causa, plerumque stabant, solo sedente Principe. Vid. *Commentar. ad leg. 5. Cod. Theodos. de fide test.* & Du Fresne *Glossar. voc. consistorium.* Sed hoc notatu dignum est, in principis consistorio numerata suffragia, & si aequalia essent, reum absolutum fuisse. Est elegans hac de re locus apud Julianum in Encomio Eusebiae, sive *Orat. III. pag. 115. Edit. Spanhem.* Postquam enim retulisset, Athenis olim, si par reo cum accusatore suffragiorum numerus esset, tum Minervae suffragio ei, qui condemnandus erat, adjuncto, utrumque ab omni crimine liberatum esse; hanc suffragiorum aequalium legem, in Consistorio Principis non servari modo, dicit, sed Eusebiam Augustam, tanquam alteram Minervam, sua intercessione, eam multo benigniorem etiam reddere. Τετον δὴ φιλάθρωνπαν ὄντα, ἔ χαρίεντα τὸν νόμον ἐπὶ τῶν δικῶν, ἃς βασιλεὺς κείνη, σωζόμενον πρῶτον αὐτῆ καθίστησιν. ἔ γδ' ἂν ὁ φεύγων παρ' ὀλίγον ἔλθῃ τῶ ἴσῳ ἐν ταῖς ψήφοις λαχεῖν, πείθῃ τῶ ὑπὲρ αὐτῆ δέησιν προσθεῖσα, κὶ ἰκέλη-εῖαν,

*εἶαν, ἀφεῖναι πάντως τὰς αἰτίας. Hanc perhumanam suavemque legem, quae IN IIS IVDICIIS retinetur, de quibus IMPERATOR COGNOSCIT, multo illa (Eusebia) mitiorem ac benigniorem facit. Nam ubi reus ipse NON PAREM omnino suffragiorum numerum sortitus est, tum illa precibus suis interpositis, apud eum efficit, ut omnibus illum criminibus absolvat. Ad hoc Principis consistorium, in quo is cum amicis deliberabat tractabatque, pertinet etiam l. 17. D. de jure patronatus, quam ad disputationes forenses, viri docti, & in his Heineccius quoque (§. 52. *supr.* ubi tamen consulto eam expunxi) inepte referunt. En! verba ex rescripto Divorum fratrum: Sed cum & ipso Maeciano, & aliis AMICIS nostris Jurisperitis adhibitis, plenius tractavimus; magis visum est, nepotem non excludi a bonis aviti liberti. R.*

§. CCLXXXI.

Itaque Hadrianus non modo, ut utamur verbis Tertulliani *Apologet. Cap. IV.* quotidie totam illam veterem ac squallentem silvam legum novis principalium rescriptorum & edictorum securibus rustabat, caedebatque: sed & nova constituebat jura, veluti de acquisitione thesauri, Spartian. *Hadr. Cap. XVIII.* §. 39. *Inst. de rer. divis.* de bonis damnatorum, Spartian. *ibid.* & l. 2. l. 6. l. 7. §. 3. D. de bon. damnat. de alimentis legatis, l. 14. §. 1. D. de alim. & cib. leg. Em. Merill. *Obs. III*, 16. de tempore partus, Gell. *Noct. Attic. III*, 16. de beneficio divisionis inter plures confidejussores*, l. 26. *sequ. D. de fidejuss.* de muliere vulgari & quaestuarialia a milite herede non instituenda, l. 41. §. 1. D. de test. mil. de iis, qui testari aliquem pro-

Nova jura ab Hadriano constituta.

hibuerint, hereditate a fisco privandis, *l. 1. pr. D. si quis aliqui test. prob. de possessione ventri danda, l. 1. §. 14. D. de ventr. in poss. mitt. de funeribus & sepulcris, l. 3. §. 5. D. de sepulcr. viol. l. 37. §. 1. D. de religios. de poena perpetui carceris non irroganda, l. 35. D. de poen. de iis, qui spadones, vel thlibias faciunt, puniendis, l. 4. §. 2. l. 5. D. ad legem Cornel. de sicar. de parricidiis, l. 9. pr. D. ad leg. Pompej. de parricid. de termino moto, l. 2. D. de term. mot. aliisque juris capitibus, de quibus accuratius Ren. Bottereau in Hadriano legislatore.*

* Hoc jus epistola D. Hadriani invecum esse, satis patet ex §. 4. *Inst. de fidejuss. l. 26. D. eod. & l. ult. C. de constit. pec.* Vix autem prodierat illa Epistola, quum in edictum perpetuum referretur a Juliano. *Paull. Recept. Sent. I, 20.* Ut mirum non sit beneficium hoc divisionis ex edicto repeti a Paulo, quod alioquin ex Epistola Hadriani profectum dicitur. Miramur ergo, Cujacium ejus auctorem facere Antoninum Pium, quum fieri non possit, ut ab Antonino sit, quod jam in Edicto perpetuo locum invenit. Neque Cujacio suffragatur *l. 49. §. 1. D. de fidejuss.* ubi Antoninus non jus novum constituit, sed jam constitutum certae speciei adplicat. H.

§. CCLXXXII.

Ejus decreta, interloquutiones, dicta.

Sed & DECRETORVM Hadriani passim fit mentio: *l. 28. D. de inoffic. test. l. 23. §. 2. D. de liberal. causis.* & INTERLOQUVTIONES ejusdem plures complectitur Dosithei, grammatici Graeci elegans *Sententiarum & Epistolarum* libellus, editus a Melch. Goldasto, ac deinde

deinde ab Ant. Schultingio *Jurisprudentiae veteri antejustinianae* insertus p. 855. *sequ.* EDICTA denique notanda sunt complura, veluti illud, quod singulari constitutione abolevit Justinianus l. 3. C. de edicto D. Hadr. toll. de quo accurate Jac. Cujacius in *Paratitl. Cod. b. t.* nec non de direptione navium, l. 7. D. de incend. ruin. naufr. & de poena eorum, qui relegati vel ante tempus redierint, vel excefferint insula, vel deportati evaserint*: l. 28. §. 13. D. de poen. denique de masculorum feminarumque lavacris separandis. Spartian. in *Hadrian. Cap. XVIII.*

* Deportati in insulam fuerant suspecti de imperio Laberius Maximus & Frugi Crassus. Et quamvis Hadrianus primis statim imperii diebus per epistolas esset admonitus a Tatiano, ut homines occideret: tantum tamen erat clementiae studium, ut neutrum eorum laederet. Crassum tamen postea egressum insula, Caesaris procurator, dubium an jussu domini, occiderat. Spartian. *Hadr. Cap. V.* id occasionem dedisse huic edicto, quo relegatis, si insula excefferit, deportari, deportatus capitis damnari jubetur, conjicit Ren. Botte-reau in *Hadriano legislat. p. 138.* qui hoc edictum anno ab V. C. DCCCLXX. T. Vipsanio & Aproniano Coss. prodiiisse existimat. Ubi obiter mone-mus, Coss. eo anno non fuisse T. Vipsanium & Apronianum, sed T. Vipsanium Apronianum & Quinctium Nigrum. Gruter. *Inscr. p. DLXXVIII,* 1. p. MVIII, 7. MIX. 2. H.

§. CCLXXXIII.

Neque tamen nulla sub Hadriano facta sunt Senatus-
 SENATVSCONSVLTA. Ut enim jam consulta
 Aa § non sub Ha-

driano
facta.

non dicam de illo , quo anno V. C. DCCCLXXXV. edictum perpetuum firmatum esse , monuimus : (§. CCLXXI.) passim commemorantur & alia, veluti factum anno V. C. DCCCLXXIX. Neratio Prisco & Annio Vero Coss. de eo, qui servum castrandum dederit: *l. 6. D. ad leg. Cornel. de sicar. nec non aliud de agnoscendo partu: l. 3. §. 1. D. de agnose. & al. lib.* itemque de legatis vel fideicommissis civitatibus relictis, Ulpian. *Fragm. XXII, 5. XXIV, 28.* quod non videtur ab Aproniano diversum*: Schulting. *Jurispr. vet. antejustin. p. 635.* porro de fideicommissio quod servo cum libertate relinquitur: *l. 83. §. . D. de hered. instit. de adpellatione a Senatu non recipienda: l. 1. §. 2. D. a quib. adpell. non lic.* denique de parte dimidia, iis, qui se ipsi detulissent, ex beneficio Trajani relinquenda. *l. 15. §. 3. D. de jure fisci.*

* Sub Hadriano prodierit hoc SC. vel inde patet, quod ejus notitiam habuit Julianus *l. 27. pr. D. ad SC. Trebell.* Et sane sub Hadriano, anno ab V. C. DCCCLXX. consul fuit *T. Vipsanius Apronianus*, cujus paullo ante (§. CCLXXXII. *) meminimus, & anno DCCCLXXVI. *C. Ventidius Apronianus*, cujus mentio fit in lapidibus apud Gruter. *Inscr. p. MLXXIX, 10. p. MLXXXII, 16.* a quorum alterutro nomen accipere potuit hoc SC. Nulla saltim ratio est, cur cum τὸ πᾶν Cujacio, in *Not. ad Ulpian. Fragma. XXIV, 28. & in Julianum ad l. 27. D. ad SC. Trebell.* SC. Apronianum sub Marco demum Imp. conditum esse, existimare malimus, quum *l. 20. D. de reb. dub.* non de legatis civitatibus, sed collegiis relictis agat, & his a Marco Imp. concedi potuerit, quod

quod antea ab Hadriano concessum fuerat municipiis. H. Minus accurate auctor *T. Vipsanii Aproniani* Consulatum ad Hadrianum refert. Prodiit enim is Cos. A. C. 117. qui est ultimus Trajani. Vid. Pagius *in Critic. az. cit.* Eam ob causam Bachius *de legib. Trajan. p. 138.* SC. Apronianum, ad Trajanum referri posse censuit, hac in primis ratione inductus, quod jam ante D. Nerva statuerit, *ut civitatibus omnibus, quae sub imperio populi Romani sunt, legari possent.* Sed licet ibidem vir ille doctus copiose & subtiliter disputet, ut tueatur sententiam, ego tamen *Apronianum* SC. cum Schultingio Hadriani imperio, & anno V. C. 876. quo Consulatum, *Ventidius Apronianus* gessit, assignare malo, cum sciam, hunc Imperatorem totius Romani orbis peragrasse provincias, in omnibus fere urbibus aliquid aedificasse, honores municipales, ut singularem testaretur comitatem, gessisse, ludos edidisse, & provincialibus ingentia tribuisse beneficia. Haec, & alia huc pertinentia Spartianus *in Vita* habet. Quis igitur non credat, id quoque beneficii libenter Hadrianum provincialibus concedere voluisse, *ut civitatibus, quarum pleraeque singulari complexus est favore, fideicommissae hereditates restituerentur?* R.

§. CCLXXXIV.

At omnium celeberrima sunt quatuor SCta, quorum duo IVVENTIANA anno ab V. C. DCCCLXXXII. P. Juventio Celso & Julio Balbo Coss. facta sunt, alterum de accessionibus fructibusque hereditatis, & pecunia, ex hereditate redacta, quod integrum superest *l. 20. §. 6. sequ. l. 25. D. de hered. petit.* * alterum, quo lex Vectibulici, de qua supra, (§. CCLII.) ad provincias est prolata, memoratur *l. ult. C. de serv. reip. manumitt.* Nec praeter-

SCta Ju-
ventiana,
ἀνώρουρον
& Tertul-
lianum.

praetermittendum SC. quo uxoris, civis Romanae partus civis Rom. declaratur, apud Ulpian. *Fragm. III, 3.* & TERTULLIANVM, quo mater ingenua, trium; libertina quatuor liberorum jus habens, ad bona liberorum ab intestato vocatur. Id enim sub Hadriano factum esse, docemur §. 2. *Inst. de SC. Tertull.* Cujacii vero dissentientis sententiam discussimus in *Antiqu. Rom. III, 3. p. 28.*

* Quantivis pretii est hoc SC. ex quo adparet, qualis eorum forma sub Hadriano fuerit. Sed quaedam tamen in mendo videntur cubare, in primis Imperatoris titulus, quem jam emendare coepit Petrus Pithoeus *Advers. II, 15.* De consulibus, qui ibi memorantur, vid. Henr. Noris. *de Epoch. Syro-Maced. p. 498.* Libelli, seu orationis huic SC. praemissae pars quaedam superest in *l. 22. & l. 40. pr. D. de hered. petit.* Denique notandum, IVNII RVSTICI, cujus distracta hereditas huic SC. occasionem dedit, integrum stemma genealogicum nos supra (§. CCXXXIX. *) exhibuisse. Non potest autem ille esse alius, quam aliquis fratrum, quibus rhetorem invenire rogatus est Plinius *Lib. II. Epist. 18. H.*

§. CCLXXXV.

Jurifcon-
sulti sub
Hadria-
no, Pri-
scus Javo-
lenus.

Progredimur ad illorum temporum IVRISCONSULTOS, inter quos PRISCVS IAVOLENVS* primum omnino locum meretur, in eo felix, quod laudum suarum praecone, simulque vindicem reperit V. C. Gottl. Aug. Jenichen, cujus *de Prisco Javolena* Dissertatio prodiit *Lipf. MDCCXXXIV.* Fuit Coelii Sabini auditor, dignusque in schola Sabini-

Sabiniana successor, l. 2. §. 47. *D. de orig. jur.* quamvis & ipse aliquando a Cassio Longino diffentiat, l. 54. pr. *D. de condit. & demonstr.* l. 39. *D. de statulib.* & aliquando Labeonis & Proculi sententiam amplectatur. l. 57. *D. loc. cond.* l. 32. pr. *D. de pact. dot.* l. 90. pr. *D. de furt.* l. 11. *D. de hered. instit.* l. 64. *D. de donat. inter vir. & ux.* l. 62. pr. *D. de acquir. vel amitt. hered.* Quanto cum plausu docuerit jurisprudentiam, vel id argumento est, quod tria eximia ingenia Salvii Juliani, Aburni Valentis & Tusciani se ab illo potissimum formata perpolitaeque esse gloriarentur. l. 2. §. ult. *D. de orig. jur.*

* *Prisci* cognomen noster cum Neratiis, Fulciniis, Flaviis, Aeliis, Corneliis, Lutoriis, aliisque commune habuit, pluresque Priscos ea, qua est diligentia, ex vetustis monumentis collegit laudatus Jenichen §. II. p. 7. 8. Non aequè obvium *Javolenorum*, vel, ut in Pandectis Florentinis scibitur, *Jabolenorum* nomen. Aliquorum tamen notitiam ex Gruteri *Inscr.* p. XLVIII, p. LIII, 15. p. DCCXC, 1. & Thom. Reines. *Inscript. Class.* XIV, 194. dedit idem §. III. p. 9. Dicti sunt, si quid video, $\delta\pi\epsilon\ \&\ \iota\alpha\upsilon\epsilon\upsilon$, a commorando, unde $\iota\alpha\upsilon\theta\mu\delta\varsigma$, *diversorium*, *commoratio*. Potuit inde formari *Javolus*, & ex hoc *Javolenus*, quemadmodum ex Octavio *Octavennus*. H. Si Heineccius docuisset, *Javolenum* apud Graecos natum, aut majores ejus Graecos fuisse, forte melius conjicere potuisset. Sed quid est *Javolus*? vox profecto sensum non habens. R.

§. CCLXXXVI.

Honores eum gessisse, dubitare nos non patitur Julianus, qui eum ex praetura Africam

Ejus honores & aetas.

cam & Syriam rexisse, & feros apud se ipsum manumississe testatur. *l. 5. D. de manum. vind.* Postea & de jure respondit diligentissime, & consiliis adhibitus est, ipso fatente Plinio *Lib. VI. Epist. 15.* qui tamen illi iniquior, eum senem dubiae sanitate fuisse, scribit. * Decessit vel extremis Trajani, vel primis Hadriani annis. Saltim non verosimile est, eum ad Antonini tempora vitam produxisse, quod tamen decepto loco corrupto Julii Capitolini *in Antonino Pio Cap. XII.* colligunt Rutil. *in vit. jurisc. Cap. LVII. §. 1.* Bertrand. *in vit. Lib. II. Cap. 9. §. 1.* Rupertus *ad Enchirid. Pomp. Lib. III. Cap. 13. sect. 4.*

* Ab hac injuria Javolenum erudite vindicavit V. C. Gottl. Aug. Jenichen, *Diss. de Javoleno Prisco §. XII. p. 23. sequ.* ubi miratur vir mei amantissimus, me hanc calumniam in historia juris paullo timidius profligasse. Sed id feceram apertius, antequam illa historia juris prodidisset in *Diss. de Salvio Juliano*, ubi p. 801. *Syloges opusc.* ita scripseramus: *Plinius refert, Passienum Pautlum, elegos recitaturum, adhibuisse etiam Priscum Javolenum. Hunc vero honoris causa interrogatum: PRISCE, IVBES? respondisse: EGO VERO NON IVBEO. Male id habuit Plinium, qui ideo in Javolenum invehit: Cogita, inquit, qui risus hominum? qui joci? Est omnino Priscus dubiae sanitate. Interest tamen officii, adhibetur consiliis, atque etiam jus civile publice respondet, quo magis, quod tum fecit, ridiculum & notabile fuit. Ob id parum abest, quin bonum Javolenum pro insano traducant. At quid, quaeso, stoliditatis inest illi Javoleni dicto? Et quid mirum, si senex occupatissimus, pertaesius molestissimi istius officii, recitationes frigidissimas audiendi, Passieni*
insa-

insaniam senili dilacitate perstrinxerit, quam non minore libertate multo ante perstrinxerat Juvenalis Sat. I. v. 2. *sequ. III, v. 8.* Magnam ergo gratiam a nobis iniit doctissimis *βίολογ. φ. 6*, quod hanc sententiam nostram pluribus argumentis stabilivit, caussamque, cur Plinio acuto hoc dicto bilem moverit Javolenus noster, perspicue ostendit. H. De loco Plinii jam olim scripsit quaedam Franciscus Sarmiento, Jctus Hispanus, *Lib. II. Selection. c. 1. n. 4.* quem laudat Delrio ad Senecae *Medeam pag. 113.* Mihi persuasum est, eos, qui auctores Latinos interpretari possunt, verba Plinii non aliter esse intellecturos, quam ita, ut Priscus tunc temporis, per intervalla quaedam, optima ratione usus non sit. In primis enim penfitanda sunt haec Plinii: *tam sollicitè recitaturis providendum est non solum, ut sint ipsi sani, verum etiam ut sanos adhibeant.* R.

§. CCLXXXVII.

Scripsit EX CASSIO *libros XV.* in quibus Eiusdem plerasque magni hujus scholae suae auctoris scripta. sententias partim mascule defendit, partim mitigavit, *l. 21. §. 2. D. de acquir. vel amitt. poss. l. 36. §. 2. D. mand. vel,* quo erat candore animi, refellit, *l. 54. pr. D. de condit. & demonstr.* EPISTOLARVM *libros XIV.* AD PLAUTIVM *libros V.* in quibus eum verba Plautii fere integra retulisse, & raro, praeterquam in *l. 34. D. de stipul. servor.* iudicium suum interposuisse, observant. Denique *libros EX POSTERIORIBVS LABEONIS & LIBRORVM LABEONIS* epitomen; quae opera quomodo distinguenda sint, ostendit jam Em. Merill. *Observ. V, 38.*

§. CCLXXXVIII,

§. CCLXXXVIII.

Salvius
Julianus.

De SALVIO IULIANO, celeberrimo horum temporum jurisconsulto nuper singulari dissertatione egimus. Fuit is non Mediolanensis, Insuber, sed Hadrumetinus Afer: Spartian. *Julian. Cap. I.* Floruit sub Hadriano, Pio & Divis, quos vocant, fratribus, a quibus amicus vocatur, *l. 17. D. de jure patron. & Sabinianorum* post Javolenum duxit familiam. Non modo praeturam, sed & bis consulatum & praeterea praefecturam urbi gessit, Spartian. *ibid. l. 5. D. de manum. vind.* & in omnium, sub quibus floruit, principum consilio fuit. Spartian. *Hadrian. Cap. XVIII.* Jul. Capitolin. *Antonin. Cap. XII. l. 17. D. de jure patron.* Posterus ejus, inter quos & Didius Julianus, Augustus, in tabula genealogica* exhibuimus in *Diss. de Salvio Juliano. p. 794.*

* Tale schema genealogicum primus confecit Isaac. Casaubonus *Not. ad Histor. Aug. p. 110. Edit. Paris.* postea id lapidum auxilio emendavit Thom. Reines. *Var. Lect. Lib. III. Cap. 2. p. 34.* ab eoque acceptum *Adnotationibus suis ad Pompon. Enchirid. p. 473.* inseruit Rupertus. Quum vero & in hoc permulta vel perperam dicta, vel omissa esse, in eadem *dissertatione p. 793.* ostenderit: plenior & accuratior tabulam & nos concinnare ausi sumus, quam hoc loco etiam existare operae pretium fuerit: (✕)

§. CCLXXXIX.

Ejus scri-
pta.

Praeter edictum perpetuum, cujus illum conditorem fuisse, paullo ante diximus, scripsit *libros XC.** DIGESTORUM, ad Edicti perpetui

DIDIVS SEVE-
RVS Infuber Me-
diolanensis.

SALVIVS IVLIANVS Hadrumeti-
nus, Afer, JC. bis Cof. & Praef. urbi:
Edicti perpetui conditor.

DIDIVS SEVE-
RVS.

M. SALVIVS IVLIANVS, Dioni-
male Σεβαστῶ, Cof. anno V. C. 928.
Praefectus praetorio, occifus a Com-
modo circa ann. V. C. 941.

L. VIBI-
VS VA-
RVS.

NV-
MI-
VS. VIBIA
SALVI-
A VA-
RA, de
qua Gru-
ter. p. 459,
2.

PETRONIVS
DIDIVS.

AEMILIA
CLARA.

SALVIVS IVLI-
ANVS, cujus pu-
dicitiae infidias
fruxit Commo-
dus, cui despon-
fata fuerat Tar-
runteii Paterni,
JC. & Praef. prae-
torio filia.

M. NV-
MIVS
ALBI-
NVS
bis Con-
ful anno 999. &
1016. Praef. urbi
1009.

L. DIDIVS PRO-
CVLVS ob adopti-
onem ROSCIVS.
Gruter. p. 459, 2.

M. DIDIVS SALVIVS
IVLIANVS SEVE-
RVS Aug. natus anno
V. C. 890. ad imperium
evectus, in eoque occi-
fus anno 945.

Vxor MANLIA
SCANTILLA.

NVMIVS SE-
CVNDVS. Re-
nes. *Inscr. Class.*
VI, 132.

PROCV-
LVS RO-
SCIVS
IVLIA-
NVS, de
quo Grut.
p. XVIII,
10.

Filii, de
quibus i-
dem mar-
mor.

BASSA,
de qua
marmor
apud
Gruter.
p. XVIII,
2.

Filii, de
quibus
idem
marmor.

DIDIA CLARA Aug.
destinata Diddi Proculi
filio, nupta Cornelio
Repentino, Praefecto
urbi.

petui feriem compositos, & notis illustratos ab Ulpio Marcello, Cervidio Scaevola, Julio Paulo, & Junio Mauriciano, quibus Africanum, licet parum accurate, junxit Guil. Grot. *de vit. jurisc.* II, 6. deinde *libros VI. AD MINVICIVM, libros IV. AD VRSEIVM FEROCEM, librum singularem DE AMBIGVITATIBVS*, Stoicorum exemplo scriptum, quorum multos extitisse libros *περὶ τῶν ἀπόρων & περὶ ἀμφιβολιῶν*, patet ex Diog. Laërt. VII, 178. & 193. Quos vero Bertrandus addidit *libros AD EDICTVM & DE DOTALI PRAEDIO*, eos numquam extitisse probavimus in *Diss. de Salvio Julianop.* 808.

- * Equidem librum XCIV. DIGESTORVM laudari videmus *l. 32. D. de legib.* Sed in Codice Florentino scriptum fuisse *libr. LXXXIV.* quartumque X ab alia manu accessisse, *αυτοπτης* testatur V. C. Theodor. Laur. Gronovius *de Emendat. pandect.* Cap. XXV. p. 70. 71. Errant igitur, qui cum Haloandro, Bertrando, & Angelo Politiano opus hoc libris vel XCIX. vel C. constituisse putant: quod & Hub. Giphanium *in Oecon. jur.* p. 128. suspicatum esse animadverto. H.

§. CCXC.

ABVRNVS (non ALBVRNIVS, ABVRBINVS, EBVRNIVS, Bynkersh. *Praetermiss.* p. 96.) VALENS, Juliano *σύγχροτος* Ⓞ, & cum illo in Antonini Pii consilio fuit. Julius Capitolin. *in Antonino Cap. XII.* ex quo loco simul colligimus eum Juliano paullo fuisse juniorem, quippe cujus etiam auctoritate utitur. *l. 33. D. de minor.* Scripsit *libros VII. FIDEI-*

Aburnus
Valens &
Tuscianus.

COMMISSORVM, totidemque saltim, si non plures, ACTIONVM. Sabinianis eum accenset Mascov. *de Sect. Sabin. & Proculj. 11, 5, 3. p. 53.* quippe Javoleni discipulum. Jungimus illi condiscipulum TVSCIANNVM, de quo omnia incerta sunt, quia ejus praeter Pomponium *l. 2. §. ult. D. de orig. jur. veterum* nemo omnino meminit. *

* Refertur a Pomponio inter Javoleni successores, adeoque procul dubio Sabinianus fuit. Quum vero nec *Tuscianni*, nec librorum ejus usquam fiat mentio: fuerunt qui nomen ei mutarent, & pro *Tuscianno* modo *Fuscianum*, modo *Maecianum*, modo *Vivianum* vocarent. At probum est nomen, & vere Romanum, ceu patet ex *l. 18. D. mand.* Si quid mutandum esse existimarem, latere sub hoc nomine crederem *Fuscium Fuscianum*, Numidiae Legatum, cui rescripsit Antoninus Imp. *l. 7. D. de legat. praest. H. Tuscianni* nomen Romanum esse non negaverim: sed frustra id quaeres *d. l. 18. D. mandut.* Augustinus *de nominib. propr. Pand. pag. 240. Tom. I. Thesaur. Jur.* scribit, nullam ejus fieri in Digestis mentionem. R.

§. CCXCI.

Status juris sub Antonino Pio. Ejus constitutiones.

Progredimur ad ANTONINVM Imp. sub quo eadem omnia, ac sub Hadriano, observamus. RESCRIPTA ejus in *Pandectis* aequae, ac *Codice* tam multa laudantur, ut eorum recensum instituere, taediosum videretur. DECRETORVM exempla sunt in *l. 3. D. de his, quae in testam. del. l. 35. D. ad SC. Trebell. l. 1. §. 3. D. de liber. exhib.* quorum primum vel ideo maxime notabile est, quod in

eo ipsa sententiae verba servata animadvertimus. Denique nec EDICTA desunt, quippe quorum vestigia exstant in l. 6. § 2. D. ad leg. Jul. peculat. l. 11. pr. D. de mun. & bon.

§. CCXCII.

Quumque, *imperatorum fastigium eum ad summam civilitatem deduxisse*, testetur Jul. Capitolin. in Antonino Cap. VI. non dubitamus, quin & Senatam consuluerit de rebus praecipuis, adeoque & SCta sub eo condita sint, quamvis eorum hodie vix exstet memoria. TERTULLIANVM enim & APRONIANVM, quae sub Antonino Pio condita esse putat Cujacius, * ad Hadriani potius tempora referenda esse ostendimus. Quid? quod jam paullo rarius Imperatores jura nova hoc ritu constituere coepisse videantur, facilius id per edicta fieri, experientia jam pridem edocti.

An & SCta sub eo condita?

* Multa, quae Hadriano debent originem, Antonino Pio tribuere solet Cujacius, eo obtentu, quod & Pius adoptionis jure Hadriani nomen tulerit. Id quod quidem verissimum est, quum in vetustis monumentis saepe legamus: IMP. CAES. D. HADRIANI F. T. AELIVS HADRIANVS ANTONINVS PIVS AVG. Reines. *Inscrip.* II, 9. 10. 11. 75. III, 21. *sequ.* Sed vix tamen reperies exemplum, ut simplex Hadriani nomen Antonino detur: adeoque vix huic observationi locus esse videtur, sicubi aliquid Hadriano sine addito tribuitur. H.

Everard. Otto V. C. *praefat.* Tom. I. *Thestaur. Jur.* pag. 30. observat, saepe in Digestis alio in loco *Hadrianum*, alio vero, *Pium*, idem rescriptisse, dici. Vid. leges ab eo productas. Negari

quidem non potest, *Antoninum Pium* in lapidibus *Hadrianum* dici; at enim vero, cum fieri vix potuerit, ut Jurisconfulti in tantam prolaberentur confusionem, melius ita pronuntiabimus, id, quod ab Hadriano fuerat introductum, a Pio deinde, aut extensum, aut restrictum, aut diligentius constitutum fuisse. R.

§. CCXCIII.

Jura nova
ab eo in-
vecta.

Ceterum *multa Antoninum de jure sanxisse*, observat Jul. Capitolin. in *Antonino Cap. XII.* eoque refert, *quod mortuos intra urbem sepeliri vetuerit*; quod tamen jam Hadrianum sanxisse novimus: *l. 3. §. 5. D. de sepulcr. violat.* Adde, quod primus arrogationem impuberum certis conditionibus concessit. Ulpian. *Fragm. VIII, 5. §. 3. Inst. de adopt. l. 17. D. l. 2. C. eod.* quod actionem subsidiariam ab Hadriano adversus magistratus datam, & adversus eorum heredes dedit: *l. 6. D. de magistr. conven.* quod inter personas conjunctas donationem & sine mancipatione valere voluit, quam alioquin lex Cincia requirebat: *l. 4. C. Theod. de donat. Paull. Recept. Sent. IV, 1, 11. Brummer. de lege Cinc. XV, 2. sequ. p. 251. seq.* quod donatorem ultra vetuit conveniri, quam quantum facere posset: *l. 20. l. 41. §. ult. D. de re judic. l. 28. D. de reg. jur.* denique quod donationes inter virum & uxorem, constante matrimonio honoris causa factas, sustinuerit. * *l. 42. D. de donat. inter vir. & uxor. & hujus generis alia.*

* Quamvis enim alioquin certum sit, SC. de donationibus inter virum & uxorem prohibendis de-

mum sub Antonino Caracalla factum esse: l. 3. pr. D. de donat. inter vir. § ix. aetas tamen Caji, cujus est fragmentum istud l. 42. D. eod. vix patitur, ut in ea Antoninum Caracallam intelligamus. Sed salva res est. Et ante Caracallam irritas visas esse donationes istas, ex ipsa hujus principis oratione intelligimus. l. 3. pr. D. eod. H.

§. CCXCIV.

Addo, Antonini Pii temporibus, LEGEM RHODIAM in orbe Romano tantae fuisse auctoritatis, ut Eudaemoni Nicomediensi, direptum se a publicanis, querenti rescripserit princeps: Εγὼ μὲν τῷ κόσμῳ κύριος, ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης: τῷ νόμῳ τῶν Ῥοδίων κρινέσθω τῷ ναυτικῷ, ἐν οἷς μή τις τῶν ἡμετέρων αὐτῷ νόμῳ ἐναντιῆται: Ego quidem mundi dominus: lex autem maris. Lege id Rhodia, quae de rebus nauticis praescripta est, judicetur, quatenus nulla nostrarum legum adversatur. l. 9. D. de lege Rhod. de jactu. ad quam legem multa egregia scripserunt cum alii, tum FRANC. BALDVINVS, JAC. GOTHOFREDVS & CORN. VAN BYNKERSHOEK.

Ejus rescriptum de lege Rhodia.

§. CCXCV.

Exstat eo pertinens Graeca legum nauticarum farrago, apud Leunclav. *Jur. Graeco-Rom. Tomo II. p. 265.* Ex ejus praefatione vel auctoritate, uti ibi vocatur, Jac. Gothofredus *Dissert. de imperio mar. Cap. VIII. p. 45.* probare nititur, legem Rhodiam primum sub Claudio, anno V. C. DCCCVI. Q. Aterio Antonino & D. Junio Silano Coss. receptam; de-

Quid de legibus Rhodiis hodie exstantibus sit sentiendum.

inde a Vespasiano, Trajano, Antonino Pio, quin & postea a Pertinace & Severo, Imperatoribus firmatam esse. Enimvero ut ipsam congeriem illam, quae legum Rhodiarum nomine superbit, esurientis cujusdam Graeculi commentum esse praeclare demonstravit V. A. Corn. van Bynkersh. *ad l. ἀξιωματικῆς Cap. V.* ita & nullius fidei est, quae illi praemittitur, auctoritas. *

* Primum ei historia refragatur. Auctoritatis enim illius auctor. legem Rhodiam receptam esse scribit sub Tiberio Claudio *ἑξαρχικῆ ἐξουσίας*. *Tribuniciae potestatis anno XXXII.* At sive Tiberium Imp. intelligas, sub eo nullum reperies Antoninum Cos. sive Claudium, hic vix ad annum XIV. tribuniciae potestatis vitam produxit. Deinde manifestum est, auctorem istius auctoritatis, quisquis fuerit, pleraque exscripsisse ex *l. 9. D. ad leg. Rhod.* idque tam imprudenter fecisse, ut ne glossema quidem illud: *τέτο δὲ αὐτὸ ἐβ. ἰοῦα* *Ἄυγστὸς ἐκελευεν* *Hoc ipsum & D. Augustus constituit*, omiserit. Fucum ergo fecit viris doctis, quisquis illas leges nauticas in lucem protrulit, mirumque est, Jac. Gothofredum, cui alioquin nasus rhinocerotis erat, id non olfecisse. H.

§. CCXCVI.

Lex Rhodia quae & quo tempore Romanis recepta?

Quidquid ergo de lege RHODIA pro certo adfirmari potest, eo redit Rhodii, *populus nauticus*, teste Floro II, 7. & diu *θαλασσοκρατῶν*, seu *maris dominus*, uti observat Eusebius in *Chron. n. MC. pag. 36. Thesaur. temp. Scaliger.* leges de rebus nauticis tulerat aequissimas, adeo, ut & Cic. *pro lege Manil. Cap. XVIII.* eas mirifice laudet, & *θαυμαστὴν ἐνομίαν* *ἐπὶ τὰ ναυτικά,*

ναυτικά, admirandam legum optimarum circa rem nauticam constitutionem, maxime miretur Strabo Geogr. Lib. XIV. pag. 964. Edit. Almeloveen. Ex his Rhodiorum legibus non omnia, sed caput de jactu*, receperant Romani, & quidem non demum sub Claudio, sed ante ipsius Augusti imperium, siquidem non modo OFILIVS, LABEO & SABINVS, sed & SER. SVLPICIVS, qui libertati patriae non fuit superstes, secundum legem Rhodiam de jactu responderunt, eamque suo more illustrarunt. l. 2. pr. §. 3. l. 4. pr. & §. 1. D. ad leg. Rhod. de jact.

* Hinc nec in *Pandectis* fragmenta ulla, nisi quae ad hoc caput pertinent, occurrunt: nec Paullus *Recept. Sent. II*, 7. ubi ex instituto legem Rhodiam interpretatur, de re alia, quam de jactu disputat. Attamen & de exercitoria actione quaedam ex lege Rhodia in *Pandectas* translata & a Romanis adoptata esse suspicatur Nic. Rigalt. *Observ. ad Tertull. adv. Marcion. Lib. III. Cap. 6. p. 99.* Cujus tamen conjecturae suae, quas ille rationes habuerit, scire me fateor juxta cum ignarissimis. H.

§. CCXCVII.

Ab Antonini Pii excessu primum MARCVS & LVCIVS Caesares, qui in jure nostro DIVI FRATRES appellantur, postea superstes M. AVRELIVS ANTONINVS ob philosophiae studium celeberrimus, * solus, ac demum idem cum COMMODO filio imperavit. Hoc quoque tempore constitutiones fere innumerae prodierunt, in *Pandectis* aequae

Status juris sub Marco Aurelio Antonino Imp.

ac *Codice* vel *superstites*, vel *laudatae*, quas illustravit vir clarissimus, cui ego olim in cathedra Franequerana successi, IO. ORTW. WESTENBERGIUS in Commentario, quem D. Marcum inscripsit, ediditque *Lugd. Bat. MDCCXXXVI.* 4 Nos quae tunc in jurisprudentia novata sunt, paucis confectabimur.

* Non minus tamen jurisprudentiam, quam philosophiam excoluerat princeps optimus, de quo Julius Capitolinus in *Marco Cap. III. Studuit* ξ *juri, audiens L. Volusium Maecianum, tantumque operis* ξ *laboris studiis impendit, ut corpus adficeret, atque in hoc solo pueritia ejus reprehenderetur.* Et hunc Maecianum, praeceptorem, (non Marcianum,) ipse celebrare videtur *libro I. ad seipf. §. 6.* Non mirum ergo, principem in jure constituendo, emendando, dicundoque sagacissimum fuisse, quum non ab unius alteriusve consilio penderet, sed ipse civilem illam sapientiam probe a puero imbibisset. Hinc Aristides *Orat. in Regem p. 109. Tomo I. edit. Canteri:* δ *δὲ τὸ μὲν δίκαιον ἀκριβῶς οἶδεν, ὡς αὐτὸς νομοθέτης ἂν, καὶ ἐυεστῆς αὐτῷ.* Ipse jus exacte novit, quippe qui ejus auctor sit, ξ legis lator. Et paucis interjectis, laudans justitiae studium, summa humanitate temperatum: *Τῆς δὲ αἰτίας, inquit, ὅτι εἶς εἰς ἑτέρας ὁρῶν ἐρμηνείας, ἕτω λαμβάνει τὸ δίκαιον, ἀλλ' αὐτὸς ἔχων ἐν παιδείας τῶν ὡς ἀληθῶς καλῶν καὶ τῶν ἀγαθῶν ἐπιστήμῳ τῶν δὲ τῶν νόμων ἐμπειρίῳν περσεληφῶς ὥστε μῆτι τῶν γεγραμμένων ἀμφεῦγεν αὐτόν ἕτω τὰς κρείττους ποιῆται περὶ πάντων.* Cuius est rei causa, quod ille non ab aliis interpretibus juris cognitionem accipiat, sed ad eam, in qua institutus est, rerum praeclarissimarum scientiam adjuncta legum experientia, sic, ut nihil enim scripti juris effugiat, ita demum de rebus omnibus iudicat. H.

§. CCXCVIII.

Primum ergo multa hi quoque Imperatores Sctis vel ORATIONIBVS suis constituerunt. Exstitit enim Divorum Fratrum oratio, qua & cum inquisitione datus tutor factis dare jubebatur, si unus administrare vellet. *l. 19. §. 1. D. de testam. tutel.* Celebrantur etiam Divi Marci orationes de feriis & dilationibus: *l. 1. pr. & §. 2. l. 7. D. de fer.* Jul. Capitolin. *in Marco Cap. X.* de transactione super alimentis *: *l. 8. pr. D. de transact.* de fugitivis, etiam per Caesaris, Senatorum & paganorum praedia investigandis: *l. 3. D. de fugit.* de quatuor mensium usuris socio solvendis, qui cessantibus sociis insulam restituerit: *l. 52. §. 10. D. pro soc.* de Senatoris filia, libertino nupta: *l. 16. pr. D. de ritu nupt.* de libertinis libertinorum tutoribus: *l. 1. §. 4. D. de excusat. tut. l. 44. pr. D. eod.* Julius Capitolin. *in Marco Cap. XI.* denique de testamento ejus, qui damnatus provocavit. *l. 6. §. 9. D. de injusto rupt. irr. ***

Orationes vel Scta DD. fratrum & Marci Antonini.

* Julius Capitolinus *in Marco Cap. XI.* generatim: *De alimentis*, inquit, *publicis multa prudenter invenit.* Annon & de privatis? Celeberrima sane illa oratio principis de alimentis *l. 8. D. de transact.* non ad alimenta publica, sed testamento relicta, adeoque privata, pertinet. Et hinc If. Casaubonus *in Notis ad Script. hist. Aug. p. 66. Edit. Paris.* rescribendum existimat: *de alimentis publicis privatisque.* Ceterum ad publica alimenta recte referas, quae idem Julius Capitolinus *in Marco Cap. VII.* refert: *Filiam suam Lucillam*

fratri despondit. Ob hanc conjunctionem pueros & puellas novorum hominum frumentariae perceptioni adscribi praeceperunt. H.

** Ex Capitolino in vita Marci cap. 9. scimus, Marcum munivisse liberales causas. *Liberales causas ita munivit, inquit, ut primus juberet apud praefectos aerarii Saturni inunquemque civium natos liberos profiteri, intra tricesimum diem nomine imposto. Per provincias tabulariorum publicorum usum instituit, apud quos idem de originibus fieret, quod Romae apud Praefectos aerarii: ut si forte aliquis in provincia natus causam liberalem diceret, testationes inde ferret. Adjecit quoque Marcus ad dies fastos judicarios. Idem cap. 10. Fastis dies judicarios addidit, ita ut ducentos triginta dies annuos rebus agendis litibusque disceptandis constitueret. Neque quisquam Principum, plus Senatui, quam is, detulit. Huc pertinent illa Capitolini cap. cit. Senatum multis cognitionibus, & maxime ad se pertinentibus judicem dedit. Et quoties de Senatorum capite esset judicandum, secreto pertractavit. Semper interfuit Senatui, etiamsi nihil esset referendum, si Romae fuit: Si vero aliquid referre voluit, etiam de Campania ipse venit. Comitibus usque ad noctem interfuit, neque recessit de curia, nisi Consul dixisset, NIHIL VOS MORAMVR, PATRES CONSCRIPTI. Senatum appellationibus a Consule factis, judicem dedit. R.*

§. CCXCIX.

Alia eorundem SCta.

Ejusdem MARCI sunt orationes & SCta de tacita hypotheca ejus, qui quid ad reficiendas aedes credidit: l. 1. D. in quib. causis. pign. de quaestione status, morte finienda: l. 1. §. 3. ne de statu defuncti. de collusione intra quinquennium detecta: l. 2. pr. §. 4. D. de collus. deteg. Jul. Capitolin. in Marco Cap. X. de

de confessis & judicatis: *l. 56. D. de rejud. l. 6. §. 2. D. de confess. de expilatoribus hereditatum, l. 1. D. expil. hered. denique de temporibus interponendae adpellationis: l. 1. §. 7. D. quando appell.*

§. CCC.

Quin & MARCI cum COMMODO filio imperantis orationes, & SCta eas consequuta passim occurrunt, veluti de nuptiis Senatorum: *l. 16. pr. D. de sponsal. nec non de pupilla uxore a tutore ejusve filio non ducenda. l. 20. l. 60. D. de ritu nupt. ** Omnium tamen celeberrima sunt SCta duo, quorum altero SC. APRONIANVM (§. CCLXXXII. *sequ.*) ad collegia & corpora prolatum est; *l. 20. D. de reb. dub. altero ORPHITIANO liberi ad maternam admitti sunt hereditatem. l. 3. l. pen. D. de SC. Tertull. & Orphit. Conditum illud est anno ab V. C. DCCCCXXX. Vettio Rufo & Cornelio Scipione Orphito Coss. de quibus Henr. Noris. in Epist. consular. p. 462. Praemissae vero huic SCto Marci & Commodi Imperatorum orationis meminit Ulpianus *Fragm. XXVI, 7.**

Nec non ad Marci & Commodi orationes condita.

* In *l. 20. D. de ritu nupt.* inscriptio legis talis est: PAVLLVS libro singulari ad orationem D. Severi & Commodi. Sed haec nihili esse, facile unusquisque animadvertit. Numquam enim cum Severo imperavit Commodus, sed cum M. Antonino patre, cujus hic nomen reponendum esse, recte observat Ant. Augustin. *de nom. propr. Pandect.* p. 289. Nam hoc nomen habet etiam inscriptio *l. 60. D. de ritu nupt. H.*

§. CCCL.

§. CCCI.

Nova a
Marco re-
perta.

Quamvis vero a Julio Capitol. *in Marco Cap. XI.* observatum sit, Marcum Imp. *jus magis vetus restituisse, quam novum fecisse*: plurima tamen etiam nova ab eo profecta animadvertimus, veluti, quod PRAETOREM TVTELAREM primus fecit. §. 3. *Inst. de Atil. tut.* Jul. Capitol. *in Marco Cap. X.* Jos. Castalio *Var. Lect. VI, 4.* itemque, quod quum antea non nisi ex lege Laetoria, vel propter lasciviam, vel propter dementiam curatores darentur: * adultos omnes curatores accipere jufferit, non redditis causis. Jul. Capitolin. *in Marco Cap. X.* nec non, quod calumniis quadruplatorum intercesserit, adposita falsis delatoribus nota, vicesimamque hereditatum temperarit. Jul. Capitolin. *ibid. Cap. XI.*

* Hunc locum a plerisque ita intelligi animadvertimus, ac si ex lege Laetoria adolescentibus tantum lascivis ac dementibus curatores dati sint. Sed hi auctoris verba male intelligunt. Aliunde enim constat, legem illam omnibus adolescentibus petentibus curatores dari jussisse, causa cognita. Sensus ergo potius est: quum antea non nisi tria curatorum genera nota essent, unum eorum, qui adolescentibus petentibus ex lege Laetoria dabantur, alterum eorum, quos prodigi, tertium eorum, quos furiosi ex legibus XII. tabularum accipiebant: Marcum Imp. haec eatenus mutasse, ut adulti omnes curatores acciperent, etiam causa non cognita. Vid. *Elementa nostra sec. ordin. Inst. §. CCLXXI. sequ.* H. Vide, quae supra *in not. ad leg. Laetoriam*, huic opinioni opposui. R.

§. CCCII.

§. CCCII.

Pessimis omnino principibus adnumerandus est M. ANTONINVS COMMODVS: tamen & is, ubi solus rerum potitus est, quaedam ad jurisprudentiam contulisse legitur. RĒSCRIPTA enim ejus laudantur *l. 10. D. de in lit. jur. l. 2. D. ad SC. Silan. l. 6. D. si cui plus, quam per leg. Falc. l. 31. D. de jure fisci. DECRETI* mentio fit *l. 26. D. de probat. & praef. EDICTI* denique *l. 6. §. 1. D. de agnosc. & alendis lib.* Notum quoque est SC. IVNCIANVM, sub eodem Imp. factum anno ab V. C. DCCCCXXXV. Aemilio Junco & Julio Severo Coss. * de fideicommissariis libertatibus, de quo *l. 28. §. 4. l. 51. §. 8. D. de fideic. libert.*

Status juris Rom. sub Commod Imp.

* Varie admodum hi Coss. suffecti nominantur. Aemilius Lampridio in *Commodo Cap. IV.* vocatur *Junctus*, ejusque collega *Atilius Severus*, quos a Commodio in exsilium actos refert. At Cof. alter in *l. 28. §. 4. D. de fideic. libert. Julius Severus*, in aliis Fastis *A. Hibius Severus* dicitur. Sed facile ex *Atilius* scribarum oscitatione fieri potuit *A. Hibius*, vel *Julius*. H.

§. CCCIII.

Occiso Commodio HELVIVS PERTINAX, & huic mox nefarie obtruncato DIDIVS IVLIANVS, Salvii Juliani pronepos, (§. CCLXXXVIII. *) successit. Utrique in tam brevi imperio vix licuit multa de jure constituere. Memorantur tamen quaedam Helvii Pertinacis CONSTITVTIONES, veluti una de fideicommissariis libertatibus,

Status juris Rom. sub Pertinace & Juliano.

occu-

occupata a fisco hereditate, dandis: *l. 12. §. 2. D. de fideicom. libert. nec non Graeca altera, de immunitate ob XVI. liberorum numerum, aliasque causas concedenda, l. 5. §. 2. & §. 13. D. de jure immunit.*

§. CCCIV.

Quaedam
Pertinacis
constitutions
& orationes.

In Codicem quoque repetitae praelectionis relatas esse video ejus CONSTITUTIONES de filio, qui patrem familias mentitus mutuam sumsit pecuniam. *l. 1. C. ad SC. Macedon. & de servo oppignorato, ac deinde herede instituto. l. 1. C. de necess. servis her. inst.* Sed & ORATIONIS D. Pertinacis de testamentis mentio fit §. 7. 8. *Inst. quibus mod. test. infirm. Jul. Capitolin. in Pertin. Cap. VII. IVLIANI*, quamvis jurisconsultissimi principis, * nihil quod sciam in jure nostro occurrit, nisi quod ei, nondum principi, recripisse dicitur Marcus Imperator. *l. 20. §. 9. D. qui testam. fac. poss.*

* Imperatorem hunc *Julianum jurisperitum* vocat Euseb. *in Chronic. n. MMCCIX. p. 171. Thestemp. Scalig.* inmo & aliis Graecis scriptoribus *νομοθέτης* est: sed vereor, ne hi aequae ac Aurelius Victor, eum cum Salvio Juliano proavo confundant. De Eusebio tamen id suspicari vix licet, quia ipse alibi in *Chronico* meminit Salvii Juliani, qui sub Hadriano composuerit edictum perpetuum, adeoque hunc cum Didio Juliano confundere non potuit. H.

§. CCCV.

Jcti, qui sub Antoninis huc
Sed omittendi etiam non sunt IVRIS-
CONSVLTI, qui sub Antoninis ad haec us-
que

que tempora floruerunt. Eorum agmen ducit SEX. CAECILIUS AFRICANVS. Eundem enim cum Africano esse *Sex.* illum *Caecilium*, qui *l. 3. §. 4. D. de agnosc. & al. lib.* memoratur, & quem Gell. *Noct. Attic. XX, 1.* cum Favorino de XII. Tabularum legibus disputasse refert, contra Ant. Augustinum, Labittum, Menagium ostenderunt Cujac. *Tractat. 1. in African. init.* Idem *Observ. VII, 2.* & Reinold. *ad l. 23. D. de reg. jur. p. 9.**

usque flo-
ruerunt,
Sex. Cae-
cilius A-
fricanus.

* Fundus rei est *l. 3. §. 4. D. de agnosc. & al. lib.* ubi Julianus *Sex. Caecilio Africano* respondisse dicitur. Quum ergo & tempus conveniat, nec inauditum, sed frequentissimum sit, jurisconsultum jurisconsulto respondere, maxime senioreni & serenioris famae junioreni, praecceptorem discipulo: nulla profecto ratio est, cur elegantem illam conjecturam Cujacii rejicere velimus, quamvis eam pro certa obtrudere, ne ipse quidem fortassis Cujacius voluerit. H.

§. CCCVI.

Fuit Africanus Juliano *σύγχρονος*, sed eo paullo aetate minor, quippe qui sub Antoninis potissimum floruit. Saltim ante Severi & Antonini Caracallae tempora eum vixisse ex *l. 109. D. de legat. 1.* acute suo more collegit Cujac. *Recitat. ad African. Tractat. 1.* Sabinianum eum fuisse, & ejus quidem sectae subtilissimum, nemo negaverit. At apud eundem Juliani, uti apud Pythagoraeos Pythagorae, auctoritatem sine ratione valuisse, quod eidem Cujacio, Menagio & Guil. Grotio visum est, nullo idoneo argumento probatur.

Ejus aet-
tas, secta,
scripta.

batur. Mascov. *de Sect. Cap. IV. §. 3. p. 81.* Scripsit *libros novem QVAESTIONVM**, & fortassis *libros saltim XX. EPISTOLARVM*, quae laudari videntur *l. 39. pr. D. de legat. I.*

* In his QVAESTIONVM libris tam subtiliter de difficillimis juris quaestionibus disputavit Africanus, ut jam olim in proverbium iverit quotidianum interpretum dicitur: *Africani lex, id est, difficilis.* At nodos illos se vindice dignissimos existimavit ὁ πᾶν Cujacius, qui scriptis in Africani fragmenta recitationibus, non alios tantum, sed & se ipsum longe superavit. H.

§. CCCVII.

Terentius Clemens & Vinidius Verus.

Minus celebres sunt TERENTIUS CLEMENS & VINIDIUS VERUS. Et ille quidem discipulus, uti videtur, & sectator Juliani fuit, quippe quem ipse *suum* vocat *l. 6. D. de vulg. & pupill. subst.* auctorque fuit *librorum XX. AD LEGES IVLIAM ET PAPIAM POPPAEAM*, ex quibus plurima in *Digestis* fragmenta, alibi a nobis curatius exposita, supersunt. Hic inter Antonini Pii consiliarios fuit, Jul. Capitol. *in Antonin. Cap. XII.* & a Maeciano, Ulpiano & Paulo aliquoties, quamvis non expressis librorum titulis, laudatur. *l. 32. §. 4. D. ad leg. Falcid. l. 7. §. 13. D. de pact. l. 2. D. si ex nox. caus. ag.*

§. CCCVIII.

Junius Mauricianus, Taruntenus

IVNIUS MAURICIANUS, qui aetatem suam ipse perspicue indicat, *l. 57. D. de legat. II.* auctor fuit *librorum sex AD LEGEM IVLIAM*

LIAM ET PAPIAM, & saltim *duorum* DE
 POENIS. l. 3. D. de edendo. TARVNTENV
 PATERNV sub Commodo Imp. praefectus
 praetorio occubuit. *Excerpta Peiresc. p. 724.*
Lamprid. in Commodo Cap. IV. relictis libris IV.
 DE RE MILITARI. * Denique PAPIRIVS
 IVSTVS, collector *librorum XX.* CONSTI-
 TUTIONVM, uti fragmenta ejus operis
 pleraque ostendunt, sub Marco potissimum
 Antonino & Commodo scripsisse videtur.
 Vid. l. 60. D. de pact.

Paternus
 & Papi-
 us Justus.

*Accursus diff. de Pa-
 piero*

* Sunt duo priores jurisconsulti omnino notabiles.
 IVNVS MAVRICIANVS procul dubio adoptivus
 fuit *Junii Maurici*, fratris *Junii Aruleni Rusti-
 ci*, quorum stemma supra (§. CCXXXIX. *) de-
 didimus. Quum enim Plinius *Lib. II. Epist. 18.*
 mentionem faciat plurium filiorum istius Junii A-
 ruleni Rustici: unus eorum a patruo, *Junio Mau-
 rico* adoptatus, Junii Mauriciani nomen videtur
 adscivisse. TARVNTENV PATERNV sub
 Alexandro demum Severo Imp. vixisse existi-
 mat Guido Pancirol. *Var. Lect. I, 79.* non
 alio motu argumento, quam quod hic Impera-
 tor *Paterno* cuidam rescribit l. 2. C. de magistrat.
conven. Sed quum & iis temporibus & multo post
 permulti floruerint Paterni, quorum aliquos re-
 censet Reines. *Inscript. p. 38.* nulla ratio est, cur
 ibi Taruntenum Paternum nostrum intelligamus.
 Accedit, quod jam illo tempore homines juris
 rerumque militarium periti ad praefecturam prae-
 torianam adspirarent. Nostrum vero tamquam
diligentissimum juris militaris adsectorem, laudat
 Veget. *de re milit. Lib. I. cap. 8. H.*

§. CCCIX.

SEX. POMPONIVS unus, non duo, in Sex. Pom-
 jure nostro celebrari videtur, * de eoque nos ponii ae-
 tas.

ex instituto egimus in *praefatione* Jo. Lud. Uhlii *Opusculis ad Historiam juris, & maxime ad Pomponii Enchiridion pertinentibus*, praemissa, *Halae MDCCXXXV*. Vixisse eum Juliani temporibus, vel inde patet, quod & a Juliano laudatur, *l. 6. §. 6. 7 8. D. de negot. gest. l. 63. §. 9. D. pro soc. & ipse Julianum & Aburnum Valentem laudat. l. 2. §. 47. in fin. D. de orig. jur.* Vitam saltim ad Divorum Fratrum, quos vocant, tempora produxit, quippe qui alicubi *Antoninum Pium* Divum vocat. *l. pen. D. de pollicit.* Contra nusquam meminit vel Marci Antonini, vel Commodi, immo ne *Ulpii Marcelli* quidem, ceu quidam ex *l. 10. D. de castr. pecul.* colligunt. Verba enim illa non Pomponii esse, sed Triboniani, quamdam *Ulpii Marcelli* notam ad Pomponium referentis, observavit Ant. Augustin. *de nom. propr. Pandect. p. 121.* Erroris ergo manifesti rei sunt, qui eum sub Alexandro demum vixisse contendunt, veluti Bernard. Rutil. *de vit. jurisc. Cap. LXXIII.* & Jo. Bertrandus *de jurisp. Lib. I. Cap. 11.* Uterque enim deceptus est loco Lampridii in *Alex. Cap. LXVIII.* quem ab aliena manu esse, luculenter ostendit Salmas. *ad Hist. Aug. Script. p. 242. Edit. Paris.*

* Duos fuisse Sex. Pomponios, primus suspicatus est Ant. Augustin. *de nom. propr. Pandect. p. 92. §. 255.* quem deinde cum alii, tum & Guil. Grot. *de vit. Jctor. Lib. II. cap. 5.* sequuti sunt. Immo nec se ab hac sententia admodum alienum esse profitetur V. C. Ev. Otto *praefat. Tomi I. Thesaur. jur. civil. pag. 18.* At rationes omnes, quas

quas diligenter collegit Grotius, *in praefatione ad Uhlrii Opuscula* p. 10. *sequ.* excussimus. Urgent praecipue, Pomponium in *l. 41. D. de hered. inst.* ipsum videri alium Sex. Pomponium citare, & in *l. 32. pr. D. de legat. I.* legi: *Quod ita verum esse, tam Sex. quam Pomponius, negant.* Sed uti in posteriore textu SEXTVS ille alius esse potest JC. quam Pomponius, & ille ipse fortassis, qui *l. 44. pr. D. solut. matr. l. 30. §. 6. D. de adqu. hered. §. l. 1. §. 27. D. ad SC. Silan.* ita admodum dubium est, an *l. 41. D. de hered. inst.* sit Pomponii, ac non potius Juliani, & *liber XII. Var. Lect.* Pomponii non in margine tantum fuerit adscriptus. Reinold. *Orat. de Pompon. p. 12. sequ.* H.

§. CCCX.

Praeter jurisprudentiam, eorum temporum more, & philosophiam videtur excoluisse, cujus vestigia deprehendimus in *l. 121. D. de verb. signif.* juncto Seneca *de Benef. Lib. VII. Cap. 10. & l. 30. pr. de usurp. & usucap.* ubi divisio corporum interiorem philosophiam redolet, ceu observarunt Cujac. *Obs. XV, 33.* & Guil. Forner. *Sele&. II, 27.* De secta inter viros doctos non satis convenit, aliis eum jurisconsultis neutrarum partium, quos erciscundos adpellitant, adnumerantibus, Mascov. *de Sectis Sabin. & Procul. Cap. VIII. §. 4. p. 130.* aliis eum inter Proculejanos referentibus. Christ. Otto a Boekelen *de divers. famil. vet. jurisc. Cap. VI.*

Ejus philosophia & secta.

* *Proculejanum* ideo fuisse contendunt, quod La-beonis definitionem probet: *l. 22. §. 1. D. quando dies leg. ced.* ejusque sententiam tueatur adver-

fus Trebatium: l. 21. pr. D. de hered. instit. Proculo testimonium denunciaret, l. 16. §. 2. D. de evict. l. 12. pr. D. de legat. I. itemque ejus & Pegasi, Celsi, Atilicini, Aristonis & Neratii sententias probet: l. 28. D. de acquir. rer. dom. l. 43. §. 2. D. de legat. II. l. 29. pr. D. de evict. l. 14. D. de verb. obl. l. 48. pr. D. de legat. I. l. ult. D. de adq. vel omitt. her. l. 21. l. 72. D. ad SC. Trebell. l. 8. §. 2. D. de liberat. leg. l. 3. D. pro suo. l. 45. pr. D. de legat. I. At idem Pomponius non modo Sabino & Cassio aliquando suffragatur, l. 6. §. 1. D. de condit. & dem. l. 6. D. de stipul. serv. & eorum dicta benigniore interpretatione juvat, l. 3. §. 1. D. de jur. & facti ign. sed & passim eorum auctoritate utitur, l. 34. §. 2. D. de fideic. libert. & id plerumque agit, ut dissidentes jurisconsultos ad concordiam reducat, veluti Proculum & Sabinum, l. 14. D. de condit. & demonstr. nec non Proculejanos & Sabinianos l. 26. §. 2. D. de legat. I. Qui vero ita rationes componit, jurisconsultus, eum si quis sectarium esse clamet: nae is, quid sit sectae studium, mihi omnino videtur ignorare. H.

§. CCCXI.

Ejus scripta.

Scripsit hic jurisconsultus, inter πολυγράφους jure referendus, ENCHIRIDION duplex, quorum unum singularis fuit liber, l. 2. D. de orig. jur. l. 2. D. de just. & jur. l. 239. D. de verb. sign. alterum ex duobus libris constitit: l. 8. D. de grad. & adfin. l. 13. D. de tutel. l. 107. D. de solut. & liberat. EPISTOLARVM libros XX. FIDEICOMMISSORUM libros V. LECTIIONVM AD Q. MUCIVM libros XXXIX. AD PLAVTIVM libros VII. REGVLARVM librum singularem. AD SABINVM libros XXXV.

SENA-

SENATVS CONSVLTORVM *libros V. VARIARVM LECTIIONVM libros non XV, ut est in indice Florentino, sed saltim ultra XL.*
 * l. 8. §. 6. D. *si serv. vind.* DIGESTORVM *libros V. DE STIPVLATIONIBVS libros VIII.*
 denique AD EDICTVM *libros LXXXIII.* ex quibus fragmenta in *Pandectis* quam plurima superflunt.

* Hunc titulum inter *inscriptionum festiuitates, quas plerique utriusque linguae scriptores in libris suis fecisse ait*, refert Gell. *Noct. Att. praefat.* Ait enim, *alios libros suos MVSARVM inscripsisse, alios SILVARVM, illum ΠΕΠΛΟΥ, hunc ΚΕΡΑΤΟΣ ΑΜΑΛΘΕΙΑΣ, alium ΚΗΡΙΟΥ, partim ΔΕΙΜΩΝΟΣ, quemdam LECTIIONIS SVAE, alium ANTIQVAVM LECTIIONVM.* Ubi Gellius manifesto ridere voluit titulos librorum argutiores atque exquisitiores. Sed jam Salmasius recte monuit, multos titulos eo referre Gellium, qui nihil habeant, quod ad *festiuitates inscriptionum* jure referri possit. Quid enim festiuitatis inest inscriptionibus *antiquarum lectionum, Epistolarum moralium, Epistolicarum quaestionum, Historiae naturalis,* quas omnes Gellius in hanc classem retulit? Quis non titulum *NOCTIVM ATTICARVM*; quem se Gellius tamquam simplicissimum libro suo praescripsisse, ait, facilius facietis nugis comparet, quam titulum *antiquarum vel variarum lectionum*? Sed videtur Gellius hic sine iudicio imitatus Plinium *in praefat. Hist. Natural.* H.

§. CCCXII.

CAIVS, elegantis ingenii jurisconsultus, Cajus jurisconsultus.
 vulgo GAIVS, certissime vixit sub Hadriano, ceu patet ex l. 7. pr. D. *de reb. dub.* certissime etiam superstes fuit Antonino Pio, quia M.

Antoninum Imperatorem *sacratissimum principem suum* vocat *l. 9. D. ad SC. Tertull.* An vero ad Antonini Caracallae tempora advixerit, quod Jac. Raevardo *Conject. III, 19.* & nuper V. C. Franc. Car. Conradi (vid. *Act. erud. Lips. ann. MDCCXXVII. mense Februar.*) visum est, merito in medio relinquimus, tanto certiores, falli eos opinione sua, qui Cajum nostrum, quem familiaritatis jure suum vocat Pomponius, *l. 39. D. de stip. serv.* vel ad Diocletiani, vel ad ipsius Justiniani tempora vitam produxisse existimant, quum ab Hadriani excessu ad Diocletiani imperium centum & quadraginta septem; ad Justinianei imperii auspicia trecenti octoginta novem anni sint circumacti *

* Cajum Diocletiani tempora attigisse, suspicatus est Marcilius *ad §. 6. prooem. Instit.* Eundem Justiniano *συγχρονον* & Christianum fuisse, ex *d. §. 6. prooem. Inst. §. 5. Inst. de publ. judic. & Constit. Omnem reip. §. 1. ad Antecess.* collegerunt Ant. Vacca & Hotomanus, non alio persuasi argumento, quam quod eum *Cajum suum* vocare non dubitarit Justinianus. At praeterquam quod nihil Christiani praeferunt Caji fragmenta, quodque utrique huic sententiae rationes chronologicae manifesto refragantur: aliae rationes esse potuerunt Triboniano, (nam Justinianum ibi stilo suo usum, vix credibile est,) cur *Cajum suum* vocare non dubitarit, quoniam nimirum eum potissimum exscripsit in conscribendis Institutionibus. Vid. Ev. Otto *Praef. Tomi I. Thesaur. jur. p. 19. H.*

§. CCCXIII.

Ceterum CAIVS quoque a sectae studio factis alienus jure eriscundis accensetur, Mas-

Filius scripta.

COV. *de Sect. Sabin. & Procul. Cap. VIII. §. 3. p. 127.* modestiam ejus fatis superque demonstrantibus tot ejus fragmentis; quae in *Digesta* retulit Tribonianus. Scripta reliquit tam multa, ut lectorem merito remittamus ad indicem Florentinum & Menag. *Amoen. jur. civ. Cap. XLIII.* id modo observantes, eum quaedam scripsisse, in quibus reliquorum jurisconsultorum vix quisquam exercuerat ingenium, veluti ~~DOTALINORVM~~ *librum singularem: AD EDICTVM AEDILIVM CVRVLIVM libros II. AD EDICTVM PROVINCIALE libros XXXII. AD LEGES XII. TAB. libros VI. & similia. INSTITVTIONVM & extra Pandectas* existare fragmenta bene longa, sed ab Aniano passim interpolata, nemo ignorat.*

*breves et inuicem
procedendo viderentur*

* Ex iis duo fragmenta insignia de ritu mancipationis, & in jure cessione, quae in Aniana editione hodie non existant, servavit Boëth. *Lib. III. Commentar. in Topic. Ciceron.* quae tota exhibet Ant. Schulting. *in vet. jurispr. antejustin. p. 50. sequ. & p. 84. sequ.* Sed eadem in Cyni *Commentario ad tit. C. de usuc. transform.* multo integriora reperit V. A. Corn. van Bynkersh. *de reb. mancipi Cap. I. p. 107.* Is vero haec descripta esse ait a Petro Jacobo de Ravanis, qui dicat *se ea vidisse in libro Institutionum Caji.* Quae si vera sunt, (fidem autem Petri Jacobi de Ravanis in dubium cur vocare velimus, nullam omnino rationem video,) Caji Institutiones saeculo XIV. quo ille de Ravanis vixit, adhuc integriora, quam est Aniani editio, existisse oportet. H. Haec Caji Fragmenta insignia, uti a Boëthio, Cyno, Rosato, & Papi a ad posteritatem transmissa sunt,

egregio instruxit commentario Jctus doctissimus, Gerardus Meermannus in *Diatriba antiquario-juridica de rebus mancipi & nec mancipi*; qui eximius vir, edito quoque *Specimine Criticarum Animadversionum in Caji Institutiones*, plurimum iis, MSS. ope, & lucis & medelae attulit. R.

§. CCCXIV.

L. Volvius Maecianus.

L. VOLVSIUM MAECIANVM sub Antonino Pio & Divis fratribus vixisse, & in eorum principum consilio fuisse, ex Jul. Capitolin. in *Pio Cap. XII. l. 36. pr. & l. 42. D. de fideic. libert.* denique ex *l. 17. pr. D. de jure patron.* patet. Marcum Imp. instituerat in jurisprudentia, teste eodem Julio Capitol. in *Marco Cap. III.* Vid. Menag. *Amoenit. jur. civ. Cap. V. p. 31.* Vitam etiam ad Marci imperium produxit, sub quo tanquam Alexandrinae civitatis Juridicus, * in Avidii Cassii tumultu periit, & quidem seditionis Cassianae confcius, teste Vulcat. Gallic. in *Avid. Cassio Cap. VII.* id est, anno erae Dionysiacae CLXXV. in quem hunc tumultum incidere ostendit Ant. Pagius *Critic. Baron. Tomo I. p. 168. sequ.*

* Non *Juridicus*, sed *Praefectus Augustalis* fuisse videtur, ut monui in *praefat. ad Tom. V. Cod. Theodos.* Nam apud Vulcatium legitur, *Maecianum consensisse Cassio*, SPE PARTICIPATVS; qualem spem Juridicus alere vix poterat. Xiphilinus vero in *Vita Marci pag. 278.* auctor est, totam defecisse Aegyptum. Cum igitur solum Maecianum, tanquam seditionis caput, occisum esse legamus, colligi potest, ipsum huic provinciae; quam non Juridicus, sed Praefectus Augustalis ad rebellionem sollicitare potuit, tunc temporis praefuisse. R.

§. CCCXV.

§. CCCXV.

Sabinianum eum fuisse, & Juliani adseclam, ipse in fragmentis suis fatis prodidit. Scripsit FIDEICOMMISSORVM seu QVAESTIONVM DE FIDEICOMMISSIS *libros sedecim*. Menag. *Amoenit. jur. civ. Cap. V. PVBLICORVM libros XIV.* a quibus diversum fuisse librum EX LEGE RHODIA, vel ad LEGEM RHODIAM* suspicamur, quamvis aliud visum sit Jac. Gothofredo *de Imper. mar. Cap. II.* Vid. V. A. Corn. van Bynkershoek *ad l. 9. D. ad L. Rhod. Cap. I.* Porro libri QVAESTIONVM meminit Papinianus, *l. 86. pr. D. de adqu. vel omitt. hered.* qui tamen an a *libris quaestionum de fideicommissis* diversus sit, alii viderint. Denique notus est *libellus* Maeciani DE ASSE, a Jo. Fridr. Gronovio post opus *de pecunia veterum*, & a Jo. Ge. Graevio *Theaur. Antiqu. Rom. Tomo XI.* editus, & juris studiosis etiam atque etiam commendatus a Jac. Cujacio *ad l. 21. D. de ann. legat.*

Ejus secta
& scri-
pta.

* In Florentina est: *ex lege Rhodia*, apud Haloandrum: *ad legem Rhodiam*. Sed non erat, quod hic aliquid mutaret Haloander. Ita enim, notante V. A. Corn. van Bynkershoek, & aliae in jure nostro librorum inscriptiones se habent. Nec absurdus est titulus, ex quo colligitur, Maeciani librum fuisse collectionem quarundam legum Rhodiarum, fortassis quae magis in usu erant, & ad jactum pertinebant, quasque hoc libro Volusius vel collegerit tantum, vel notis suis illustravit. Vid. laudatissimi Bynkersh. *Opusc. min. p. 269. edit. nov.* H.

§. CCCXVI.

Q. Cer-
vidius
Scaevo-
la.

Proximus est Q. CERVIDIVS SCAEVO-
LA, auctor jurisconsultorum prudentissimus, l. 3.
C. Theod. de testam. & Marco Antonino a confi-
liis, Jul. Capitol. in Marco Cap. XI. vel hoc ipso
maximam laudem consequutus, quod Seve-
rum Imp. & Papinianum jurisconsultum for-
mavit. Spartian. in Caracalla Cap. VIII. Miscel-
lionibus vel erciscundis eum adnumerat Ma-
scov. de Sect. Sabin. & Proc. Cap. VIII. §. 5.
quippe adeo fluctuantem inter diversas scho-
lae utriusque sententias, ut Bertrando Pro-
culejanus; Ottoni a Boekelen de famil. Jctor.
Cap. V. Sabinianus videatur. Notum quo-
que est, eum apud quosdam non modo ob-
scuritatis & variationis, sed & προσωπευσις
caussa male audire. *

* Nam in l. 14. D. de transact. eum ingenuitatis &
candoris laudem non servasse, & in gratiam ali-
cujus vel odium a jure recessisse statuit Ger. Noodt
Probabil. II, 2. & de Pact. & transact. Cap. XXII.
Variationes quoque ejusdem notant Cujac. Obs.
IV, 1. Merill. Obs. I, 9. & Noodt. Obs. II, 18.
ubi & stylum ejus abruptum & hiulcum, ac pro-
inde maxime obscurum notari animadvertimus, de
quo etiam conqueruntur Guil. Budaeus Adnot. ad
Pandeet. p. 76. sequ. Franc. Duaren. Disput. uni-
vers. I, 50. Petr. de Toullieu Diff. de anantapodotis
in jure occurrentibus, & Ev. Otto in Papiniano
Cap. XI. §. 2. p. 212. Sed ut de stilo Scaevolae fa-
cile transegerim: ita reliqua, quae Scaevolae ex-
probrantur, jam ab aliis fatis profligata sunt. H.

§. CCCXVII.

Scriptit DIGESTORVM libros XL. & qui-
dem

Ejus
scripta.

dem post excessum Marci Antonini Imperatoris, ceu ex l. 39. D. de legat. III. observavit Ger. Noodt de Foenor. & usur. Lib. III. Cap. 6.

DE QVAESTIONE FAMILIAE *librum singulare*: QVAESTIONVM *libros XX*: QVAESTIONVM PVBLICE TRACTATARVM *librum singulare*? REGVLARVM *libros IV*. RESPONSORVM *libros VI*, in quibus eum saepe repetere, quae jam dixerat in Quaestionibus, observat Cujac. *Obs. XII, 10.* OPON *librum singulare*: denique Notas IN IVLIANVM & MARCELLVM.

in istum librum...
**) Hic...*
**) Sed...*

§. CCCXVIII.

Supereſt VLPIVS MARCELLVS, vir toga ſagoque celeberrimus, quem in confilio Antonini Pii fuiſſe, teſtatur Jul. Capitolin. *in Antonin. Pio Cap. XII.* Floruit & ſub Marco, l. 19. §. 1. D. de teſtam. tut. ſub quo non quidem Praefectus praetorio, uti exiſtimat Bertrandus de *Jurisperit. 1, 17.* ſed Legatus pro Praetore Pannoniae inferioris fuit. Ita enim intelligendus vetus titulus apud Grut. *Inscr. p. C, 4.*

Ulpius
 Marcellus.
Richter de Ulpio
Magnanimitatis
Collectio de Ulpio
Belgica

VIRTVTI.
 ET.
 HONORI. L.
 VLPIVS. MARCELLVS.
 LEG. AVG.
 PR. PR.
 PANNON. INF.
 V. S.

Sub

Sub Commodo in Britanniam cum imperio missus, non modo incredibilia continentiae, frugalitatis & vigilantiae specimina edidit, * sed & rem ibi praeclare gessit, ut parum abesset, quin a saevissimo principe virtutis causa occideretur. Dio Cass. *Lib. LXXII. p. 820. & p. 287. Edit. Steph. & in Excerpt. Peiresc. p. 724.*

* Meretur ille Dionis locus, qualis in primis in *Excerptis Peirescianis* legitur, excerpti. Ait, Legatum illum in Britannia tam alienum fuisse a foribus & corruptione, quantum ab humanitate ac benignitate: tam autem vigilantem, ut per totam noctem vigilare videretur. Ut vero & ceteros comites somno arceret, eum duodecim tabellas, quales ex philyra fieri solebant, quotidie vesperi perscripsisse, & mandasse alicui ex suis, ut alias aliis, atque aliis horis perferret ad diversos. Quamquam etiam a natura ad domandum somnum fuerit factus, tamen vigilantiam illam adjuvisse abstinentia, modico tantum usum cibo, &, ut pane ventrem ne impleret, eum Roma in Britanniam advehi curasse, non quod pane ejus regionis vesci non posset, sed ut eo minus ob vetustatem panis comederet, gingivis ob ejus ficitatem saepe cruentatis. Hinc apud Xiphilinum Ulpius noster vocatur ἀνὴρ μέτριος καὶ εὐτελής ἄν, *vir modestus & frugi, ὅτε ἐπολέμει, ὑψηλόφρων καὶ φρονηματώδης, κρημάτων τε ἀφρανώως ἀδωροῦται ἄν. sublimis & elati animi, quoties bellum gereret, & pecunia non corruptibilis.* Habes ergo priscae disciplinae ac continentiae hominem, dignumque, qui non sub Commodo, sed melioribus reipublicae temporibus vixisset. H.

§. CCCXIX.

Proculejanorum suo tempore fuit acerrimus,

Ejus secta
& scripta.

mus, Merill. *Observ. I, 28. VIII, 18.* Mascov. *de Sect. Sabin. & Proculej. Cap. V. §. 4. p. 90.* ut Ulpiano aliisque id haud leve veritatis argumentum esset, si Juliano adstipularetur Ulpius Marcellus. Cujac. *Obs. XIV, 35.* Menag. *Amoenit. jur. Cap. XXIV.* Mireris, homini negotioso, & saepius in castris, quam in museo, moranti, tantum fuisse ocii, ut aliquid de jure scriberet. Et tamen praeter NOTAS AD IVLIANVM & POMPONIVM reliquit DIGESTORVM libros XXXI. AD LEGES Juliam & Papiam libros VI: DE OFFICIO PRAESIDIS *librum singularem*: DE OFFICIO CONSVLIS *libros saltim V.* PVBLICORVM **libros II. & librum singularem* RESPONSORVM.*

* Addit Jac. Curtius *Lib. I. Erazorū Cap. 38.* NOTAS AD PAPIANVM, quarum mentionem fieri ait *l. 7. D. ad leg. Jul. de adult.* Marcellum saltim laudasse ait Papinianum *l. 1. D. ad SC. Turpillian.* Quum vero multo antiquiorem Papiniano Scaevolam ad Marcellum notasse constet: *l. 11. §. 6. D. de donat. int. vir. & uxor.* laudatus Curtius duos floruisse *Marcellos* jurisconsultos, existimat: *Ulpium* alterum, de quo hic agimus, alterum *C. Quintillium.* Sed potuisset Curtius non errare. Qui enim ad Papinianum scripsit, eumque laudavit, non est MARCELLVS, sed AEL. MARCIANVS, Ulpiani aequalis. Adeoque ad illorum temporum jurisconsultos non pertinet ille *C. Quintillius.* H.

§. CCCXX.

Redimus ad Imperatores Romanos, inter quos obtruncato Didio Juliano, aemulisque, Status juris sub Septimio Severo.

lisque, C. Pescennio Nigro, & D. Clodio Septimio Albino, remotis, imperium arripuit L. SEPTIMIUS SEVERUS, Africanus, princeps non solum Graecis Latinisque litteris eruditissimus, sed & juris Romani peritissimus, auditor quippe Q. Cervidii Scaevolae, & Papiniani condiscipulus (§. CCCXVI.) & hinc fisci advocacione ante imperium functus. Spartian. *in Sept. Sev. Cap. I.* & *in Antonin. Caracall. Cap. VIII.* Hujus potissimum condiscipuli sui, Papiniani, usus consilio jura constituit, aequitatis, moderationis, clementiaeque plenissima, ut ab Aurelio Victore *legum conditor longe aequabilium* appelletur. Ev. Otto *Papinian. Cap. XIV. §. 3.* Odio tamen decessoris, Didii Juliani, *Salvii Juliani decreta iussit aboleri, quod non obtinuit.* Spartian. *Sev. Cap. XVII.* Quod nos de edicto Juliani perpetuo intelligendum esse arbitramur. *

* Sunt, qui haec de Didii Juliani decretis intelligunt, quia & hic intercalaris veluti princeps Salvii nomen tulerit. Thomaf. *Naev. jurispr. antejustin. p. 85.* Sed *de Salvii scriptis*, non de Imperatoris alicujus actis loqui Spartianum, ex Aurelio Victore *de Caesar. cap. 20.* eandem rem plenius narrante, intelligimus. Is enim, ubi de Septimio nostro agit: *Salvii, inquit, nomen, atque ejus SCRIPTA factaque aboleri jubet, quod unum effici nequivit.* Jam quid, quaeso, Didium scripsisse novimus tam eximium, ut id perire nollet Senatus? Et quid intererat Senatus, Didii principis sibi exosi & hostis a se judicati, memoriam & acta non aboleri, ut in hoc uno, principi asperissimo, dicto minus audiens esse auderet? Denique si de Salvii Juliani scriptis privatim editis acci-

accipiamus Spartianum & Aurelium Victorem, vix comminisci licebit rationem, cur Senatus voluntati principis feveri, & accuratum a suis obsequium exigentis, refragari voluerit. Verosimilimum itaque est, Severum, post execratum Julianorum nomen, conditum a Salvio Juliano editum perpetuum voluisse abolere, Senatu tamen ob eximiam ejus operis praestantiam auctoritatemque graviter obnitente. H.

§. CCCXXI.

Inter Severi instituta & sequentia fuerunt: quod praefecturam urbanam, data ad Fabium Chilonem epistola, ad summam evexit potentiam: *l. 1. pr. D. de offic. praef. urb. l. 8. §. 5. D. de poen. l. 6. §. 1. D. de interd. & releg. quod oratione sua anno ab V. C. DCCCCXLVIII. Q. Flavio Tertullo & Flavio Clemente Coss. res immobiles eorum, qui sub tutela vel cura sunt, sine decreto alienari vel supponi vetuit: l. 1. D. de reb. eor. qui sub tutel. vel cur. sunt. quod legem Juliam de adulteriis in usum revocavit * : Dio Cass. apud Xiphil. Lib. LXXVI. p. 869. & p. 343. Ed. Steph. quod quaedam circa leges Juliam & Papiam Poppaeam mutavit: Tertull. Apologet. Cap. IV. quod cum Antonino Caracalla, filio, imperii socio, Scto anno ab V. C. DCCCCLIX. M. Numio Albino & Fulvio Aemiliano Coss. facto, donationes inter virum & uxorem de novo prohibuit: *l. 32. pr. D. de dot. int. vir. & uxor.* Recensum vero tot constitutionum, quae in *Pandecte* aequae ac *Codice*, utramque paginam faciunt, hic a nobis institui, chartae angustia vix patitur.*

Jura a Severo constituta.

* De.

* Debemus hanc notitiam Dioni, qui de Severo Imp. refert, eum criminari solitum incontinentes, *ὡς καὶ ἐπὶ τῆς μοιχείας νομοθετήσαι τινα, ob eamque causam* & de moechis leges tulisse, ex quibus deinde quam plurimi in jus rapti sint. Addit: *Τρισεκκλίας γέν ὑπατεῶν εὖρον ἐν τῷ πίνακι ἐγγεγραμμένας*, innuens, se consulem tria millia moechorum in tabulis accusatorum reperisse. Incidit vero Cassii illius consulatus in annum Christi CCLXXXI. quo jam paene ante centum annos leges istas feveriffimas tulerat Severus, ex eoque jam fatis patet, quam late patuerit hoc flagitium, quum Severus eam legem ferret. Ceterum ex eo simul reddi poterit ratio, cur de adulteriis & ad legem Juliam de illis eo tempore certatim scripserint PAPIANVS, VLPIANVS, PAVLLVS, & alii. H. Verfatur Heineccius in ridiculo errore, quem facile evitare potuisset, dummodo attente legisset Xiphilinum. Confundit enim duos *Diones*, quorum alter Consul fuit *A. C. 229.* alter vero hanc dignitatem gessit *anno Ch. 291.* Prior est ille, qui magna diligentia Historiam Romanam scripsit: posterior, observante Pagio, Praefecturam urbanam ante Consulatum administravit. Huc vero pertinet *Dio Historicus*, qui *l. c.* narrat, se Consulem invenisse tria millia moechorum in tabulis, qui post legem a Severo latam tunc temporis accusati essent. Fuit autem *Dio* Senator Romanus *Commodo* imperante, eumque *Pertinax* Praetorem designavit, quod ipse testatur *in vita Juliani pag. 305.* *Pertinax* Augustus fit & interficitur *an. Ch. 193.* Ab hoc anno usque ad annum *Ch. 291.* quo putat Heineccius *Dionem* Consulem prodisse, effluxere anni 98. Adde, *Dionem*, cum esset Praetor designatus, annum egisse trigefimum: Consulem habebis annorum centum viginti atque octo, &, quod magis miraberis, vegetum adhuc, muneribusque publicis gerendis idoneum, uti profitetur ipse in fine operis. Quae si pensitasset Heinecc-

Heineccius, vidisset forte, haec sibi repugnare. *Dio Historicus* autem *Consul* fuit cum *Alexandro Aug. III. an. Chr. 229.* Vide Historiam ejus *in fin.* & gesto hoc consulatu, pertaesus rerum urbanarum, relicta Italia, in patriam, Nicaeam, abiit, ut in otio confenesceret. Idem *ibid.* Jam finge, Severum, mediis imperii annis, legem moechis opposuisse: elapsos tantum 30 annos esse, tempore Consulatus, quem Dio gessit, observabis. R.

§. CCCXXII.

Qui extincto patre, & Geta fratre occiso, Status juris sub Caracalla. solus imperavit, ANTONINVS CARACALLA, non minus, quam pater, jus variis novis institutis locupletavit. Nam ut jam non dicam de celeberrima constitutione *l. 17. D. de statu hom.* qua jus civitatis cum omnibus ingenuis, in orbe Romano habitantibus, communicavit, * quam Antonino nostro auctoritate Dionis Cassii *in Excerpt. Peiresc. p. 744.* vindicat Ezech. Spanhem. *in Orbe Romano: tot aliae ejus constitutiones in Codice & Pandectis, immo & in Codicis Gregoriani & Paulli Receptarum Sententiarum* reliquiis supersunt, ut reliquorum Imperatorum paene omnium constitutiones numero superare videantur.

* Origine ergo hujus juris hodie extra omnem dubitationis aleam posita est, quamvis & nostris temporibus non desint viri eruditissimi, qui & Antonini Pii hac in re partes aliquas fuisse, adeoque vel constitutionem antiquam ab Antonino Pio primum editam, in usum revocatam esse, vel distinctione inter jus civitatis *indultum* & *imperatum* rem expediri posse existimant. Illust. Cancell. a Ludewig *in diss. de peregrinitate, albinagio &*

wildfangiatu Cap. IX. §. 3. p. 98. *sequ.* Et sane favent huic sententiae partim locus insignis *Novellae LXXVIII. Cap. 5.* partim numus Antonini Pii Imp. apud Mediobarbum Comit. Biragium, cujus in postica coronae inscriptum: S. P. Q. R. AMPLIATORI CIVIYM. At si dicendum quod res est, nec Justiniani est tanta in rebus historicis auctoritas, ut ea in re errare non potuisse videatur: & elogium istud tribui posse Antonino Pio, si vel maxime auctor non sit constitutionis famosissimae, quam l. 17. *D. de stat. hom.* laudari animadvertimus, jam ipse ostendit Spanhem. *Orb. Rom. Exerc. II. Cap. 1. p. 208.* quippe qui non modo viros bene de republica meritos frequentius jure civitatis donarit, sed & cum Carnis Catalisque, adeoque cum totis gentibus, eximium istud beneficium communicarit. Gruter. *Inscr. p. CCCCVIII, 1. H.*

§. CCCXXIII.

Itemque
sub Opi-
lio Macri-
no.

ELAGABALVS, monstrum illud hominis, qui, occiso Caracalla, victoque aemulo *M. Opilio Aurelio Severo Macrino*, imperio potitus est, non plus ad jurisprudentiam amplificandam contulit, quam hic Opilius, ut scribit Jul. Capitol. *in Macrino Cap. XIII. juris non in-callidus*, & teste Herodiano *Hist. IV. 12. peritus νόμων ἐπισήμης*. Equidem Opilium istum omnia rescripta veterum principum tollere statuisse, refert eodem loco Julius Capitolinus, nefas esse dicentem, leges videri Commodi & Caracallae, hominum imperitorum voluntates, quum Trajanus numquam libellis responderit, ne ad alias causas facta * proferrentur, quae viderentur ad gratiam composita: Sed brevitatis imperii vix bimestris vetuit spes inchoare longas.

*FACTA

* FACTA hic sunt rescripta, uti Graecis *περγυματι-
καὶ* vel *περγυματικοὶ τύποι*. Jac. Gothofred. *ad Co-
dic. Theodosj. Tomo I. p. 26.* Hinc PAVLLI *libri
Sententiarum* & FACTORVM *sex*. Ceterum quam-
vis id consilium Macrini plerique damnent: tan-
tum tamen abest, ut videatur reprehendendum,
ut prudentissimo instituto rescriptis tantum in ali-
quorum gratiam vel odium editis vim legum de-
trahere voluerit. Id vero non magis improbandum
est, quam quod & Valentinianus Senior Im-
perator talia rescripta cassa esse iussit. *l. 6. C. de
vectigal.* H. Vide Schultingium *dissert. pro re-
script. Imperat.* cujus eximii viri sententiam am-
plexus sum, cum quaedam notare *ad Cod. Theo-
dosj. l. c.* R.

§. CCCXXIV.

ELAGABALI vero ne nomen quidem in
Pandecte occurrit, quamvis quaedam ejus
constitutiones existant *l. un. C. Gregor. de patr.
poteft. & l. 8. C. de negot. gest.* quas Elagabali esse,
ex subscriptionibus docent Henricus Cardi-
nalis Norisius *Epist. consular. p. 471.* & Ant. Pa-
gius *Crit. Baron. Tomo I. p. 202.* Obiter tamen
moneamus, Elagabali origines & familiam ex
Pandectis non modo illustrari, verum etiam
suppleri posse.*

Nec non
sub Ela-
gabalo.

* Fuisse ELAGABALVM filium Varii Marcelli & Ju-
liae Soaemidis, ex eorum temporum historicis
fatis notum est. Sed in jure nostro passim memo-
rantur alii ejus cognati, quos hac tabula reprae-
sentare juvabit, maxime quum quaedam videan-
tur emendanda, quae parum accurate tradidit
Reines. *Epist. ad Rupert. LXIX. p. 611.*

IVLIVS AGRIP-
PA primipilaris, de
quo l. 38. §. 4. *D.*
de legat. III. patru-
us magnus Juliae
Domnae: quam le-
gem non intelle-
xere Cujac. *Obj.*
III., 18. & Men-
gius *Amoen. jur.*
Cap. XXV. p. 142.

N. filia,
de qua l.
38. §. 4.
D. de leg.
III.

N.
Neptis,
de qua
eadem
l. 38.

IVLIVS
AGRIP-
PINVS,
cui re-
scripsit
Antoni-
nus
Imp. an-
no 961.
Paria-
tor LL.
Mof. &
Rom.
Tit. X.
§. 4.

N. Julii Agrippae frater.

BASSIANVS, Sacerdos Dei solis. Sex. Au-
rel. Victor *in Caracalla & Elagab.*

IVLIA DOMNA
Aug. nupta Septimio
Severo Imperatori.

ANTO- P. SEPTI-
NINVS MIVS
BASSIA- GETA, a
NVS CA- fratre oc-
RACAL- cifus.
LA, Imp.

Filiolus
una cum
matre in
Liparam
insulam
relegatus,
teste Dio-
ne.

IVLIA MOESA ex A-
pamea Syriae, teste
Dione, vel ex Emefa,
uti existimat Herodi-
an. *Histor. V.*, 3.

IVLIA IVLIA
SOOE- MAM-
MIS, nu- MAEA,
pta *Vario* nupta *Ge-*
Marcel- *nesio Mar-*
lo. *ciano.*

ELAGA-
BALVS
Imp.

ALEXAN-
DER Im-
perator.
H.

§. CCCXXV.

Et sub A-
lexandro
Imp.

Succedit his M. AVRELIVS SEVERVS
ALEXANDER, Elagabali confobrinus,
continentissimae disciplinae princeps, & qui
non pauca constitutionibus suis emendavit.
Praefectorum urbi & praetorio potentiam
maxime auxit, & illis quatuordecim RO-
MAE CVRATORES addidit ex consulari-
bus,

bus, quos audire negotia cum praefecto urbis iussit, ita, ut omnes, aut magna pars, adessent, quando acta fierent. Lamprid. *in Alex. Cap. XXXIII.* His senatoriam addidit dignitatem, ut VIRI CLARISSIMI essent, & dicerentur, idque ideo, ne quis, qui Senator non esset, de Senatore Romano iudicaret. Lamprid. *ibid. Cap. XXI.* Quin & edicta eorum, condito licet jam pridem edicto perpetuo, servari voluit. *l. 2. C. de offic. praef. praet. Orient. & Illyr.*

§. CCCXXVI.

MAXIMINVS porro, Alexandri percussor, quod a scelere auspicatus fuerat, imperium tam breve habuit, ut non multum potuerit de jure novo constituendo cogitare. Habemus tamen duas ejus constitutiones: *l. 13. C. de pact. & l. 6. C. de jure dot.* quum oppositorum illi principum, MAXIMI & BALBINI nullae omnino essent. Plurimae contra supersunt GORDIANI tertii, sub quo revirescere potuisset imperium, si vixisset diutius: nec non percussoris ejus PHILIPPI, Arabis, quamvis plerisque horum omnium epistolis vetera magis jura speciebus obvenientibus adplicari, quam novi quid sanciri, animadvertamus. *

Denique sub Maximo, Maximo & Balbino, Gordiano & Philippo.

* Et hoc ipsum argumento est, Philippum illum Imp. sceleratissimum hominem, non fuisse Christianum. Fieri enim non potuisset, quin de emendando jure, abolendisque, quae paganam superstitionem sapiebant, serio cogitasset, ejusque rei

vestigia in ejus constitutionibus exstarent, si pio Christianorum coetui sese adjunxisset. Praeterea ludi saeculares, publice editi, sacraque sollemnia & superstitionis firma eo anno curata, cum religione Christiana minime omnium congruunt. Sed illam de Philippi Christianismo sententiam jam pridem profligarunt viri doctissimi, in quorum numero sunt Conr. Sam. Schurzfl. *Diss. de Philippis Augg.* §. III. *sequ.* Cellar. *de primo principe Christ.* H.

§. CCCXXVII.

Juriscon-
fulti huc
usque flo-
rentes.
Papiniani
origo.

Supereft, ut & IVRISCONSULTOS, qui a Commodi excessu ad haec usque tempora floruerunt, paucis persequamur. Eorum facile princeps fuit AEMILIVS PAPI-
NIANVS, quem vulgo Italum, Hostilii Papiniani & Eugeniae Gracilis filium fingunt, ob lapidem, descriptum a Grut. *Inscr.* p. CCCXLVIII, 8. Sed nihil veri ei lapidi inesse, ad quem tot viri docti offenderunt, praecclare ostendit V. C. Ev. Otto *in Papin. Cap. III.* qui eundem potius Syrophoenicem, & Juliae Domnae cognatum fuisse suspicatur. *

* Fundamentum hujus conjecturae est locus Spartiani *in Caracall. Cap. VIII.* ubi Papinianum *amicissimum fuisse*, ait, *Severo Imperatori, & ut alii loquuntur, ad finem etiam per secundam uxorem.* At secunda Severi uxor erat Julia Domna, cujus schema genealogicum supra (§. CCCXXIV. *) exhibuimus, ac proinde ejus cognatum fuisse oportet Papinianum. Ceterum fuit illa familia litterarum studiosissima, adeo ut Philostratus *in vit. Sophist. II, 30. p. 622.* Juliam Domnam vocet τὴν φιλόσοφον, & Antoninum Caracallam τὸν τῆς φιλοσοφίας παῖδα Γουλίας, *philosophae Juliae filium.*
Eam

Eam enim lectionem contra Jos. Scaligeri emendationem tuentur Thom. Reines. *Var. II*, 12. & Gottfrid. Olear. *in not. ad Philostr.* p. 622. De doctrina Juliae Domnae videndus etiam Aegid. Menag. *de mulier. philos. Cap. XVI.* H.

§. CCCXXVIII.

In Jurisprudentia praeceptorem habuit Cervidium Scaevolam: Spartian. *Caracall. Cap. VIII.* in eaque arte adeo profecit, ut omnes longo post se intervallo reliquerit. Zosim. *Hist. I*, 9. Hinc passim vocatur *juris asyllum & doctrinae legalis thesaurus*, Spartian. *in Severo Cap. XXI.* ὁ ἀειγιώτατος νομικῶν, *jurisconsultorum excellentissimus*, Theophil. §. 7. *Inst. de fideic. hered. legum armarium*, Cassiodor. *Var. VI*, 5. *acutissimi ingenii vir, & merito ante alios excellens*, l. 30. *C. de fideicomm.* & vix unquam a veteribus sine elogio nominatus: * tanto major profecto, quanto minus in aliorum verba juraverat, inter erciscundos, quos vocant, praecipuus. V. C. Ev. Otto *in Papin. Cap. XI.* §. 6.

Ejus doctrina.

* Ejus vero auctoritas tum in scholis juridicis, tum in foro maxima fuit. In illis tertio cursus juridici anno studiosi PAPIANISTARVM nomen non sine caerimoniarum adparatu adsumebant. *Const. omnem reip.* §. 1. 4. *ad antecessor.* In hoc inter Jctos, quorum scriptis Theodosius junior vim juris scripti attribuerat, Papiniano non solum primus locus datus, sed & id concessum est, ut paribus jurisconsultorum suffragiis, ea pars vinceret, cui suffragaretur Papinianus. l. un. *C. Theod. de respons. prud.* & ibi Jac. Gothofredus. H.

Honores
& scripta
ejus.

Quamvis vero vir ingenii eminentissimi in-
numēris paene negotiis distringeretur, quip-
pe sub Marco Imp. advocatus fisci, Spartian.
in Caracall. Cap. VIII. sub Severo libellorum
magister, *l. 12. pr. D. de distract. pign. ac*
paullo post praefectus praetorio, Xiphilin. lib.
LXXVI. p. 865. & p. 339. Edit. Steph. & Cara-
callae ac Getae, fratrum, totiusque imperii
tutor: Zosim. Histor. l. 9. non tamen impediri
se passus est, quo minus libros praestantissi-
mos scriberet, veluti *libros XXXVII. QVAE-*
STIONVM libros XIX. RESPONSORVM,
libros 11. DEFINITIONVM, porro *DE A-*
DVLTERIIS tum *libros 11.* in quibus singu-
la legis Juliae capita ordine exposuit, tum
alium *singularem*, de exercitatione hujus pu-
blici judicii. *l. 11. D. ad leg. Jul. de adult. Ev.*
Otto in Papinian. Cap. XII. p. 249. denique
librum ΑΣΤΥΝΟΜΙΚΩΝ, quo Aedilium municipi-
palium officia Graece explicavit. *l. un. D. de*
via publ. Otto Papin. Cap. IV. §. 3. Mascov.
*de sect. Procul. & Sabin. Cap. VIII. §. 6. n. 2.**

* Papinianum in libris suis aliquando variasse, ejus-
que variationis vestigia passim in *Pandectis* exsta-
re, ostendunt Jac. Cujac. *Obs. II, 37.* Merill.
Obs. I, 9. Idem Cujac. *Obs. XII, 10.* notat, Pa-
pinianum, Scaevolae praeceptoris exemplo saepe
repetere in libris *RESPONSORVM*, quae jam in
libris *QVAESTIONVM* scripserit. Sed non sane
novum est, in uno libro auctorem accuratius ex-
sequi illa, quae strictius in alio exposuerat. H.

§. CCCXXX.

Sed tantum fidus exstinxit Antonini Caracallae furor, qui quum Papiniani virtutem ferre non posset, ipse flagitiis omnibus contaminatus, eum non modo dignitate movit, simul ac pervenit ad imperium, Xiphilin. *Lib. LXXVII. pr.* sed & paullo post, parricidium, in Geta admissum, defendere recusantem, una cum filio, Quaestorio viro, nefarie interemit: quamvis ea de re non parum discrepent veterum historicorum sententiae. Saltim Papinianum tum non triginta sex, sed septuaginta aut plures annos natum fuisse, ostendit celeberrimus Otto *in Papinian. Cap. XVI. §. 9. **

Mors Papiniani.

* Ex quo patet, quam absouum sit, quod Gruter. *Inscr. p. CCCXXXVIII. n. 8.* exhibet Papiniani monumentum:

AEMILIO. PAVLLO. PAPINIANO.

. PRAEF. PRAET. IVR. CONS.

QVI. VIX. ANN. XXXVI. M. III. D. X.

HOSTILIVS. PAPINIANVS.

EVGENIA. GRACILIS.

TVRBATO. ORDINE. IN. SENIO.

HEV. PARENT. INFELICISS.

FILIO. OPTIMO. P. M.

FECERVNT.

Sed impostura haec aequae manifesta est, ac illud, quod urnae argentae inscriptum est, elogium apud Boldon. *in Diss. praelim. Epigr. fol. 2.* illi Gruteriano simillimum, nisi quod in hoc EVGENIA GRACILII VXOR vocatur. Sed causam jam perorarunt M. Aurel. Galvan. *de usufr. Cap. XIII. n. 11.* Reines. *prae. Inscr. p. 5.* & celeb. Otto *in Papin. Cap. XVI. §. 9. p. 397.* H.

D d 5 §. CCCXXXI.

§. CCCXXXI.

Tertullianus.

Progredimur ad TERTVLLIANVM, de quo praecipue quaeritur, sitne idem cum Q. SEPTIMIO FLORENTE TERTVLLIANO, qui inter Latinos ecclesiae patres primum locum tenet? Nam & hunc Eusebius *Hist. Eccl. II. 2.* τὸς Ῥωμαίων νόμους ἠκριβωκότα ἀνδρα, *virum jus Romanum accurate doctum* appellat, & ipsa patris istius opera magnam ubique juris peritiam produunt. Hinc eundem esse jurisconsultum nostrum & Tertullianum patrem, adfirmant Ant. Augustin. *de nom. propr. Pand. p. 139.* Cujac. *Observ. VII, 2.* Radulph. Forner. *rer. quotid. VI, 5.* Guil. Grot. *vit. jurisc. II, 9.* Sed si nihil aliud huic sententiae opponi posset: ipsum dicendi genus, a tumore patris ecclesiastici diversissimum, satis evinceret, diversos hos fuisse Tertullianos, quamvis & jurisprudentiae laude, & ipsa aetate suppare. * Menag. *Amoen. jur. civ. Cap. XII. p. 71.*

* Fatetur id & Guil. Cave *Antiqu. Patr. Tom. I. p. 396.* Sed fublestum est, quo utitur, argumentum, a diversitate nominum desumptum. Jurisconsultum enim nostrum TERTYLLIANVM; patrem ecclesiasticum TERTVLLIANVM dictum esse, ait: quasi non eadem essent haec nomina, nec sexcenta exstarent exempla permutationis litterarum. Sane quum Graeci dixerint *Sylla* pro *Sulla*, *Tyllius* pro *Tullius*, Latini *Suria* pro *Syria*: quidni & eodem jure scripserint *Tertyllianus* & *Tertullianus*? Immo & pater ecclesiae Τερτυλλιανὸς vocatur ab Eusebio *Hist. Eccl. II, 2.* H.

§. CCCXXXII.

§. CCCXXXII.

Uterque tamen, ut dixi, eodem tempore floruit. Ulpiano certe noster anterior est, quippe a quo citatur *l. 30. §. 6. D. de acqu. vel omitt. hereditat.* posterior vero SC. Tertulliano, quod sub Hadriano factum esse, diximus, ceu colligi potest ex *l. 2. §. 44. D. ad SC. Tertull.* Scripsit *libros VIII. QVAESTIONVM, & DE PECVLIO CASTRENSI librum singularem*, ex quo tria fragmenta supersunt in *Pandecte, l. 23. D. de test. mil. l. 33. D. eod. & l. 4. D. de castr. pecul.*

Ejus aetas
& scripta.

§. CCCXXXIII.

Minus celebres sunt CLAVDIVS TRYPHONINVS, Papiniani aequalis, quocum & cum MESSIO, nescio quo, in Severi & Antonini consilio fuit, * *l. 50. D. de jure fisci.* & praeter NOTAS AD SCAEVOLAM, ab Ant. Dadino Alteserra illustratas, *Tolos. 1679. libros non XXVI, uti putat Grot. in vit. jurisc. II, 9. sed XXI. tantum, DISPVTATIONVM scripsit: nec non ARRIVS MENANDER, Antonino Caracallae a consiliis, & hinc a tutela excusatus, l. 11. §. 2. D. de minor. quem libros IV. MILITARIVM, seu de RE MILITARI reliquisse novimus.*

Claudius
Tryphoninus &
Arrius
Menander.

* Est haec observatio Cujacii *Obs. VII, 2.* eaque firmatur ex *l. 78. §. 4. fin. D. de jure dot.* ubi ipse Tryphoninus se *in auditorio* aliquid dixisse refert, procul dubio in auditorio Papiniani, quod toties in jure celebratur. *l. 40. D. de reb. cred. l. 97. D. de acqu. vel omitt. hered.* Praeterea ad Claudium

dium Tryphoninum anno erae Dionys. CCXIII. rescripsit Antoninus Caracalla *l. 1. C. de Judaeis & coelic.* ex quo loco eum Syriae tum Praesidem fuisse colligit Guido Pancirol. *Var. Lect. I, 79. H.*

§. CCCXXXIV.

Sex. Peditus Puteolanus, Pactum ejus, Fronto & alii.

Incertae aetatis sunt SEX. PEDIUS, qui AD EDICTVM, tum PRAETORIVM, tum AEDILICIVM notasse, *librumque DE STIPVLATIONIBVS* scripsisse videtur: *l. 6. §. 2. D. de bon. possess. l. 6. D. de reb. cred. nec non PVTEOLANVS*, auctor ~~ADVERSA~~ ~~RIORVM~~, *l. 12. D. de pact. PACTVMEIVS CLEMENS*, citatus a Pomponio *l. 21. §. 1. D. de statulib. PAPIRIVS FRONTO*, cujus *RESPONSA* laudat Callistratus, *l. 4. fin. D. ad leg. Rhod. de jact. l. 220. §. 1. D. de verb. signif. FVRIVS ANTHIANVS*, auctor *librorum V. AD EDICTVM* *: denique *CLAVDIVS & Q. SATVRNINI, & RVTILIVS MAXIMVS*, de quibus tantum non omnia incerta sunt.

* Hic FVRII ANTHIANI Commentarius ne Triboniani quidem aetate integer videtur exstitisse. Ex solo enim *libro I.* fragmenta non nisi tria in *Pandecten* relata sunt. *l. 62. D. de pact. l. 40. D. de dolo mal. l. 80. D. de rei vind.* Praeterea auctorem habeo Laur. Theod. Gronovium *de Emend. Pandect. Cap. XXV. p. 81.* in Indice Florentino non, sicut in Taurelliana, legi μέγῃ ἐδίκτε βιβλία πέντε, sed μέγῃ ἐδίκτε βιβλίων πέντε. H.

§. CCCXXXV.

Domitii Ulpiani

A Papiniani celebritate parum abfuit DOMITIVS VLPIANVS, Tyrius Syrophoenix, *
l. 1.

l. i. pr. D. de censf. qui Romae jam sub Severo & Antonino inclarescere coepit, quo tempore inter Papiniani adfessores, scriniorumque magister, postea ab Elagabalo vel dignitatibus privatus vel in exilium missus, Lamprid. *Elagab. Cap. XVI.* hinc inter Alexandri consiliarios & Praefectus annonae fuit. Lamprid. *in Alex. Cap. XXVI. l. 4. C. de contr. stipulat.* Denique sub eodem principe ad summum praefecturae praetorianae fastigium adspiravit, ἐπιτηρώμων ἢ ὡσπερ κοινῶνός τῆς ἀρχῆς, *inspector & quasi particeps imperii*, uti vocatur Zosimo *Hist. I, 11.*

natales & honores.

* Sunt, qui ideo Hebraïsmos quosdam in Ulpiani stilo deprehendere sibi videntur. Sed quamvis loquutiones quasdam sibi peculiare habuerit, ceu recte observavit V. C. Car. Andr. Dukerus *de Latinitat. vet. jurisc. p. 322. § 392.* nihil tamen in ejus *Fragmentis* occurrere, quod Hebraïsmum redoleat, singulari programme de Hebraïsmis Ulpiani ostendimus. *Francof. 1730.* Multo certius est, plurimos Hellenismos, magnamque strigiliginem ejus stilo inesse: quod non mirandum in homine semigraeco, & qui cadente jam Latinitate scripsit. Erudite de ejus stilo differit V. A. Corn. van Bynkersh. *Obs. VIII, 15.* ubi & *l. 22. §. 7. 8. D. solut. matr.* quam Cujac. *ad l. 1. C. de dignit. § Donellus Comment. jur. civ. VIII, 2.* ob impurissimam Latinitatem non ab Ulpiani, sed Triboniani, manu esse existimant, accuratius expendit. H.

§. CCCXXXVI.

Quamvis vero tanta cum prudentia amplissimis muneribus fungeretur, ut dicere non vereatur Lamprid. *in Alex. Cap. LI. ideo Alexandrum*

Ejus mors.

drum

drum summum imperatorem fuisse, quod Ulpiani potissimum consiliis rexerit rempublicam, ac proinde principi suo esset carissimus, a quo non modo ut amicus, sed & parentis fere loco honorabatur: l. 4. C. de contrab. stipul. & l. 4. C. locat. cond. a militibus tamen praetorianis, ejus severitatem perosis, in ipso paene Imperatoris gremio est interemtus. Zosim. Hist. I, II. Xiphilin. Lib. LXXX. p. 917. & p. 374. Edit. Steph.*

* Auctor est Lamprid. in *Alex. Cap. LI.* Alexandrum Ulpianum pro tutore habuisse, primum repugnantem matre, deinde gratias agente, eumque saepe a militum ira objectu purpurae summae defendisse. Purpura enim sacrosancta habebatur & inviolabilis: Et hinc patet, cur & postrema vice, quum urgeretur a militibus, in palatium, & veluti in gremium principis, tanquam in portum confugerit. Ceterum causa odii a Xiphilino memoratur reformatio morum, sub Elagabalo corruptissimorum, quam Ulpianus urgebat, occisis simul Flaviano & Chresto, & quidem *ἢ αὐτὸς ἀπαθέηται*, ut illis succederet. Male id habuit Epagathum hominem libertinum, sed potentem, qui non desit sollicitare praetorianos ad seditionem, donec, obtruncata magna civium parte, injectoque urbi igne, Ulpianum etiam occiderent. At non impune id facinus tulit Epagathus, primum in Aegyptum sub honoris specie missus, quia periculum erat, ne a praesente sumtum supplicium milites ad novum tumultum incitaret, inde vero mox in Cretam revocatus, capitisque ibi, prout meruerat, damnatus. Refert haec omnia auctor *σύγγραμ.* Dio, a Xiphilino excerptus *Lib. LXXX. p. 917. & pag. 375. Edit. Steph.* quum reliqui scriptores paene omnia confundant, immo quidam sub Elagabalo obtruncatum esse Ulpianum perperam scribant. H. §. CCCXXXVII.

§. CCCXXXVII.

In jurisprudentia id, quod summum est, erat adsequutus, νομοθέτης αἰεὶ ὅ, καὶ τὸ παρὸν εἰ διαθῆναι, καὶ τὸ μέλλον εὐστόχως συνιδεῖν δύνασθαι, *jurisconsultus praestantissimus, qui & res praesentes recte disponere, & futura callide prospicere poterat*: Zosim. *Hist.* I, 11. Nulli sectae mancipatus, modo Sabino, & Cassio, modo Laeoni & reliquis Proculejanis suffragatur, ideoque eriscundis accensendus, ex sententia Mascovii *de Sectis Sabin. & Procul.* Cap. VIII. §. 7. n. 2. quamvis eum paullo addictiorem Proculo fuisse existimet V. C. Ev. Otto *in Papiniano Cap. XIII.* §. 9. p. 297. qui & §. 7. p. 288. observasse sibi visus est, eum saepe perstringere Papinianum, etiam ubi id minime mereatur, & §. 8. eundem argutari aliquando, * & cavillis uti, thermis Neronianis frigidioribus. Id quod tamen me nondum fateor deprehendisse.

* Eundem Ulpianum verborum novatorem esse, observat Jac. Gothofredus *Animadv. Cap. VIII.* Sed fallitur vir doctus, dum sequutus Cujacium *Observ.* XXIV, 39. jurisconsultum nostrum confundit cum Ulpiano, Sophista, quem κειτέκετον vel κειταπύκετον ob familiarem illi interrogationem: πῆ κειτα, ubi hoc habetur? dictum, & ob κενοφωνίαν saepe irrisum esse, refert Athenaeus *Deipnosoph.* III, 18. Diversus vero hic non minus est a nostro, quam Ulpianus, Demosthenis scholiastes, quamvis & ipse Tyrius Syrophoenix fuerit. Jo. Alb. Fabric. *Biblioth. Graec.* IV, 20, 6. p. 632. H.

§. CCCXXXVIII.

Opera
VLPIANI
majora.

Fragmenta ex scriptis Ulpiani plura, quam ex ullius veteris jurisconfulti, in *Pandectis* superfunt. Scripsit enim plurima, partim majora opera, partim mole exigua. In illorum numero sunt DIGESTORVM libri saltim XL. AD EDICTVM libri LXXXIII. AD LEGES IVLIAM ET PAPIAM POPPAEAM libri XX. AD SABINVM libri LI. AD LEGEM IVLIAM DE ADVLTERIIS libri V. DE APPELLATIONIBVS libri IV. DE CENSIBVS libri VI.* DISPVTATIONVM libri X. FIDEICOMMISSORVM libri VI. OPINIONVM libri VI. INSTITVTIONVM libri II. AD LEGEM AELIAM SENTIAM libri saltim IV. PANDECTARVM libri X. REGVLARVM libri VII. RESPONSORVM libri II. PROTRIBVNALIVM libri X. quorum de argumento videndus Cujac. *Obs. VII*, 23. DE OFFICIO COS. libri III. DE OFFICIO PROCOS. libri X.** denique AD EDICTVM AEDILIVM CVRVLIVM libri II.

* Tot occurrunt in Indice Florentin. sed ex libris tantum quinque apparent excerpta in Digestis, de quibus docte, suo more, differuit Jacob. Gothofred. in *Comment. ad leg. un. Cod. Theodos. de Jur. Ital. urbis Constantinopol.* R.

** Hos libros saepenumero in *Glossis* Philoxeni, non adscripto Ulpiani nomine, citari, observat Cujac. *Obs. X*, 34. Quamque Lactant. *Inst. div. V*, 15. referat, *Domitium libro VII. de officio procos.* (ita enim legendum est, non *libris VII.* Cujac. *Obs. X*, 34. Menag. *Annoenit. jur. civ.* Cap.

Cap. XII. p. 69.) multa principum rescripta contra Christianos collegisse: quaerunt eruditi, an de Ulpiano nostro loquatur Lactantius? Negant id multi, & nuper ex instituto V. C. Petrus de Toullieu, sed sine idoneo argumento. Christianis nostrum parum aequum fuisse, & aliunde patet. *l. 1. §. 3. D. de extraord. cognit.* Et scripsit Ulpianus hos libros sub Antonino Caracalla, ceu patet ex *l. 4. pr. l. 6. §. 3. D. de offic. procos. l. 6. D. de legation.* aliisque quamplurimis: sub quo principe durius actum esse cum Christianis, nemo ignorat. Et quis, quaeso, in pagano odium adversus Christianos susceptum miretur? Conf. V. A. Cornel. van Bynkersh. *Obs. V, 23. p. 127. & de relig. peregr. Diss. I. p. 241. H.*

§. CCCXXXIX.

Inter minora Ulpiani opuscula sunt DE OFFICIO QVAESTORIS libri sive II. sive *unus.* Merill. *Observ. II, 30.* nec non libri singulares DE OFFICIO CONSVLARIVM, CVRATORIS REIP.* PRAEFECTI VIGILVM, PRAEFECTI VRBI, PRAETORIS TVTELARIS, itemque DE EXCVSATIONIBVS & DE SPONSALIBVS. Accedunt NOTAE, quibus varia veterum jurisconsultorum, veluti ARISTONIS, PAPINIANI & MARCELLI opera vel illustravit vel reprehendit.**

Et minora.

* De hac municipali dignitate, lege, quae observavit Gothofredus *ad leg. 20. Cod. Theodos. de decurionib.* Patet ex fragmentis Ulpiani, quorum quinque tantum in Digestis sunt reliqua, idem munus *Curatores reipublicae*, aut *civitatum* obisse, quod Romae Aediles. R.

** Notas Ulpiani ad Papinianum saepe fuisse *κατα-*

οικουασινος, observat V. C. Ev. Otto in *Papinian. Cap. XIII. §. 6. sequ.* Idem de Notis in Marcellum statuit Merill. *Observ. I, 28.* Quum enim Marcellus notas scripserit ad Julianum, in quibus ejus sententias quacumque ratione cavillaverat ac reprehenderat, Merillius credit, Ulpianum, Marcello indignatum, par pari retulisse. Sed conjectura haec est, quam in *l. 14. D. de reb. cred.* quam Merillius ad partes vocat, parum praesidii reperire, facile unusquisque animadvertet. H.

§. CCCXL.

Julii Pauli patria & honores.

Suppar aetate ejusdemque vir dignitatis fuit IVLIVS PAVLLVS, quem Bartachinus & alii, Patavinum; Jo. Bertrandus, Tyrium; Hotomanus & Marcilius, Graeculum; Laur. Pignorius *opusculo singulari, & Epist. symbolic. I, 41.* Romanum fuisse contendunt, argumentis parum idoneis subnixi. Eosdem fere, ac Ulpianus, honores gessit, quippe Severi consiliarius, *l. ult. D. de jure fisci. l. 97. D. de adquir. vel omitt. hered.* nec non Antonini Caracallae, *l. 38. D. de minor.* ab Elagabalo in exilium actus*, patriaeque redditus ab Alexandro Imp. Aurel. Victor *Cap. XXIV.* Fuit etiam inter Papiniani adseffores, *l. 40. D. de reb. cred.* demum sub Alexandro praefectus praetorio. Lamprid. *Alex. Cap. XXVI.*

* Ejus rei non meminit Lamprid. in *Elagabal. Cap. XVI.* sed Ulpianum tantum ab Imperatore, ut virum bonum, remotum esse, refert. Hinc vereor, ne hic duos Jctos confuderit Aurelius Victor. Sane Elagabalum Imp. generum habuisse videtur Paullus noster, data ei in matrimonium parum auspiciatum filia, IVLIA CORNELIA PAVL-

PAVLLA, quam γυναῖκα ἐν ἄλλοις ἀτλῶ, *illustrissimam feminam* vocat Herodian. *Histor. V, 6.* cujusque numos exhibet Vaillant. *de numisim. Imp. p. 137. § 263. H.*

§. CCCXLI.

Hic quoque *jurisperitissimus* a Lampridio in *Alex. Cap. LXVIII.* & cum Scaevola & Ulpiano *legum prudentum coryphaeus* a Modestino, *l. 13. §. 2. D. de excusat.* adpellatur. Sabinianum eum fuisse, credit Ev. Otto in *Papinian. Cap. XIII. §. 9.* erciscundis accenset Mascov. *de sectis Sabin. & Procul. Cap. VIII. §. 8. n. 2.* Id vero omnes fere observant, eum carpendi studio maximorum virorum doctrinas non sine acerbitate perstringere, Balduin. *Jurispr. Muc. p. 299.* Petr. Faber *ad l. 145. D. de reg. jur.* Ev. Otto *ibid. p. 294. sequ.* Mascov. *ibid. p. 144.* & ab Ulpiano in primis & Papiniano frequenter dissentire: Merill. *Observ. I, 33.* quamvis, quae de Ulpiani & Paulli aemulatione vulgo jactantur, non adeo certa videantur V. A. Corn. van Bynkersh. *ad l. lecta Cap. XIII. p. 89.* Denique subtilitatum studiosissimum, ut subinde σκοτεινὸν, & obscurum eum vocat Duaren. *ad l. 132. D. de verb. sign. suscipiente* & hic ejus patrocinium laudatissimo Bynkershoekio *ibid. p. 55.*

Ejus jurisprudentia.

§. CCCXLII.

Indicem operum bene longum texit in- Ejus opera.
dex Florentinus, quem hic exscribere tae-
det.* Fuit enim noster jurisconsultorum
πολυγράφωτατῶν. Observasse ergo hic tantum

juvabit, ne omnes quidem Paulli libros in indice isto reperiri, sed in eo desiderari *libros II.* AD EDICTVM AEDILIVM CVRVLIVM, *libros saltim quinque* EPITOMARVM, seu EPITOMATORVM ALFENI DIGESTORVM, DE IVRE FISCO tum *libros II.* tum *librum singularem*, DE CENSIBVS *libros IV***, *libellos item singulares* DE LIBERALI CAVSSA, DE ARTICVLIS LIBERALIS CAVSSAE, nec non DE ASSIGNATIONE LIBERTORVM, DE COGNITIONIBVS, DE CONCEPTIONE FORMVLARVM, DE DOTIS REPETITIONE, DE FORMA TESTAMENTI, AD LEGEM FVSIAM CANINIAM, DE OFFICIO ADSESSORVM, DE OFFICIO COS. AD ORATIONEM D. ANTONINI ET COMMODI, AD SC. LIBONIANVM, & DE VARIIS LECTIONIBVS. Denique NOTAS ad IVLIANVM, SCAEVOLAM, & PAPINIANI tum *Quaestiones*, tum *Responſa*.

* Exſtiterunt PAVLLI opera & opuscula ultra no-naginta, quorum tamen quaedam brevissima fu-isse videntur. Habuit sane vir doctus *librum* PAVLLI *de gradibus*, quem non multo prolixiorem fu-isse, quam *l. 10. D. de grad. § ad fin.* testatur Cujac. *Obs. VI*, 40. Quales fuerint PAVLLI *libri Decretorum*, disquirunt Cujac. *Obs. II*, 26. & Merill. *Obs. II*, 26. quales *libri ad Plautium & ad Labeonis libros πειθαυων*, Corn. van Bynkershoek *Obs. II*, 18. *III*, 6. § 12. qui alibi & *de libris Quaestionum* differit ad *l. lecta Cap. I. §. 3.* Ad Paulli *libros Manualium* *librum Differentiarum*

rum singularem edidit Em. Merillius *Parif.* 1638. 8. Denique Paullum non *de feptemviralibus*, fed *de centumviralibus judiciis* fcripfilfe, jam alii obfervarunt. Jo. Frid. Gronov. *Obj.* IV, 2. Ita plura monere liceret de PAVLLI libris, nifi admoneret promiffae brevitatis fides, quando omnia tranfcurfu dicenda fint. H.

** Hos libros ego investigare non potui. Index Florentinus habet, *de Cenfibus βιβλία δύο*. Et, τὸ αὐτὸ μονοβιβλία. Wieling. *Jurisprud. Reftit.* in *Indice Jctor.* p. LXXXVII. producit, *de Cenfibus Lib. IV.* Sed pag. 207. unicum tantum occurrit fragmentum *ex libro II.* Unde igitur probabimus, *libros IV.* exftitiffe? Wielingii tamen auctoritatem Heineccius fecutus eft. R.

§. CCCXLIII.

Iisdem temporibus & CALLISTRATVS Callistratus. floruit, quippe qui Severum & Antoninum Caracallam Imperatores fuos vocat, *l. 2. §. 6. D. de jure fifci. l. 38. D. de legib. l. 3. §. ult. D. de offic. Proc. Caef.* Plura de eo fere ignoramus. Nam locus Lampridii, in quo Papiniani difcipulis, & confiliariis Alexandri Severi adnumeratur, tam corruptus eft, ut ei fidem habere non liceat. Scripfit COGNITIONVM vel de COGNITIONIBVS *libros fex*, EDICTI MONITORII *libros totidem*, quos ego ad ordinem edicti perpetui compositos fuiife, obfervavi. INSTITVTIONVM *libros tres*, DE IVRIBVS FISCO ET POPVLI *libros quatuor*, denique *libros II. QVAESTIONVM.*

§. CCCXLIV.

Aelius
Marcia-
nus.

Sed & AELIVS MARCIANVS Alexandri Severi tempora attigit *, Jac. Gothofr. *de Cenotaph. p. 330.* quippe qui Antoninum Caracallam Divum vocat, *l. 11. §. 3. 4. D. de muner. & honor. & ab Alexandro Imp. rescripto videtur honoratus. l. 4. C. ne de statu def. Fuit & ipse adfessor, five Papiniani, five Ulpiani, l. 1. fin. D. ne de statu def. & quod ad jurisprudentiae studia attinet, inter JCTos erciscundos refertur a V. C. Ev. Ottone in *Papiniano Cap. XIII. §. 9. p. 298.**

* Diverfus itaque est ab eo *Aelio Marciano*, non *Aurelio*, uti est apud *Pariatorem legum Mosaic. & Rom. tit. III. §. 3.* qui sub D. Pio Baeticae proconsul fuit, & ad quem hujus principis resciptum exitat §. 2. *Inst. & l. 2. D. de his, qui sunt sui vel al. jur.* Quum ergo & jurisconsultus noster AELIVS vocetur §. 1. *Inst. de L. Aquil.* probabile est, hunc illius filium fuisse. Ad eundem jurisconsultum nostrum pertinere videtur resciptum Alexandri Severi, *l. 6. C. de procurat.* immo & Gordiani fortassis, *l. 4. C. de fide instrum. H.*

§. CCCXLV.

Ejus scri-
pta.

Scriptit DE ADPELLATIONIBVS *li-
bros 11. INSTITVTIONVM libros XVI.* in
quibus, observante Jac. Gothofredo *de Ce-
notaph. p. 330. Tomo III. Thesaur. jur. civ.* id
potissimum, quod in ipsis obtinuit rerum ar-
gumentis, diligentius proposuit, REGVLA-
RVM *libros V. PVBLICORVM libros 11. DI-
GESTO-*

GESTORVM *libros VII.* Porro *libros singulares* DE DELATORIBVS, AD HYPOTHECARIAM FORMVLAM, & ad SC. TVRPILLIANVM; denique NOTAS AD PAPINIANI *libros de adulteriis*, quas eum non interpretationis, sed reprehensionis causa scripsisse, post Franc. Raguellum ad *l. i. C. de vet. jur. enucl.* observat V. C. Ev. Otto in *Papiniano Cap. XIII. §. 6. & 9. p. 285. & 298.*

§. CCCXLVI.

Nullum quoque dubium est, quin ejusdem aetatis fuerit FLORENTINVS, cujus exstiterunt INSTITVTIONVM *libri XII.* stilo non vulgari scripti. Videtur hic idem esse Florentinus, cui rescripsit Alexander Imp. *L. 8. C. de inoffic. test.* Nec aliorum temporum fuit VENVLEIVS SATVRNINVS, cui rescripsisse videmus & Caracallam, *l. i. C. quib. non objic. long. temp. praescr. & Alexandrum l. i. C. de excusat. veteran.* Reliquit is ACTIONVM *libros X* DISPVATIONVM *libros VII.* INTERDICTORVM *libros VI.* DE OFFICIO PROCOS. *libros IV.* DE POENIS PAGANORVM *librum singularem.* PVBLICORVM *libros II.* & STIPVLATIONVM *libros XIX.* σύγχρονον his fuisse LICINIVM RVFINVM, vel id argumento est, quod cum Paullo instituit litterarum commercium. *l. 4. D. quib. ad libert. procl. non lic.* Scripsit REGVLARVM *libros saltim XIII.* si recte se habet inscriptio *l. 34. D. de re jud.* De

Florentinus, Venulejus Saturninus, & Licinius Rufinus.

aliis ejus operibus nihil compertum habemus.*

* Eidem Licinio Rufino vulgo tribuunt COLLATIONEM LEGVM MOSAICARVM ET ROMANARVM a Petro Pithoeo primum editam anno MDLXXII. & postea faepius, & praecipue in V. C. Antonii Schultingii *Jurisprud. vet. antejustin.* p. 727. *sequ.* reculam: sed non alio argumento, quam quod Jo. Tilius narrare solitus sit Petro Pithoeo, habuisse se aliquando ejus operis fragmenta pauca, quae ipse LICINIO RVFINO tribuerit. Quamvis vero ipse Pithoeus nescire se fateatur, cur ita senserit Tilius: aliis tamen illa Tilius conjectura tam visa est probabilis, ut ideo Licinium Christianum fuisse censerent, non modo Jo. Bertrandus, sed & ipse Cujac. *Observ.* VII, 2. Vid. Menag. *Annoen. jur. civ. Cap. VII.* p. 37. Enimvero quum hic *Pariator legum Mos. & Roman.* non modo ex *Codice Hermogeniano & Gregoriano*, verum etiam ex ipso *Theodosiano* constitutiones quasdam descripserit: *Tit. V. §. 3.* oportuit illum saltim non ante Theodosii junioris tempora, & annum CCCCLXXXVIII. quo *Codex Theodosianus* prodiit, vixisse. Immo sunt argumenta, quae auctorem illum saeculo demum sexto animum ad scribendum adpulisse persuadent. Vid. Jac. Gothofr. *proleg. Cod. Theod. Cap. III. & Manual. Jur. II,* 10. Manifestum itaque est, operis istius fragmenta Licinio Rufino, saeculi tertii jurisconsulto, absurdissime tribui. H.

§. CCCXLVII.

Aemilius
Macer.

Eandem aetatem prodidit AEMILIUS MACER, dum non modo Ulpianum & Paulum faepius citat, *l. 68. D. ad leg. Falcid. l. 13. §. 5. D. de re milit.* sed & Alexandrum Seve-

rum

Pithoeo: notae au...
1656. — Van Vondt observat.
criticis in Collat. etc.
Vouhof observat. Juris rom.
— Transmissit etc. et observat.
— Pariatorum etc.

rum suum Imp. vocat. *l. 1. pr. D. si pendent. adpellat.* Accedit, quod ad eum rescripisse videtur Alexander *l. 3. C. de calumn. Guid. Pancirol. Var Lect. 1, 79. Reliquit libros 11. MILITARIVM, totidemque PVBLICORVM**, *libros* item DE OFFICIO PRAESIDIS, ΕΙΚΟΣΤΩΝ seu DE VICESIMA HEREDITATIS & DE ADPELLATIONIBVS. Perperam ipsi tribuitur opus ΟΡΝΙΘΟΓΟΝΙΑΣ, cujus Diomed. *Lib. 1.* meminit. Illud enim alii Aemilio Macro, aevi Augustei poëtae deberi, ostendit Broukhuf. *ad Tibull. 11, 6.*

**) Lecti a Macrum de publicis judicij.*

* PVBLICORVM *libros* praeter Aemilium Macrum nostrum scripserunt Marcianus, Venulejus & Volusius Maecianus. Ea vero inscriptio nihil aliud significat, quam illa PAVLLI *de publicis judiciis, ex quo libello deceptae sunt l. 6. D. de praev. ricat. l. 8. D. de publ. jud. l. 7. D. ad leg. Corn. de sicar. l. 9. D. ad leg. Jul. peculat.* Sane, si inter se contendas omnia fragmenta, quae ex tot auctorum *libris publicorum* in *Pandectas* relata sunt, ne unum quidem, quod non ad crimina, publicaue judicia pertineat, reperies. H.

§. CCCXLVIII.

HERENNIVM MODESTINVM ab Ulpiano esse eruditum, satis constat ex *l. 52. §. 20. D. de furt.* quamvis ex eo loco vix probetur, eum gente Dalmatam fuisse. Sub Alexandro Imp anno V. C. DCCCCLXXIX. cum Falto Restitutiano controversiam, decem & octo annos inter magistros fontium & fullones agitatam, decidit. * Fabrett. *Inscript. p. 278.* Post Alexandri excessum Maximinum

Hereñius Modestinus.

juniolem in jurisprudentia instituit. Jul. Capitolin. *Maximin. Jan. Cap. 1.* Porro de jure eum respondisse comperio sub Gordiano, a quo *non contemnendae auctoritatis jurisconsultus* vocatur. *l. 5. C. ad exhib.* Legalia se Graecorum voce enarrasse, ipse profitetur in *l. 1. §. 1. D. de excus.* At in Latinis quoque ejus operibus Graecismos passim reperit Merill. *Obs. III, 33.* Aequitatem, modestiam, prudentiamque Modestini pro meritis laudat V. A. Brenemann. in *Modestin. Heuremat. Cap. 1. §. 18.*

- * Prolixum est illud marmor, ad aggerem Servii pone ecclesiam S. Antonii Abbatis in Exquiliis repertum, ex quo patet, fullones, quum aquae usum sine pensione exigerent, Aelium Florianum Magistrum existimasse, debere fullones probare, *hoc ex sacra auctoritate descendere, ut pensiones non dependerentur.* Replicasse porro fullones, *se quibuscumque rationibus posse ostendere, hoc ex sacra auctoritate observari, & hodie, & ex eo tempore, ex quo Augustus rempublicam obtinere coeperit, usque in hodiernum diem nunquam haec loca pensiones pensitasse.* Demum sententia pro fullonibus lata, & pensiones exigi prohibitum est. ACTVM IIII IDVS MAR. ANN. . . VO. VICTORIAM PERCEPIMVS. LITIGATVM EST EX ALEXANDRI AVG. II ET MARCELLI II COS. IN PEREGRINI ET AEMILIANI COS. DIES. id est, ab anno Christi CCXXVI, ad ann. CCXLIV. H.

§. CCCXLIX.

Ejus scripta.

Scriptis Modestinus praeter HEVREMATICA, a Joanne Schiltero & Henr. Brenmanno illustrata, de quorum materia praeter lau-

laudatos scriptores Jac. Cujac. *Obs. XII*, 32. & Merill. *Obs. VII*, 34. DIFFERENTIARVM i. e. diversarum partium libros IX. EXCVSATIONVM libros VI. Graece adornatos, quorum fragmenta erudite exposuit Ant. Augustinus; porro REGVLARVM libros X, RESPONSORVM libros XIX, PANDECTARVM libros XII, quos definitiones tantum complexos esse putat Merill. *Obs. VIII*, 32. DE POENIS libros IV. AD Q. MUCIVM libros saltim XXXI. denique & libros singulares DE DOTIS DIFFERENTIA, DE CASIBVS ENVCLEATIS, quos de novo enucleavit V. C. Jo. Florens Rivinus, *Diss. edita Lips. 1727*. DE INOFFICIOSO TESTAMENTO, DE LEGATIS ET FIDEICOMMISSIS, DE MANVMSSIONIBVS, DE PRAESCRIPTIONIBVS, DE RITV NVPTIARVM, & DE TESTAMENTIS.*

* Eidem Modestino periochas, Virgillii Maronis libris praemissas, tribuunt Scip. Gentil. *Parerg. II*, 31. ipseque Jo. Alb. Fabricius *Biblioth. Lat. I*, 12. p. 207. Sed eas grammatici cujusdam inferioris aevi esse, cum ipsae illae periochae produnt, tum praefatio, in qua se Nafonem vocat ille Modestinus. Vid. *Catalecta Virgil. p. 143. edit. Scalig. H.*

§. CCCL.

Ex eo tempore fere obmutuerunt jurisconsultorum oracula, cessim & retro paulatim collabente jurisprudentia. Qui enim deinceps inclaruerunt, cujusmodi haud pauci

memo- oracula.

memorantur, nudam docendi profitendique provinciam Beryti, Romae ac Constantino- poli pro virili ornarunt, non accessione ulla locupletarunt jurisprudentiam. Jac. Gothofred. *Manual. jur. p. 26. sequ.* Illuxerunt quidem multo post HERMOGENIANI, AVRELII ARCADII CHARISII, & , uti quibusdam videtur, IVLII AQVILAE ingenia, quae & lucubrationibus suis sibi famam pepererunt: sed vel ipsa operum fragmenta ostendunt, eos viros doctos non adspirasse ad Veterum gloriam, nec cum his ulla ex parte esse comparandos.

§. CCCLI.

Status ju-
ris Rom.
sub infe-
quenti-
bus Imp.

Sed &, qui Gordianum & Philippos sequuti sunt, Imperatores vel breve habuerunt imperium, vel inter arma & perpetuas turbas vix cogitare de legibus poverunt. Exstant tamen constitutiones CN. MESSII TRAIANI DECII, C. VIBII TREBONIANI GALLI & C. VIBII VOLVSIANI, P. LICINII VALERIANI & P. LICINII GALLIENI, M. AVRELII CLAVDII, L. DOMITII AVRELIANI, M. AVRELII PROBI, M. AVRELII CARI & M. AVRELII CARINI, qui ab anno erae Dionys. CCXLIX. ad ann. CCLXXXIV. imperarunt: * sed earum plerisque non tam novi quid constitui, quam jura constituta speciebus obvenientibus adplicari, animadvertimus.

* Has constitutiones ordine chronologico disposuit, & ad

& ad suos quamque annos & Coss. retulit Petr. Reland. *in Fast. Consular.* p. 210. *sequ.* Et DE-
 CII quidem constitutiones reperies l. 2. C. de
hered. act. l. 2. C. *ubi caus.* stat. l. 3. C. de ad-
quir. vel amitt. poss. l. 9. C. de *jur. dot.* l. 4. C.
 de *jure delib.* l. 3. C. de *legitim. her.* l. 3. C. de
donat. rescriptum GALLI & VOLVSIANI, l. 16.
 C. de *negot. gest. VALERIANI & GALLIENI,* l.
 2. C. de *advoc. fisc.* l. 6. C. de *restit. mil.* l. 3. C.
 de *testib.* l. 13. C. de *testam. mil.* l. 5. C. de *te-*
stam. l. 14. C. de *fideicom. l.* 11. C. de *transact.* l.
 2. C. de *inoff. donat.* l. 2. C. *quemadm. test. aperian-*
tur. l. 15. C. de *fideic.* l. 16. C. *ad leg. Jul. de*
adult. & alias plurimas. CLAUDII, l. 6. C. de
serv. & aqu. l. 2. C. de *divers. rescript.* AVRE-
 LIANI, l. 1. C. de *his, qui ven. act. impetr.*
 PROBI, l. 2. C. de *revoc. don.* l. 1. C. *ut nem. lic.*
sine jud. auct. sign. reb. l. 4. C. de *Donat.* CA-
 RI denique & CARINI, l. 9. C. de *rei vind.* l. 4.
 C. de *test.* l. 6. l. 7. C. de *praed. & al. reb. min.*
non al. l. 16. C. de *fideic.* l. 4. C. *in quib. caus.*
pign. vel hypoth. tac. l. 4. C. de *calumniat.* l. 2.
 C. de *recept. arb.* l. 6. C. de *sent. & interloqu.*
 l. 5. C. *quand. prov. non est necess.* CARINI &
 NUMERIANI, l. 19. C. *ex quib. caus. infam.*
irrog. l. 17. de *inoff. test.* l. 2. C. de *divid. tutel.*
 l. 5. C. de *donat.* l. 3. C. de *revoc. donat.* l. 9.
 C. *ad leg. Corn. de fals.* H.

§. CCCLII.

Soli ergo DIOCLETIANVS, MAXIMIA-
 NVS, & reliqui imperii confortes plures e-
 diderunt constitutiones, quibus & emenda-
 runt veterem jurisprudentiam, & nova non
 pauca sanxerunt. Quamvis enim utriusque
 vita multis dicatur polluta flagitiis, neque il-
 lis parcant scriptores Christiani, quos dete-
 standam

In primis
 sub Dio-
 cletiano
 & collegis
 ac succes-
 soribus.

standa illa laniena offenderant: fatendum tamen est, DIOCLETIANVM saltim, si ab illa truculentia adversus Christianos discesseris, non male meritum esse de republica, & multis eam institutis praeclaris ornasse. At ejus vestigiis non intiterunt GALERIVS MAXIMIANVS, & reliqui collegae, quorum sub principatu *extinctam esse eloquentiam, caussidicos sublato, jurisconsultos aut necatos, aut relegatos*, conqueritur Lactantius de *mort. persecut. Cap. XXII. **

* Divisum tunc temporis fuit imperium. Ut igitur leges Codicis intelligantur facilius, notandus locus Victoris de *Caesarib. c. 39. Cuncta quae trans Alpes Galliae sunt CONSTANTIO commissa: Africa Italiaque HERCVLIO (Maximiano): Illyricique ora ad usque Ponti fretum GALERIO (Maximiano): caetera VALERIVS (Diocletianus) retentavit. Tenuerunt itaque Augusti, Diocletianus & Maximianus Herculus, Orientem, Africam, Italiamque cum insulis. Caesaribus autem, Constantio Chloro, & Galerio Maximiano, cesserunt Gallia, Hispania, Britannia, & Illyricum. Haec provinciarum Romani imperii divisio dedit originem quatuor Praefecturis, quas Constantinus M. instituit. Eadem etiam magnam attulit Juri Italico mutationem. Ita enim scribit Victor l. c. *Hinc denique parti Italiae investum tributorum ingens malum. Nam cum omnis eadem functione, moderataque ageret, quo exercitus atque Imperator (Maximianus Herculus) qui semper, aut maxima parte aderant, ali possent; pensionibus inducta lex nova. Nam demonstratum est a Gothofredo in Commentar. ad tit. Cod. Theodos. de jur. Ital. urb. Constantinop. & post eum accuratius a Spanhemio in Orb. Rom. exercit. II. c. 19. partem**

tem juris Italiçi nobilissimam, fuisse immunitatem a censu capitæ atque foli. Attendendum ad eam quoque imperii Romani divisionem, quæ facta est, cum in *Constantium Chlorum* atque *Galerium Maximianum* summa potestas transferretur, ponentibus purpuram Diocletiano & Maximiano Herculio. Vid. laudatus Victor *cap.* 40. R.

C A P. V.

DE STATV IVRIS ROM. A CONSTANT.
M. AD IVSTINIANVM IMP.

§. CCCLIII.

EX quo Christianæ veritatis lumen in orbe Romano resplenduit, eoque collustratus CONSTANTINVS M. paganam superstitionem deseruit: (quod initio sæculi quarti factum esse novimus,) hi dies aliam vitam, alios mores postulare visi sunt. Hinc permulta in jurisprudentia mutavit Constantinus M.* quæ accurate ac erudite exposuit Franc. Balduinus in *Constantino M. tum Halæ anno MDCCXXVII*, tum nuper *Tomo I. Jurispr. Romanae & Atticae p. 559. sequ.* recuso, quocum jungendus Jac. Gothofred. in *Commentar. ad Codic. Theodos.* in quo Constantini leges utramque facere paginam novimus.

Constantinus M. plurima in jure innovavit.

de Gerbo
in Gerbo
indivisiibile p. 76

* Jure ergo inter præcipuos legislatores locum sibi vindicat CONSTANTINVS, quem ideo maxime laudat Nazarius in *Panegyri. Cap. XXXVIII. quod novas leges regendis moribus, & frangendis vitiis constituerit, veterum calumniosas ambages resciderit, hosque captandæ simplicitatis laqueos perdi-*

perdiderit. Similia observant Euseb. *in vit. Constant. M. Lib. II. cap. 30.* & auctor incertus *panegyrici, Constantino Aug. dicti. Cap. IV.* Laurentius Patarolus *in Notis ad veterum auct. Orat. panegyrici. p. 299.* huc refert elegantem Constantini numum, in quo sistitur ara, cui insidet noctua, ex transverso hastile quoddam, e cujus una parte clypeus, ex altera cassis propendet, cum lemmate: SAPIENTIA PRINCIPIS. Sunt enim haec symbola Minervae, adeoque sapientiae, in primis legislatoriae. H.

§. CCCLIV.

Exempla
novorum
jurium a
Constantino M.
reperto-
rum

Ad haec jura nova, Constantini M. editis invec̄ta, merito retuleris, quod ecclesiis per ultimam voluntatem, quantumcumque cuique libuerit, relinqui permisit: *l. 1. C. de sacrosanct. eccl.* quod ludos gladiatorios sustulit: *l. un. C. de gladiat.* * quod artium professores immunitate donavit: *l. 6. C. de profess. & medic.* quod diem solis rite, nec tamen tam superstitiose celebrari voluit, ut agricolis non indulgerentur operae necessariae: *l. 3. C. de feriis.* quod servos bovesque aratores pignori capi; *l. 7. C. quae res pign. obl. poss.* concubinasque plures una haberi vetuit: ** *l. un. C. de concubin.* denique quod liberos non nisi sanguinolentos ob famem distrahi passus est, *l. 2. C. de patr. qui lib. distrax.* quamvis & eam facultatem postea, constitutis e publico alimentis, parentibus ademerit. *l. 1. & l. 2. C. Theod. de alim. quae par. ex publ. pet. deb.*

* Sed eos non prohibuit in toto orbe Romano, quod sibi multi persuadent; verum in Orientis tantum quibusdam provinciis, ut bene monet

Gothofredus *ad leg. 1. Cod. Theodos. de gladiatoribus*. Nam post eam legem ludi gladiatorii Antiochiae facti sunt, quorum meminit Libanius *de vita sua pag. 3. Edit. Morell.* & in Italia, Romaeque potissimum, gladiatoria munera postea temporis sunt edita, ut docent Ambrosius *Lib. II. Officior. c. 21. & l. 2. 3. Cod. Th. de gladiator*. Imo Romae demum an. Ch. 404. Honorio imperante, cessarunt cruenta illa spectacula, teste Theodoretio *Lib. V. c. 26. R.*

** Sunt, qui mirantur, concubinatum non plane sublatum esse a Constantino M. principe Christiano, & qui plures leges saluberrimas de re matrimoniali promulgarat. Sed impares adhuc fuisse leges communi huic vitio, & satis tamen multa sanxisse Constantinum, quibus concubinatus indirecte subrueretur, ostendimus in *Comment. ad leg. Jul. & Pap. Popp. Lib. II. Cap. 4. pag. 173. H.*

§. CCCLV.

Idem Constantinus bona liberorum materna ita esse in potestate patrum voluit, ut fruendi tantum haberent facultatem, dominio eorum ad liberos pertinente: *l. 1. C. de bon. matern.* quamvis ideo peculium adventitium non invexisse Constantinus, sed multo prius Imperatores liberis tale jus concessisse videantur.* Sed & equis consuluit, cursui publico destinatis, quos fustibus contundi vetuit. *l. 1. C. de curs. publ.* Denique & tacitam hypothecam pupillis in bonis tutorum concessisse legitur. *l. 20. C. de administr. tut.*

Alia ejus generis exempla.

Leges de ingruis

* Est haec observatio jurisconsulti eximii, M. Aurel. Galvani *de Usufr. Cap. VII. p. 57.* Hic enim docet, primum Jctos introduxisse differen-

tiam dotis profectitiae & adventitiae: *l. 5. D. de jure dot.* Ulpian. *Fragm. VI, 3.* Sic primum coepisse filiamfamilias aliquid proprium habere, nempe dotem adventitiam. Deinde Hadrianum Imp. filio concessisse facultatem statim repetendi a patre fideicommissum, quod ipse dissipare coepisset, *l. 50. D. ad SC. Trebellian.* quod denuo fuerit adventitium, quia profectitium non videretur, quod a patre invito & coacto proveniret. *l. 5. §. 9. D. de jure dot.* Mox Jctos, argumento hujus constitutionis induxisse, ut si pater institutus, & rogatus filio restituere nolit, filius possit per magistratum cogere patrem, ad aditionem & restitutionem. *l. 16. §. 11. D. ad SC. Trebellian.* Sed & Antoninum Pium rescripsisse, ut filius furiosi delatam sibi successionem haberet, non obstante patria potestate. *l. 52. pr. D. de acqu. vel omitt. hered.* Denique Constantinum M. hoc jus filii ad bona materna; *l. 1. C. de bon. mat.* Theodosium & Valentinianum ad lucra nuptialia; *l. 1. C. de bon. quae lib.* Leonem & Anthemium ad lucra sponsalitia; *l. 5. C. eod.* denique Justinianum ad omnia adventitia porrexisse. *l. 6. C. eod. H.*

§. CCCLVI.

Iterum
alia.

Praeterea Constantinus M. SC. de rebus minorum sine decreto non alienandis ad urbana etiam praedia produxit*: *l. 22. C. de adm. tut.* & novas edidit constitutiones de actione ex donatione danda, *l. 25. C. de donat.* de divisione paterna a liberis servanda, *l. ult. C. fam. ercisc.* de querela inofficiosi testamenti fratribus & sororibus germanis & consanguineis non concedenda, nisi instituta turpi persona, *l. 27. C. de inoffic. test.* de testibus jure jurando obstringendis, nec fide aliter iis habenda, *l. 9.*

C. de

Stron de rabel test
l. 27. C. de inoffic. test.

C. de testib. de carcere in poenam non habendo, *l. i. C. de custod. reor.* pluresque ejusdem generis alias.

* Quin singularem eam ob rem constituisse videtur PRAETOREM, qui ideo CONSTANTINIANVS vocatur in *l. ult. C. de praed. § al. reb. min.* cuiusque in eo constitit officium, ut in distractione rerum minorum decretum causa cognita interponeret. Immo tunc quoque partes suas interponere hunc Praetorem iussit, si propter debita fiscalia pupillorum vel minorum res immobiles distrahendae sint, quamvis necessaria esset haec distractio. Vid. Balduin. *in Constant. M. p. 177. H.*

§. CCCLVII.

Revixit ergo quodammodo sub Constantino M. Romana jurisprudentia: & hinc post tantum temporis intervallum & jurisconsulti quidam tunc doctrinae laude florere coeperunt, quorum veluti coryphaeus fuit HERMOGENIANVS. Celeberrima iis temporibus fuit Hermogenianorum familia potentissimae Aniciorum genti arcto cognationis vinculo conjuncta, de qua docte differit Reines. *ad Inscr. p. 70.* Jurisconsultum nostrum & post Constantinum, & sub ejus liberis floruisse, ex eo intelligimus, quod *l. 17. D. de min.* meminit praefectorum praetorio, a quibus adpellari non possit: quod privilegium de non adpellando praefectis anno demum Christi CCCXXXI. datum est. *l. 16. C. Theod. de adpellat.* Itaque non mirandum, eum non semel novis ac parum Latinis vocabulis usum esse. Jac. Gothofred. *Prolegom. Cod. Theodos.*

Sub eo
floruit
Hermo-
genianus
jurecon-
sultus.

Cust. Hermogenianus

Cap. I. V. A. Corn. van Bynkersh. *Obs. VI, 21.* Eundem adhuc immersum fuisse paganis superstitionibus, nos ex ea ipsa *l. 60. §. 1. D. de donat. int. vir. & ux.* ex qua eum Christianum fuisse, probare voluit Bertrandus, probamus. Scripsit EPITOMATORVM IVRIS *libros VI.** quorum ordinem ipse indicat, *l. 2. D. de statu hom.*

* Alii eidem HERMOGENIANO tribuunt *libros FIDEICOMMISSORVM*, ob inscriptionem *l. 14. D. ad SC. Trebell.* Sed mendosam esse illam inscriptionem, & prima tantum legis verba ex Hermogeniani *Epitomatis juris*, reliqua ex Ulpiani *libris fideicommissorum* esse desumpta, ostendit Cujac. *Observ. II, 27.* ubi etiam docet, Hermogeniani *libros Epitomatorum juris* non fuisse IVLIANI *Digestorum* epitomen, sed institutiones vel compendium juris. H.

§. CCCLVIII.

Et Aurelius Arcadius Charisius.

Ejusdem aetatis fuisse AVRELIVM ARCADIVM CHARISIVM, ex *l. un. §. 1. D. de offic. praef. praet.* colligimus, ubi itidem praefectorum praetorio, a quibus provocare non liceat, meminit: quod jus sub Constantino demum inductum esse, paullo ante monuimus. Unde perperam Guido Pancirol. *Var. Lect. I. 79. p. 161.* eum sub Caro, Carino, & Numeriano, nec non sub Diocletiano floruisse, contendit.* Christianum illum fuisse, censet Cujac. *Obs. VII, 2. in fin.* sed non redita ulla, qua in hanc opinionem adductus sit, ratione.** Sed sane fragmenta, quae

quae in *Pandectis* ex ejus libris superflunt, nihil omnino, quod Christianismum redo-
 leat, continent. Ceterum ex eorum inscrip-
 tione, *l. un. de offic. praef. praet.* discimus,
 eum Magistri libellorum officio esse functum,
 & reliquisse *libros, singulares DE TESTIBVS,*
l. 1. l. 25. D. de test. l. 10. D. de quaest. DE
OFFICIO PRAEFECTI PRAETORIO,
l. un. D. de offic. praef. praet. & denique DE
MVNERIBVS CIVILIBVS, *l. 18. D. de*
muner. & honor.

* Ad Charisium enim nostrum Pancirolus directas
 esse putat constitutiones Cari, Carini & Numeri-
 ani, *l. 4. C. de calumniat.* nec non binas Dio-
 cletiani & Maximiani, Augustorum, *l. 1. C. ne*
rustic. ad ull. obj. & l. 27. C. de pact. Sed Carus
 & Carinus in *d. l. 4. C. de calumn.* ad ARCADI-
 VM quemdam rescribunt, quo nomine iis tempo-
 ribus plures usos esse, constat. Is vero, ad quem
l. 27. C. de pact. missa est, ARCADIVS, non CHA-
 RISIVS, sed CHRESIMVS appellatur, nec facile
 quis audiverit Pancirolum *de clar. leg. interpr. I,*
2. p. 12. pro Chresimo, nullo addicente codice
 MSC. rescribentem *Charisio.* In *l. 1. C. nerustic. ad*
ull. obj. ne *Arcadii* quidem ullius fit mentio. H.

** Forte ex praeconcepta opinione, quae plerosque
 magni etiam nominis viros induxit in errorem,
 quasi cum Constantino M. potior pars homi-
 num orbis Romani ad castra Christianae religio-
 nis transierit. Nos scimus, sub Valentiniano Jun.
 Romam numinum cultui adhuc fuisse deditam,
 & viros superstitioni addictissimos summas in au-
 la Imp. gessisse dignitates. Legendi sunt Sym-
 machus, Zosimus, Olympiodorus, & scriptores
 historiae ecclesiasticae. R.

§. CCCLIX.

Quod ad IVLIVM AQVILAM juriscon-
 sul-
 An & Juli-
 us Aquila?

fultum attinet, ejus familiam jam Elagabali temporibus floruisse, arbitror, siquidem hic Imp. in matrimonio habuit IVLIAM AQUILLIAM SEVERAM, antea virginem Vestalem, cujus numi exstant apud Patinum *Nu- mism. Imp. p. 270*. De jurisconsulti nostri aetate multa disputant eruditi, quae veluti in nucleo exhibet V. C. Ev. Otto *in Praefat. Thesaur. jur. Tomi I. p. 17*. Id unum certum est, eum reliquisse *librum* RESPONSORVM, ex quo bina supersunt fragmenta, *l. 34. D. de administr. & peric. tut. & l. 12. D. de suspect. tut. & cur.*

§. CCCLX.

Schola
juridica
Beryten-
sis.

Lacertos tum movere coepisse Romanam jurisprudentiam, argumento est SCHOLA IVRIDICA, quae tum non quidem institui primum, sed inclarescere in orbe Romano coepit, puta BERYTENSIS. Ea & infrequentibus saeculis adeo in deliciis fuit Imperatoribus, ut aliis locis, quam Beryti, Romae & Constantinopoli jus publice docere prohiberent, &, quum Alexandriae* & Caesareae nonnulli scholas juridicas aperirent, eas claudi juberet Justinianus Imp. *Const. omnem reip. §. 7. ad Antecess.*

* At tanto plus celebritatis consequuta est schola Alexandrinorum medica, adeo ut olim ad commendationem artis sufficere videretur, si quis se Alexandriae vixisse diceret. Ammian. Marcell. *Lib. XXII. Cap. 16. Medicinae autem, cujus in hac vita nostra nec parca, nec sobria, desiderantur*

tur adminicula crebra, ita studia augentur in dies, ut, licet opus ipsum redoleat, pro omni tamen experimento sufficiat medico ad commendandam artis auctoritatem, si Alexandriae se dixerit eruditum. Alexandrini autem medici quanto in pretio fuerint, indicat etiam Galenus *libro de Anatomia*, & Julianus Aug. *Epist. XLV.* Hinc Fulgentius Planciades *Lib. I. Mythol.* Alexandriae in cunctis fere angiportis fuisse medicorum domicilia, scribit. Alios porro medicos, qui ad perfectam artis suae scientiam adspirarint, relictis patriis scholis, Alexandriam navigasse, ut a professore aliquo magno medicinam discerent, patet ex Liban. *Lib. IV. Epist. XCV.* & Theodorit. *Epist. CCXXIV.* Zach. Mitylen. p. 179. quos laudat Valef. *ad Ammian. Marcell. p. 375. Edit. Gronov.* Noluit ergo Justinianus Alexandrinos & scholam juridicam habere, qui jam ex medica multum celebritatis fuerint consequuti. Neque tamen Alexandrini statim paruisse videntur illi Justiniani edicto. Quum enim Constitutio illa prodierit anno Christ. DXXXIII. quindecim annis post, anno DXXXVIII. de se scribit Agathias *Lib. II. pag. 52. Edit. Paris. & pag. 37. Edit. Venet.* Ἐτύχωνον ᾧ αὐτῷ ἀγαπήσων παιδείας ἐνεκε τῆς πρὸ τῶν νόμων. *Commorabar enim ibi, (Alexandriae) tum temporis legalium studiorum causa.* H. Vigesimo anno, post constitutionem a Justiniano editam, Agathias Alexandriae Jurisprudentiae operam dedit. Narrat enim, tunc temporis eam urbem terrae motu fuisse concussam, quod factum est anno *Ch. 554.* ut ex Theophanis *Chronograph.* docet Pagius *in Crit. ad an. cit.* Ex dictis emendandus Haseus *de Berytens. Academ. pag. 59.* qui hunc terrae motum male ad annum *Ch. 558.* retulit. R.

§. CCCLXI.

Scholam istam jam saeculo tertio coepisse, Ejus laudes & fata
 fu-
 ff 4

saeculis
tertio &
quarto.

supra monuimus. Ut vero paullo accuratius inquiramus in ejus origines, hic observasse jurebit, non sub Diocletiano demum (uti Strauchius *de Beryto Cap. IV. §. 15.* censuit,) sed haut paullo prius, illam juris Romani studiis floruisse. Nam Gregorius Thaumaturgus, jam anno CCXLVIII. ad Episcopatum Neocaesariensem evehctus, in *Orat. pagnegyri. in Origen. p. 186. Edit. Mogunt. sequ.* Berytum vocat πόλιν Ῥωμαϊκῶν ἕξεν πῶς, ἢ τῶν νόμων τέτων πισυθεῖσαν παιδευθῆειον, *urbem plane Romanam, & legum Romanarum schola ornatam.* Nec minus, eodem saeculo, hujus scholae cum laude meminerunt Diocletianus & Maximianus Augusti, *l. 1. C. qui aet. vel profess. se excus.* Saeculo insequente quarto tantus Berytum fiebat ingenuorum juvenum concursus, ut Libanius *Orat. XXVI. five, in vectiva in eos, qui doctrinam ipsius eludebant, pag. 595. Edit. Morell.* invidiae percitus oestro, adolescentibus, abdicato eloquentiae studio Berytum, ad hauriendam juris disciplinam contendere queratur. Enimvero hoc ipso saeculo IV. triste huic scholae fatum incubuit, urbe horribili terrae motu concussa, maximamque partem subversa, anno erae Christianae CCCXLVIII. five ann. XII. Constantii Aug. ut narrat Cedrenus *in Annal. pag. 299. Edit. Paris. & pag. 236. Edit. Venet.*

§. CCCLXII.

Nec non
saeculis

Sed mox tamen reviruit schola celeberrima.

ma. Nam insequente saeculo Nonnus in *Dionys. Lib. XXXI. extr.* mirifice laudat legum studio, quod Beryti ferveat: & Zacharias Mitylen. *de opific. mundi p. 164. Edit. Barthii*, eandem urbem vocat *μητέρα τῶν νόμων, matrem legum*, quemadmodum saeculo sexto a Justiniano *civitas legum veneranda & splendida metropolis*, nec non *legum nutrix* adpellatur *Const. tanta. §. 9. de conf. Dig. & Const. omnem reip. ad Antecess. §. 7.* Auditoriorum magnificentiam laudant *Geographus a Jac. Gothofredo primum editus p. 256. edit. Gronov. & Zachar. Mitylen. ibid. p. 165.** Legum professores tempore Justiniani ibi celebrabantur DOROTHEVS, ANATOLIVS, SALAMINIVS & THEOPHILVS, ** quorum opera princeps in componendo corpore juris usus est. Denique de petulantia studiosorum in novitiis initiandis videnda *Constit. omnem reip. §. 9. ad Antecess. & Strauch. de Beryto Cap. V. §. 1. sequ.*

quinto &
sexto.

* Quia hi scriptores non omnium in manibus sunt: gratiam nos inituros a studiosis, speramus, si loca eorum integra huc referamus. Et Nonni quidem de Beryto haec verba sunt: *Lib. XLI. v. 389. sequ.*

Σκῆπτρον ὅλης Αὐγαστῶ ὅτε χθονὸς ἠνιοχέουσαι
Ῥώμῃ μὲν ζαθέη δαρείσεται Αὐσανιῶ Ζεὺς,
Κοιρανίην, Βεροῖν δὲ χαλίξεται ἠνία θεομαῶν.

Sceptrum totius Augustus quando terrae gubernabit,

Romae quidem divinae dabit Ausonius Jupiter Imperium: Beroae vero indulget frena legum.

Geographus a Gothofredo editus p. 256. *Tam Berytus civitas valde delicioſa, & auditoria legum habens, per quam omnia judicia Romanorum. Inde enim viri docti in omnem orbem terrarum adſedent judiciis, & ſcientes leges, cuſtodiunt provincias, quibus mittuntur legem ordinationes.* At prolixiffimus eſt *Zacharias*, qui fingit, ſe hoſpitem in auditorium Berytenſe, quod ipſe p. 165. τὸ τέμενος τῆς θεῆς, ſanctum Dei adpellat, inductum, qui, conſpecta illa anguſta baſilica exclamarit: *O peritiam artificis, mi anime! O praeclarum ſpectaculum! Quae forma! quam apta quamque elegans coagmentatio anguſtae Dei domus! utque tanta magnitudo decem columnis ſuſtinetur! Utque una ex materia politae omnes! Ut eundem inter ſe adſpectum formamque retinent! Candidae omnes & leves, candore & levitate valde admodum praenitent renitentque, figuram eandem & ſpeciem oſtendunt! At pictoris lineas ut admiror! & varia, & perjucunda ſpectacula! omnis generis picturae lumina, colorum gratiam & venuſtatem & inſignem nitorem! Ubi Caſp. Barth. in Not. p. 250. Videtur, inquit, templum intelligere, dicatum auditoriis legalibus, ubi ſcholae juridicae, ex quibus auditoriis viros doctos in omnem terrarum orbem depromptos ſcribit *Chorographus incertus: παιδευτήριον τῶν νόμων Berytus*, *Gregorio Thaumaturgo.* H.*

- ** Fuerunt Profefſores Beryti, *Dorotheus* & *Anatolius*; quod patet ex *Conſtit. Tanta. de confirmat. Digefſt. §. 9. & l. 3. §. 9. C. de veter. jur. enucleand.* At enimvero *Theophilus* ex ipſius *Justiniani* teſtimonio *locis cit.* *Conſtantinopoli* docuit. De *Salaminio* non liquet, utrum Beryti, an *Conſtantinopoli* *Juriſprudentiam* tradiderit; operamque perdunt ſine dubio viri docti, qui conjecturis nimium hic indulgent. In errorem etiam delatus eſt *Jacob. Haſaeus de Beryt. Jctor. Academ. cap. 8. §. 6.* dum in ea *Academia Anatolium, Thal-leum,*

leum, *Cratinum*, & *Salaminium*, Antecessores fuisse, lectoribus persuadere voluit. Vide, quae observavimus *infr. ad §. 386.* R.

§. CCCLXIII.

At urbem florentem, & ad invidiam usque felicem, anno Justiniani XXVIII. terrae motus subruit, & magnam studiosorum multitudinem una ruina involvit, ut praeter urbis pavimenta nihil superesset. Et quamvis antecessores superstites scholam Sidonem transferrent, & cives interim nihil facerent reliqui, ut urbem instaurarent: eam tamen e ruinis prodeuntem nova exceptit calamitas, incendium maximum, quo urbs antiquissima, Phoeniciae post Tyrum metropolis & colonia juris Italici splendidissima tota in cineres confedit. Quae fusius narrat Agathias *Hist. Justin. Lib. II. pag. 47.* ubi urbem illam vocat τὴν καλλίστην, τὸ Φοινίκων τεως ἐγκαλλώπισμα, *pulcherrimam, & totius Phoeniciae ocellum* ἢ τὸ τοῦ πάτερον ἢ ὡσπερ γέρας τι μέγιστον, τὸ νόμων αὐτῆ ἀνεῖται διδασκαλεῖα. *cui hoc patrium, & veluti maxima honoris praerogativa fuerit, quod scholae juridicae ei essent dicatae.**

Interitus
hujus
scholae
miserabilis.

* Exstant in hanc Beryti ἄλλωσιν elegantia Epigrammata Graeca in *Antholog. Lib. I. Ep. 19. pag. 102. Edit. Steph.* quorum primum adscribere juvabit:

Ἄδ' ἐγὼ ἀ τλάμων ἀπολις πόλις, ἀμμιγα νεκροῖς
 Ἐνναίαις κείμαι ἀ παναποτομοῦτα.
 Ἡφαισός μ' ἐδάμασσε μέθ' κλάνον ἔννοσιγαίης.
 Φεῦ, δὲ τὸ τοσαυτὴν κάλλιθ' εἰμὶ κόνις.
 Ἄλλὰ ὡδρασεῖχοντες ἐμὴν σωναχῆσατε μοῖραν,
 Σπῆσατε Βηρυτῶ δάκρυα ἢ Φθιμένα.

Heu

*Heu nimium infelix urbs, non urbs, lumine
cassis*

Fusa solo, en jaceo mixta cadaveribus.

Nec fat erat me Neptuni sensisse tridentem :

Mulciberis cladem hanc addidit ira novam.

*Haec, mihi quae pridem fuerat pulcherrima
forma,*

Eheu jam tenui pulvere versa jacet.

*Vos, quibus hac iter est, nostrae miserescite
fortis :*

Beryto & lacrymas post sua fata date. H.

** De Schola Berytenfi scripsit Gothofredus in *Com-
ment. ad leg. 19. Cod. Theodof. de annon. & tri-
but.* Berytum urbem ex numis illustravit Span-
hemius *Dissert. VII. de Praestant. & Us. Numism.*
pag. 413. & *Dissert. IX. pag. 594.* observavit,
eam a Theodosio Jun. ob summam, qua gaude-
bat, celebritatem, Phoenices secundam Metro-
polin constitutam esse. R.

§. CCCLXIV.

Constan-
tinus
quaedam
& in re-
publica
innova-
vit.

Sed ut ad Constantinum M. revertamur, is non modo in jurisprudentia, ut supra diximus, plura innovavit, verum etiam in republica, toto orbe Romano novo instituto in quatuor dioeceses vel praefecturas praetorianas * descripto, Zosim. *Hist. Lib. II. Cap. 33.* de quibus eruditissime post Auctorem *Notitiae Imperii Orientis & Occidentis*, a Guidone Pancirolo perpetuis commentariis illustratae, egit Philippus Berter. *libris Περιανών*, in *Thesaur. jnr civ. Tom. IV. p. 789. sequ.* recusis, *Diatribes I.* Quin translata Constantinopolin fede imperii, & Episcoporum Romanorum ambitioni viam, qua ad summum in ecclesia imperium sensim progredenterentur, munivit, & barbaris


ris

ris occasionem dedit, occidentem suis incur-
sibus lacerandi, novaque sibi imperia quaerendi in praestantissimis Romanorum provinciis. ** Zosim. *Hist.* II, 34.

* Italiae, Galliarum, Illyrici & Orientis. *Illyricum* vero ab anno Ch. 379. divisum est in *Oriente* atque *Occidentale*, cum Theodosius M. in consortium imperii esset adscitus, ut probat Pagi-
us in *Critic. ad Annal. Baron. ad an. 380. n. 7.* Quatuor tamen etiam ab eo tempore Praefecturae fuere, cum *Illyricum occidentale* ad Praefecturam Italiae pertineret. Hinc legimus in *Notitia: Sub dispositione viri illustris Praefecti Praetorio Italiae, dioeceses infra scriptae: Italia, Illyricum, Africa.* Notanda haec est divisio, quoniam multum lucis interpretationi legum Codicis affundit, ut docui in *Praefat. ad Tom. III. Cod. Theodos.* R.

** Sunt tamen, quae pro excusando Constantino M. adferri possent. Semel enim electa Christiana religione, fatis animadvertibat, se nusquam securius acturum, quam in ea imperii parte, quam plurimi incolerent Christiani. Quum ergo in maxima occidentis parte altissimas radices e-
gisset pagana superstitio, & Romae plerique potentiores eam adhuc mordicus tenerent: quis vitio vertat Constantino, dum in oriente, quam in occidente, sedem imperii constituere maluit. Et quod commodius imperii domicilium eligere potuisset, quam Byzantium, speculam Europae, Asiae & Africae tutissimam? Si consiliis non respondit eventus: id magis receptae jam imperii divisioni, quam translationi sedis imperii, videtur tribuendum. H.

§. CCCLXV.

Est hoc fatum Constantini M., ut plerasque
ejus actiones perstringant Zosimus, Julianus,
i. e.  Judicium
de Con-
stantino
M.

ὁ παραβάτης, immo & recentiorum scriptorum Christianorum quam plurimi. Contra eum laudibus in coelum evehunt Eusebius *in vita*, & scriptores Christiani eorum temporum alii. Sed quemadmodum adfectus migrare solet in calamum, & paganos Constantino ob sacrorum suorum everfionem infensos; Christianos eundem ob munificentiam & patrocinium sibi praestitum admiratos esse, verosimile est: ita ii demum Jove aequo judicare videntur de hoc principe, qui nec naevos ejus dissimulant, & justum pretium statuunt ejus virtutibus, meritisque in rem Christianam plane eximiis.

§. CCCLXVI.

Codices
cur fieri
tum coe-
perint?

Jurisconsultis eorum temporum, quorum plerique Deorum cultui adhuc dediti fuisse videntur, nihil magis in Constantino M. displicuit, quam quod jurisprudentiam, cui adfueti fuerant, innumeris quotidie constitutionibus emendaret, novamque ei veluti faciem daret. * Hinc metuentes constitutionum, quae ab Hadriani temporibus prodierant, ruinam: operam dederunt, ut illae colligerentur in certos CODICES **, & sic earum memoria ad posteros conservaretur. Jac. Gothofred. *Prolegom. Cod. Theodos. Cap. I.*

* Ita κατ' ἐξοχὴν vocabantur libri, in quibus constitutiones principum colligebantur, eosque quadratae formae fuisse, ostendit Schulting. *Jurisp. vet. antejustin. p. 377.* Hujusmodi collectiones jam pridem plures existabant, veluti IVLII PAVL-

LI *Imperialium constitutionum libri sex*, l. 113. *D. de condit. & demonstr.* PAPIRII IVSTI *Constitutionum libri viginti*, ex quibus codices suos facile locupletare potuerunt GREGORIVS & HERMOGENIANVS, de quibus mox. H.

** Hanc Gothofredi conjecturam & probant, & laudant omnes; at ego negare non possum, eandem mihi dudum displicuisse. Cur enim metuerent Jcti, numinum cultui dediti, ruinam constitutionum, quas in foro publicam habuisse auctoritatem, novimus? Inanem profecto posuissent operam in colligendis legibus, si persuasum ipsis fuisset, improbaturum eas esse Constantinum M. Hic enim, ut singulas antecessorum constitutiones abrogare, ita quoque prohibere facile poterat, ne leges anteriorum Principum, in Codices collectae, vim ullam in judiciis haberent. Certe Constitutionum divalium collectionem, aevo Constantiniano, ipsa postulavit necessitas. Supra enim dictum est, ante Constantinum M. miserandam jurisprudentiam induisse faciem, & jureconsultos aut relegatos, aut necatos, fuisse. Neglectae & dispersae, inter diuturna & cruenta bella, jacuerant leges, quas restituta pace, cum reviresceret legum studium, boni publici causa Gregorius & Hermogenianus collegerunt, probe intelligentes, maximam se, eam ob rem, apud caussidicos gratiam inituros esse. R.

§. CCCLXVII.

Prior tale opus confecisse videtur sive GREGORIVS, sive GREGORIANVS * nescio quis, qui Principum anteriorum ab Hadriano ad Constantinum M. rescripta collegit, & sub certos redegit titulos. Sane, quae supersunt fragmenta licet paucissima, consistunt in constitutionibus Antoninorum, Se-

Codex
Gregorianus
qualis fuerit?

veri

veri & Caracallae, Alexandri, Gordiani, Philippi, Valeriani & Gallieni, Cari, Carini & Numeriani, denique Diocletiani & collegarum, ut male Cujac. *princ. paratitl. Cod. existimet*, Gregorium ultra Valeriani & Gallieni tempora non processisse.

* De auctore hujus Codicis fere omnia incerta sunt, adeo, ut dubium sit, GREGORIVS, an GREGORIANVS fuerit adpellatus. Posteriore enim sub nomine citari videtur ab Augutino *ad Palent. II, 8.* & a *Pariat. leg. Mos. & Rom. I, 8. sequ. III, 4. VI, 4. X, 8. XV, 3.* At quum tamen ubique subaudire liceat substantivum *Codex*, & sub Constantino M. quidam floruerit GREGORIVS, praefectus praetorio circa annum Christi CCCXXXVI. *l. 3. C. Theod. de ann. & tribut. l. 2. C. Theod. de contrab. emt. l. 1. C. Justin. de natural. lib.* non poenitenda sane est conjectura Jac. Gothofredi *Proleg. Cod. Theodos. Cap. I.* hunc ipsum Gregorium hujus codicis auctorem fuisse. Panciroli enim sententia, qui Gregorium hunc sub Valente & Gratiano Imp. scripsisse, censuit *de clar. leg. interpretib. Lib. I. Cap. 66.* nullo idoneo fundamento nititur. H.

§. CCCLXVIII.

Ejus codicis auctoritas & fragmenta.

Quamvis vero privato GREGORII consilio instituta primum fuerit haec collectio, magnam tamen & in foro ejus fuisse auctoritatem, patet ex interpretamento *legi unicae C. Theod. de respons. prud.* subjecto*, ubi interpret, sive is ANIANVS, sive alius sit: *Gregorianum vero, inquit, & Hermogenianum ideo lex ista praeteriit, quia suis auctoritatibus confirmantur ex lege priore sub titulo de constitutionibus principum & Edictis.*

Etis. Reliquias hujus Codicis, quas Aniano debemus, post Sichardum & Cujacium nobis exhibuit V. C. Ant. Schulting. *Jurisp. vet. antejust. p. 682. sequ.*

* Nec minus idem probari potest ex *Const. summa reip. §. 3. de Just. Cod. confirm.* ubi Imperator: *Ut sciant omnes tam litigatores, quam disertissimi advocati, nullatenus eis licere de cetero constitutiones ex veteribus TRIBVS CODICIBVS, quorum jam mentio facta est, vel ex iis, quae Novellae constitutiones ad praesens tempus vocabantur, (sunt hae Novellae Cod. Theodosiano a Jac. Gothofredo subjectae,) in cognitionalibus recitare certaminibus, sed solum eidem nostro Codici insertis constitutionibus necesse esse uti, falsi crimini subdendis his, qui contra hoc facere ausi fuerint.* Quid vero attinebat, usum & horum Codicum in foro sub poena falsi inhibere, si numquam auctoritatem in foro habuissent? H.

§. CCCLXIX.

Gregoriano Codice non multo posterior fuisse videtur HERMOGENIANVS. Reinefius *ad Inscript. p. 70.* qui notissimo Lampridii loco deceptus, HERMOGENIANVM iuriconsultum inter Alexandri Severi consiliarios fuisse existimabat, non poterat sane, quin hunc codicem ab eo scriptum esse, negaret: ac proinde illum tribuere malebat Q. CLODIO HERMOGENIANO OLYBRIO, Praefecto urbi anno Christi CCCLXV. vel ejus certe patri, vel patruo. At, quum HERMOGENIANI Jcti aetatem in Constantini M. tempora omnino incidere, jam supra ostenderit (§. CCCLVII.) nihil sane impedit,

Codicis
Hermogeniani
auctor.

*Oss. C. de Hermogeniano
in Rec. 17
317.*

quo minus eum hujus Codicis auctorem esse potuisse statuamus cum Ant. Augustino & Jac. Gothofredo. *

* Dicimus, illum auctorem esse potuisse; fuisse, pro certo non adfirmamus. Floruerunt enim per ea tempora plures Hermogenes & Hermogeniani: quorum posteri sunt *Hermogenes Ponticus*, Praef. praet. orient. anno 358. defunctus. Ammian. Marcell. *Lib. XIX. cap. 12. & Lib. XXI. cap. 6. Q. Clodius Hermogenianus Olybrius*, Praef. praet. & urb. anno 365. Cos. anno 379. l. 2. C. de haeret. l. 1. C. de sport. & sumt. l. 4. C. quem ad n. test. aper. Grut. *Inscr. p. CCCLIII, 2. Reinsh. Class. XX, 371. Anicius Hermogenianus Olybrius* Cos. anno 395. l. 24. & 25. C. Th. de nauticis. l. 41. C. de transact. Gruter. *Inscr. p. CCCLII, 5. 6. CCCLIII, 1. CCCCL, 2. & 3. Clodius Hermog. Caesarius*, Cos. anno 397. & Praef. praet. l. 2. C. de alluv. C. *Clodius Hermog. Olybrius*, Grut. *Inscr. p. CCCLXLII, 5. Confularis Tufciae & Valeriae l. 72. C. Theod. de decur.* Horum, eorumque majorum quum nullus fere sit, qui talem codicem facere non potuerit: quam difficile hic sit divinare, & quam paene *ἐπιτιμω*, verum Codicis hujus auctorem eruere, nemo non intelligit. H. Everard. Otto V. Cl. in praefat. ad Tom. I. *Thef. Jur.* scribit, a Gothofredo non multum abire Pancirolum *Var. Lect. II. c. 257.* quando *Anicium Hermogenianum Olybrium*, Consulem anno 395. compilatorem Codicis faciat: nec temporis rationem obstare, cum *Codicis Hermogeniani* primus mentionem fecerit Coelius Sedulius, seculi quinti ineuntis scriptor in praefat. operis paschalis ad Macedonium, hisce verbis: *Cognoscant Hermogenianum, doctissimum juris latorem, tres editiones operis sui consecisse.* At enim vero Sedulius Panciroli opinionem firmare nullo modo potest, cum dudum ante eum Ammia-

Ammianus *Codicum* mentionem faciat. Is enim *Lib. XXX. cap. 4.* caussidicos perstringens, scribit: *Quartum caussidicorum genus est impudens, pervicax & indoctum, eorum, qui in mature e literariis eruperunt ludis: e quibus ita sunt rudes nonnulli, ut nunquam se CODICES habuisse meminert.* Quo loco non possunt alii, nisi Codices, *Hermogenianus & Gregorianus*, intelligi. R.

§. CCCLXX.

Tres ejus codicis editiones ab ipso auctore factas esse, vulgo colligunt ex verbis Sedulii presbyteri *in praefat. oper. paschalis.* Is enim excusaturus, quod post editos libros V. Carminis paschalis, eorum textum metricum in profam transferre non dubitarit: *Cognoscant, inquit, Hermogenianum, doctissimum juris latorem, tres editiones sui operis confecisse.* Sed locus hic non minus de HERMOGENIANI *Epitomatis juris*, quam de codice Hermogeniano potest intelligi. Nec ratio reddi posse videtur, cur plures Codicis sui editiones conficere voluerit Hermogenianus, nisi forte eum postea aliquas constitutiones, quae antea ejus diligentiam fugerint, reliquis addidisse, dicamus.

An tres
ejus edi-
tiones?

§. CCCLXXI.

Ceterum maxima diligentia hic auctor, quisquis sit, collegisse videtur constitutiones Diocletiani & collegarum ejus, adeoque spicilegium instituisse post Gregorii messem. Fragmenta sane, quae supersunt, Diocletiani & collegarum nomina praeferunt, * quam-

Ejus ma-
teria &
fragmen-
ta.

vis quaedam horum constitutiones jam fuerint in Codice Gregoriano, sed paullulum diversae. Hujus quoque codicis reliquias novissime debemus V. C. Ant. Schultingio, qui eas cum doctissimis adnotatiunculis suis edidit in *Jurispr. vet. antejustin.* p. 709. *sequ.* Aliam tamen constitutionem, quae in his fragmentis non habetur, servarunt Graeci juris interpretes, de qua Cujacius *Obs. XII*, 35.

* Tres tantum primae constitutiones nomen AVRELII Aug. praeferunt. Jam plures, tum tyranni, tum legitimi principes ante & post Diocletianum *Aurelii* dicti, veluti M. AVRELIVS VICTORINVS & L. AVRELIVS VICTORINVS, M. AVRELIVS MARIVS, M. AVRELIVS CLAVDIVS, M. AVRELIVS QVINCTILLVS, M. AVRELIVS TACITVS, M. AVRELIVS PROBVS, M. AVRELIVS CARVS, M. AVRELIVS CARINVS, M. AVRELIVS NVMERIANVS: sed laudatissimus Schultingius ostendit, has quoque constitutiones esse Diocletiani & Maximiani, Augustorum, quod ambo apud Gruter. *Inscr. p. CCLXXIX.* & alibi passim, vocentur AVRELII. H.

§. CCCLXXII.

Status juris sub Constantini M. liberis.

Sub Constantini liberis*, immo & post illos ad THEODOSIVM juniorem, eadem per omnia, quae sub Constantino M. fuit, jurisprudentiae facies. Nam & sequentes Imperatores Christiani id fere agebant constitutionibus suis, ut jus Romanum non modo ad majorem simplicitatem, sed &, quod Eusebius *vit. Constantin. IV*, 26. de Constantino M. praedicat, ἐπὶ τὸ ἁγιώτερον, ad majorem sanctitatem

tatem traducerent. Sic exempli gratia Constantinus junior juris formulas, aucupatione syllabarum infidiantes cunctorum actibus, radicitus amputavit: *l. 1. C. de form. & impetr. act. subl.* ** idemque cum fratribus permulta sanxit, ad evertendas paganorum superstitiones, coërcendos Judaeos, & provehendam religionem Christianam comparata. ***

* Cum inter Constantini liberos, & sequentes quoque Imperatores, divisum sit Romanum imperium; leges autem Codicis intelligi non possint, nisi sciamus, utrum ad Orientale, an ad Occidentale, eae pertineant: commendari meretur *Chronicon historicum*, quod concinnavit Jacob. Gothofredus, & *Tomo I. Cod. Theod.* praefixum est. Hujus tamen summi viri diligentiam superavit Anton. Pagijs *in Critic. ad Annal. Baron.* quo insigni opere hi uti possunt, qui accuratius in *legum inscriptiones & subscriptiones* inquirere cupiunt. R.

** En! sublatam jurisprudentiam formulariam. Ea tamen veteris jurisprudentiae pars, quam Cicero *pro Muraena* false ridet, non a *Constantino minore*, quod Heineccius vult, abrogata est, verum a *Constantio*, cui hanc *legem 1. Cod. de formulis*, egregie vindicavit Jacob. Gothofredus *in Commentar. ad leg. ult. Cod. Theodos. de studiis liberal. Urb. Rom. & Constant. Tom. V. pag. 230. R.*

*** Tales sunt sanctiones Constantii, Judaeis alioquin parum aequi, ne Judaei mulieres e gynaeceo Principis in turpitudinis suae consortium ducerent: *l. 6. C. Theod. de Jud.* ut ex Christiano Judaei effecti bona fisco vindicarentur: *l. 7. C. Theod. eod.* Judaeus ne Christianum haberet mancipium: *l. 2. C. Theod. l. 1. C. Just. ne Cbrist. mancip.* Sozom. *Lib. III. Hist. Eccl. cap. 16.* Constantis porro & Constantii constitutiones, ut

cessaret superstitio, templa occluderentur, & sacrificiorum aboleretur insania, l. 2. § 4. 5. 6. C. *Theod. de pagan.* templis tamen extra moenia parcèretur, l. 3. C. *Th. eod.* ut episcopi, clerici, eorumque mancipia ab extraordinariis collationibus, metatis, & lustrali collatione immunes essent. l. 8. C. *Theod. l. 1. Cod. Justin. de Episc. l. 9. l. 10. l. 11. 14. 15. sequ.* C. *Theod. eod.* ut a foro saeculari sint exempti. l. 12. C. *Theod. de Episc.* H.

§. CCCLXXIII.

SubJuliano Imp.

Qui vivo Constantio imperium extorsit, IULIANVS, ad pristinam superstitionem relapsus, non pauca in Christianorum odium constituit. Nam & templa Deorum aperuit, & profanos ritus ubique instauravit: Ammian. Marcell. *Lib. XXII. Cap. 9.* Christianis quoque honorum aditum interclusit, Sozom. *Hist. Eccl. Lib. V. Cap. 15.* Greg. Nazianz. *Orat. I.* & eosdem bonis artibus erudiri vetuit, Socrat. *Hist. Eccl. III, 16:* quod ipsi Ammiano Marcellino *Lib. XXV. Cap. 5.* inclemens visum. Cetera princeps gravis & eruditus, permulta praeclare constituit: Petr. Cunaei *praefat. ad Juliani Caesares*, ut plerasque ejus constitutiones in codicem suum recipere non dubitarit Theodosius Junior. *

* Aliquando tamen merito desideres compilatorum judicium, qui plures Juliani leges, Christianorum principum constitutionibus contrarias, immo & manifesto impias in codicem illum receperunt, Jac. Gothofr. *Prolegom. Cod. Theodos. Cap. II. p. 188.* Et sane quis in Codice, fori Christiani usibus destinato, ferat l. 4. § l. 5. C. *Theo-*

Theodos. de sepulc. viol. quae omnem paene veterum superstitionem de religione Deorum manuum, reliquiis non contrectandis, aggeribus consecratis, de funeribus oculos hominum infaustis adspectibus incessantibus, ut ad Deos & templa venire puri nequeant, complectuntur? Sed qui religioni sibi non duxerunt, Constantini M. & Valentiniani constitutiones de licito haruspicinae usu illi juris corpori inferere: l. 1. C. *Theod. de pagan.* l. 2. l. 3. l. 9. C. *Theod. de malef. & mathem.* quid eos prohibuisset, Juliani sanctiones ejusdem furfuris in opus suum referre? H.

§. CCCLXXIV.

Ceterum quam misera sub hoc principe fuerit jurisprudentiae conditio, vel inde colligere licet, quod nullus plane jurisconsultus alicujus nominis illud tempus illustravit, abhorrentibus fere ingenuis ab illo legum studio, & illud libertinis & infimae plebi relinquentibus. Saltim de anterioribus proxime temporibus Cl. Mamertin. *Panegy. X. Cap. 20.* *Juris, inquit, civilis scientia, quae Manlios, Scaevolas, Servios in amplissimum gradum dignitatis evexerat, LIBERTORVM artificium dicebatur.* Nec probabile est, intra paucos annos, quibus rerum potitus est Julianus, ita reffloruisse jurisprudentiam, ut aliter sese res habere coeperit.

Misera jurisprudentiae conditio.

§. CCCLXXV.

Cito transit haec nubecula, quod praedixerat Athanasius apud Socrat. *Hist. Eccles. III, 14.* ac proinde Constantini M. vestigiis postea strenue institerunt IOVIANVS, VALENTINIA-

Status juris sub Juliano successoribus ad

Theodo-
sium M.

NVS, VALENS, GRATIANVS, VALENTINIANVS *Jun.* & THEODOSIVS M. quorum plurimae exstant constitutiones, ad eundem finem comparatae, quem Constantino M. ob oculos fuisse, paulo ante observavimus. Singularis fuit VALENTIS ferocia, τὸν τῶν πραγμάτων ὄγκον ἔφεροντο, *rerum molem non sustinentis*, uti de eo judicat Zosimus *Histor. IV, 4.* qui, ut Arianis consuleret, libertatem omnibus dedit, suum in colenda religione iudicium sequi*: quod edictum singulari *oratione de Religionibus*, quae Latine tantum exstat, collaudavit Themistius, *p. 155. Oper. Edit. Harduini.* THEODOSIVS M. quantum dederit operae, ut omnes antiqui juris ambages, si quae superessent, tolleret, bonisque legibus armaret rempublicam, patet ex Socrate *Hist. Eccl. V, 18.* ipsaeque ejus constitutiones, quas se singulari commentario illustraturum promiserat FRANC. BALDVINVS, fatis evincunt.

* Neque enim, quod conscientiae libertati faveret, huiusmodi proposuerat edictum, sed ut Arianis sui tanto securius in orbe Romano agerent. Unde ipse postea Valens gravis fuit catholicis. Jo. Antiochen. *in Excerpt. Peiresc. p. 847.* Οἱ δὲ Οὐάλης τῆς Ἀρείας δόξης μετὰ ποικίλων μίσητον ἐκίνη καὶ Ἰ Χριστιανῶν διαγωγὴν ὡς πολλὰς μὲν ἐν τοῖς δημοσιείοις ἀνομιεῖται, πολλὰς δὲ ἐξουσίας ὑποβάλλεται, καὶ αὐτὰς δὲ τὰς καὶ τὴν ἐρημον ἐμφαλευσίνης ἢ ἰδίων ἀγκῶν ἀπελεύνοται. *Sed Valens, Ariana infectus labe, gravissimam in Christianos persecutionem excitavit, adeo, ut multi iudicium sententia damnati interirent, multi in exsilium traherentur: nec pauci*

*ex iis, qui in eremo abditi erant, e casis suis pel-
lerentur.* Res ad faeviore[m] spectabat lanienam,
nisi Christianorum patrocinium suscepisset paga-
nus ille Themistius. Socrat. *Hist. Eccl. Lib. IV.*
cap. 3. Sozomen. *Hist. Eccl. Lib. VI. cap. 36.*
Orationem tamen, quam tunc habuit Themisti-
us, intercidisse, adversus Antonium Pagium o-
stendit Fabric. *Biblioth. Graec. V, 18. Tomo VIII.*
p. 10. Similes Valentiniani constitutiones de li-
bertate conscientiae exstant *l. 2. l. 3. l. 9. C.*
Theod. de malef. & mathem. H.

§. CCCLXXVI.

Interim nimia illa Imperatorum diligentia
factum est, ut in immensam paene mole[m] ex-
cresceret jurisprudentia. Nam praeter tot
jurisconsultorum opera, quorum haut exigua
erat in foro auctoritas, quorumque duo pae-
ne millia sua adhuc aetate exstitisse, testatur
Justinianus, *l. 2. §. 1. C. de vet. jure enucl.* tam
immensa erat constitutionum veterum nova-
rumque silva, ut Eunapius *in vita Aedesii p. 72.*
Edit. Commelin. jus civile ἀχθῶ καμήλων πολ-
λῶν, *multorum camelorum onus*, vocaret, &
nullum paene erectius ingenium isti se laby-
rintho committere auderet.*

Jurispru-
dentiae
moles &
misera fa-
cies.

* Egregiis veterum testimoniis hoc probavit Jac.
Gothofred. *Prolegom. Cod. Theodos. Cap. I. p. 213.*
Mamertini querelam, quae ad tempora Juliani
& anteriora pertinet, jam supra audivimus (§.
CCCLXXIV.) Sub finem saeculi quarti, Asterius,
Episc. Amasen. *homil. VII.* apud Phot. *Biblioth.*
Cod. CCLXXI. pag. 1499. Edit. Schott. memi-
nit servi Scythae, a cive Antiocheno emti, qui
jus professus sit, (αὐτὸς νόμων ἄφθνη διδασκαλῶν,)

quem se ipsum jus * docentem audivisse, profite-
tur. At nemo eorum temporum jurisperitos, il-
lorumque ignorantiam, factum, & caninum opti-
mos quosque adlatrandi studium elegantius de-
scripsit Ammiano Marcellino *Lib. XXX. cap. 4.*
qui locus prolixior est, quam ut hic locum in-
veniat. H.

* Id nescimus, an Scythia ille doctus *Jus Asterium*
docuerit. Refert enim Photius *ibid.* Asterium
quidem discipulum ejus fuisse, sed ubi, aut qui-
bus in studiis, ignorari, cum Episcopus ejus rei
nullam fecerit mentionem. R.

§. CCCLXXVII.

Theodo-
sii II. &
Valenti-
niani
Constitu-
tio de re-
sponsis
pruden-
tum.

Remedium huic malo reperisse sibi vide-
bantur THEODOSIVS junior & VALEN-
TINIANVS, edita anno CCCCXXVI. con-
stitutione, qua *Papiniani, Paulli, Caji, Ulpiani*
ac Modestini opera, quaeque hi quinque
viri ex aliorum veterum jurisconsultorum
libris in suos transtulissent, (exceptis *Ulpiani*
& *Paulli notis ad Papinianum*) nec non secundo
loco, *Scaevolae, Sabini, Juliani & Marcelli*
scripta, si prius ad fidem antiquorum codicum
fuerint recognita, sola in foro citari permi-
serant, ita ut plurium sententiae vincerent
pauciorum, & si par sit ita sententiarum nu-
merus, eorum praeferretur sententia, cui ad-
stipuletur Papinianus. *l. un. C. Theodos. de re-
spons. prud.* Sed quum parum prudentiae le-
gislatoriae prae se ferat haec sanctio: * eam
ex codice suo merito exfulare jussit Justi-
nianus.

* At ita non justis ac aequis habebatur ratio, sed
aucto-

auctoritatis, & pluriū diffidentium non ponderabantur, sed numerabantur sententiae. Quum ergo prudenter observaverit Ammian. Marcellin. *Lib. XXX. cap. 4. juris scientiam repugnantium sibi legum abolevisse dissidia*: actum procul dubio fuit de Jurisprudētia publicata hac constitutione. Et hinc ad pristinam perfectionem neminem eorum temporum pervenisse animadvertimus, quamvis in constituendis jurisperitis, qui jus civile enarrarent, nihil reliqui faceret Theodosius ille junior. *l. ult. C. Theod. de stud. liber. urb. Rom. & Constantinop. l. un. C. Th. de professor. qui in V. C. docentes ex lege meruer. comitiv. H.* Legendus est Ammianus *l. c.* cujus testimonium facit, ut laudare potius, quam vituperare Valentinianum III. malim, cum necesse esset eo tempore, ut paucis tantum libris veterum Jctorum in foro tribueretur auctoritas, quoniam pars cauffidicorum nec Codices nec libros habebat, pars vero, quo altius videretur jura callere, ad Jctorum antiquissimorum scripta provocabat, ut & judicem & litigantes facilius confundere posset. *Hi, inquit Ammianus, ut altius videantur jura callere, Trebatium loquuntur & Cascellium, & Alfenum, & Aurincorum Sicanorumque jam diu leges ignotas, cum Evandri matre, ab hinc seculis obruta multis. Et si voluntate matrem tuam finxeris occidisse, multas tibi suffragari absolutionem lectiones reconditas, pollicentur, si te senserint esse nummatum.* Paulo post de altero cauffidicorum genere haec refert: *Cum autem ad inopiam muniendarum venerint allegationum, ad effrenatam descedunt conviciandi licentiam: e quibus ita sunt rudes nonnulli, ut nunquam se Codices habuisse meminerint. Et si in circulo doctorum auctoris veteris incidit nomen, piscis aut edulii peregrinum esse vocabulum arbitrantur.* Consule Gothofred. *Commentar. ad l. cit. Cod. Theod. Tom. I. pag. 33. sequ. R.*

§. CCCLXXVIII.

Codex
Theodo-
fianus.

Idem THEODOSIVS junior anno CCCCXXXVIII. constitutiones principum ad certum modum redigere studuit: & hinc, quotquot a Constantino M. ad id usque tempus prodierant, sanctiones* per octo viros, quorum ANTIOCHVS, eunuchus, Expraefectus & Consul, demum inter presbyteros relatus, de quo *l. 6. C. Theodos. de collation. donatar. l. 5. C. Th. de his, qui ad eccles. confug.* Marcellin. Com. in Chron. ad ann. 448. p. 41. edit. Scalig. Suid. Tomo I, p. 227. p. 899. Tomo II. p. 175. Tom. III. p. 135. edit. Kuster, familiam duxit**, digessit in codicem, qui ab ipso THEODOSIANVS adpellatur: Isidor. Hispal. Orig. V, 1. eumque postea singulari novella Constitutione, quae inter Theodosianas prima est, confirmavit. Jac. Gothofr. Proleg. Cod. Theod. Cap. III. p. 189. Hunc Codicem luculentis Jac. Gothofredi Commentariis illustratum post eximii hujus Jcti obitum edidit Ant. Marvillius Lugd. MDCLXVIII, fol. Tom. VI. quae editio Lipsiae repetita, collato Wurzburgensi codice antiquissimo, emendatior prodiit MDCCXLV. VII. Tomis.

* Prosper Aquitanic. in Chronico Parte I. hunc Codicem vocat *leges legitimorum principum*: quod Jac. Gothofredus Prolegom. Cap. I. p. 211. interpretatur de principibus Christianis, quia ipsa Christiana religio illis temporibus lex catholica, *l. 1. C. Theod. de haeret. lex Christiana*, *l. 16. C. Theod. de Episc. lex sanctissima*, *l. 5. C. Theod.*

eod. lex superna, l. 49. fn. C. Theod. de decurion. lex venerabilis vel veneranda, l. 7. l. 13. C. Theod. de Judaeis, vocata sit. Sed quis hoc sensu legitimum principem vocet Julianum, cujus tamen constitutiones utramque in hoc codice paginam faciunt? Potius ergo principes legitimi opponuntur tyrannis, quorum tum plurimi imperium per bina saecula adfectarunt, veluti sub Constantino M. Maxentius, Valens, Martinianus, Calocaerius: sub ejus filiis Magnentius Francus, Vetrano, Decentius, Nepotianus, Silvanus: sub Valentiniano & Valente Procopius, Marcellus Protector, Valentinianus, Firmus Maurus: sub Theodosio M. Theodorus, Maximus, Victor, Eugenius: sub ejus filiis Stiicho, Eucherius, Marcus, Gratianus, Constantinus & Constans, Gerontius, Maximus, Jovinus, Sebastianus, Sarius, Fl. Priscus Attalus, Heraclianus, Sabinus, Gildo, Plinta, Jovinianus & Sallustius; de quibus ceteris scriptoribus accuratius egit Christ. Ad Rupert. Observ. in Synops. Besoldi Cap. XV. p. 388. 390. sequ. p. 403. sequ. p. 410. sequ. p. 415. sequ. Quum ergo constitutionum ab his hominibus editarum in hoc codice non habeatur ratio: ille leges legitimorum duntaxat principum sine suo complecti dicebatur. H. Bene Heineccius adversus Gothofredum disputat. Principem legitimum tyranno opponi, Ammianus docet Lib. XV. c. 8. Plebs avidius pompam regiam in Principe LEGITIMO cernens. Lib. XIX. c. 12. Nec enim abnuimus, salutem LEGITIMI Principis consociato studio muniri debere cunctorum. Lib. XXVI. c. 4. Participem LEGITIMVM potestatis. Lib. eod. c. 6. Nam si principem LEGITIMVM prodidissent. Hoc vero teneant Juris cultores, integrum Codicem Theodosianum, uti est Theodosii temporibus evulgatus, hodie non superesse, sed multas Principum constitutiones intercidisse eo tempore, quo barbari vastarunt Romani

mani imperii provincias: multas etiam neglectas fuisse, cum in Occidente patriae leges sensim in fora introducerentur. In Oriente vero, post publicatum Codicem Justinianum, cum evluisset ejus auctoritas, neminem librariorum inventum esse, qui operam dare vellet vastae molis libro describendo, facile ad conjiciendum est. R.

** Heineccius, Gothofredum secutus in *Prolegom. ad Cod. Theod. c. 1. §. 5.* confundit tres *Antiochos*. Huc pertinet *Antiochus Expraefectus & Consul. Praefecturam* enim Praetorio gessit *an. Ch. 427. an. 430. & 431.* ut docent *l. 2. Cod. de officio ejus, qui vicem. l. 6. Cod. Th. de collat. donatar. l. 4. Cod. eod. qui ad eccles. conf. An. 431.* Consul in Oriente prodiit. Vid. *Chronolog. Cod. Theodos.* Pagium, & Relandum. *Mortuus* vero est ante *annum 444.* quia in *Novella Theodosii 33. de relevatis*, *ILLVSTRIS MEMORIAE Antiochus*, dicitur, quae Novella eo anno emissa est. Igitur diversus non potest non esse ab *Antiocho*, cujus Marcellinus meminit, quique *anno 448.* adhuc in vivis fuit. Neque est confundendus noster cum *Antiocho eunucho*, qui nec Consulatum nec Praefecturam gessit, sed dignitate *Praepositi S. cubiculi* exsplenduit. Vide, quae scripsi *ad Novell. 1. de Cod. Theodos. auctorit. not. 55.* R.

§. CCCLXXIX.

Novellae
Theodosii II. &
successorum.

Quum vero perfecto hoc codice subinde novellae prodirent constitutiones non modo ipsius THEODOSII II. sed & VALENTINIANI III. MARTIANI, MAIORIANI, SEVERI, LEONIS & ANTHEMII: eas Novellas primum edidit Petr. Pihoeus *Paris. MDLXXI.* unde in ejus opera *anno MDCIX.* edita migrarunt, sub titulo *Novellae constitutiones*

*tiones Imperatorum Justiniano anteriorum, nunc primum in unum corpus collectae, & junctim editae, cum notulis marginalibus publici juris fecit Conr. Rittershusius JC. Altorphinus, Francof. MDCXV. §. postea easdem codici suo Theodosiano, veluti mantissam, subjecit Jac. Gothofredus.**

* Promiserat Leonardus Adami, Volsinensis, auctor, scripta *Historia Arcadica*, seu Academiae Arcadum, cujus ipse socius erat, famam consequutus, se has Novellas nec non Papiani responsa multo auctiora atque emendatiora ex vetustissimo Codice MSC. Ottoboniano editurum, simulque in lucem protracturum quinque novellas adhuc ineditas. Sed mors, quae virum doctissimum anno MDCCXIX die IX. Januarii reipublicae litterariae eripuit, omnia ejus consilia, in primis, quae de edendo Libanio & Jornande ceperat, turbavit. H. Has Novellas, cum MSS. Codicibus ac libris impressis collatas, & commentario illustratas, addidi ad Codicem Theodosianum, tantumque praestiti, quantum potui propter virium ingeniique exiguitatem. Et quam vellem, his meis vigiliis aliquid lucis Jurisprudentiae elegantiori accessisset! R.

§. CCCLXXX.

Maximi porro jure meritoque faciendum est THEODOSII II. studium, quo bonas literas, & in his jurisprudentiam quoque, provehere conabatur. Huic enim praecipue originem ac natales debent SCHOLAE Romana & Constantinopolitana, in quibus praeter tres oratores, decem Grammaticos, quinque

Scholae
juridicae
Romana
& Con-
stanti-
nop.

sophi-

sophistas, & unum philosophum duo constituti fuerant professores, *qui juris & legum voluntatem panderent. l. un. C. de stud. lib. Romae & Const.* * quosque post viginti annorum stipendia Comitiva primi ordinis ornatos voluit, initio facto a LEONTIO jurisperito. ** *l. un. C. Theod. de profess. qui in V. C. docent. ex leg. mer. comit.* Add. Herm. Conringii singularem, quo *l. un. C. de stud. liberal.* illustravit, Commentarium. Ceterum quantus ex eo tempore concursus cupidae legum juventutis factus sit Romam, quam Sidonius Apollin. *Lib. I. Epist. 6. legum domicilium* vocat, insequente libro pluribus exemplis docebimus. Vid. Savaro *ad Sidon. ibid.* Franc. Juret. *ad Symmach. Lib. IX. Epist. 83.* Alteserr. *Rer. Aquitan. 111, 5.*

* Minus accurate legem, quam Codex uterque servat, excerptit Heineccius. Fuerunt enim in Schola Constantinopolitana Professores *triginta* atque *unus*; & in his, *Romanae eloquentiae ac linguae*, TRES ORATORES & DECEM GRAMMATICI: *Eloquentiae linguaeque Graecae*, SOPHISTAE QVINQUE & GRAMMATICI DECEM: *Philosophiae* Professor VNVS, & *Jurisprudentiae*, DVO. Et tot quoque Romae fuisse, fidem facit inscriptio tituli, *de studiis liberalibus urbis Romae & Constant.* licet postea, cum Roma esset in Gothorum manibus, Schola Romana, *unum* tantum haberet *juris expositorem*, ut est videre in Edicto Regis Athalarici apud Cassiodorum *Var. IX, 21.* Inao ante *annum Chr. 425.* quo lex citata emissa est, Professor Juris in urbe Constantinopolitana nullus fuisse videtur, cum *lege 16. Cod. Theodos. de Profess. & med.* in numero Professorum non inveniatur. Sed anno citato,

unus primo, deinde *duo* constituti sunt, quod docent nos leges, *un. Cod. Tb. de Prof. qui in urbe Constantinopol. & un. Cod. Just. de stud. liberal.* Vide ad eas Gothofredum *in Comment. Tom. II. pag. 114. Tom. V. pag. 227.* De Schola Romana quaedam etiam observavit Heineccius *in praefat.* huic libro praefixa. R.

* Mentionem haec lex facit quorundam ejus temporis professorum, qui ob merita viginti annorum stipendia codicillis primi ordinis comitivae ornantur, veluti *Helladii*, grammatici, de quo Suid. *in Εξελδοσ*, Socrates *Hist. Eccles. V, 16.* *Syriani*, Grammatici Latini, *Theophili*, Sophistae, *Martini & Maximi*, praecipue jurisperiti LEONTII, cujus alibi nusquam, quod sciamus, fit mentio, nisi quod ex *l. 3. C. Theod. de frum. urbi. Constant. l. 8. C. Theod. de princ. agent. & l. ult. C. Theod. de haeret.* constet, decennio post editam *l. un. C. Theod. de professor. qui in V. C. docent*, Leontium quemdam praefectum urbi Constantinopoli fuisse. Potest hic sane noster fuisse, quia *Themistium*, Sophistam, & alios artium professores, ad hanc dignitatem adspirasse, novimus. Gothofr. *Comment. ad Cod. Theod. Tom. II. p. 114.*

§. CCCLXXXI.

Et talis quidem fuit jurisprudentiae facies sub Imperatoribus Christianis etiam infrequentibus usque ad magnum illum juris Romani restitutorem, IVSTINIANVM. Quae enim in *Codice* nostro exstant, constitutiones MARTIANI, LEONIS, ZENONIS Isaurici, ANASTASII & IVSTINI Thracis, ita sunt comparatae, ut multa a majoribus constituta iis aboleantur. Nam & tutelam mulie-

Status juris Rom. sub Theodosio II. successoribus ad Justinianum.

rum perpetuam iisdem fere cessasse temporibus, novimus. Vid. Ev. Otto *dissert. de perp. mul. tut.* Attamen & quaedam prudenter immutata esse, fatendum est, veluti dum *ab Anastasio* emancipationis veteris necessitas sublata, & a Leone vetus rigor adversus plus justo petentes mitigatus est. §. 33.

Inst. de act.



Sebaueri dissertati. de Romulo, Numo Pompilio, Tullo Hostilio et Anco Martio.
Malvezzi dissertati. de Servio Tullio et Tarquinio Superbo.



